



JUAN


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
SECRETARÍA GENERAL DE BIBLIOTECA

BX1751

D3


v. 1

1897



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THEOLOGIA DOGMATICA GENERALIS




EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ  
Episcopi Leonensis



1080015931



APPROBATIO

Opus cui titulus *Theologia dogmatica generalis* a R. P. Georgio David, Societatis Mariae presbytero, concinnatum et a pluribus theologis nostris examinatum atque laudatum, libentissime, quantum ad me pertinet, typis mandari permitto.

Lugduni, 23 octobris 1892.

Antonius MARTIN,  
S. M. Praepositus generalis.

IMPRIMATUR

Lugduni, 30 octobris 1892.

J. DÉCHELETTE,  
Vic. gen.

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lugduni. — Ex typis Emmanuelis VITTE, via de la Quarantaine, 18.

AD MAJOREM DEI GLORIAM ET DEI GENITRICIS HONOREM

# THEOLOGIA DOGMATICA GENERALIS

Auctore G. DAVID

SOCIETATIS MARIAE PRESBYTERO

TOMUS PRIMUS

COMPLECTENS DEMONSTRATIONEM CATHOLICAM

IN QUO AGITUR :

- 1° De Divinitate religionis christianae;
- 2° De Divinitate Ecclesiae Romanae.

Secunda editio.

LUGDUNI

EX TYPIS EMMANUELIS VITTE

Archiepiscopatus Lugdunensis et Cleri

TYPOGRAPHI

18, via de la Quarantaine, et loco dicto Bellecour, 3 et 5

1897



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
Biblioteca Valverde y Taliez  
Capilla Alfonsina  
Biblioteca Universitaria

44960

BX1951

03



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

REVERENDISSIMO PATRI ANTONIO MARTIN

*Praeposito generali Societatis Mariae*

REVERENDISIME PATER

Opus illud *de Theologia dogmatica generali*, quod ad majorem Dei gloriam et Dei Genitricis honorem, te hortante, concinnare aggressus sum, cum Eidem venerandae caelorum terrarumque Reginae consecrare necesse haberem, nomen tuum auspicatissimum huic praescribendum esse existimavi.

Tu enim, Reverendissime Pater, dulcissimae Matris erga omnes suae Societatis alumnos vices geris; et ideo maxime convenit, hunc laboris mei fetum per tuas manus ante Ipsius pedes deponi, quo Illi, quantumvis sit, magis placeat, et abundantius fructificet.

Sed et alia mihi causa est, cur Paternitatem tuam in fronte libri hujus nuncupare velim. Sacrae, siquidem, doctrinae studium et amorem, in tuis sapientissimis praelectionibus, me olim hausisse libentius profiteor.

Accepta igitur tibi sit, Reverendissime Pater, haec

008303


VIII

meae gratitudinis, necnon filialis affectus testificatio;  
mihique paternam benedictionem, benigne impertiri  
digneris.

Paternitatis tuae Reverendissimae

Humillimus ac devotissimus filius in Christo et  
Maria.

G. DAVID.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIONES PRAEIVAE

## DE THEOLOGIA

QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quid sit Theologia et quotuplex?

1. Resp. ad 1.

1<sup>o</sup> *Quoad nominis etymologiam.*

Theologia sic vocatur ex duabus vocibus graecis  
*Theos* et *Logos*. Quia autem *Logos* refertur sive  
ad verbum exterius oris, sive ad verbum interius  
mentis, hinc est quod theologia etymologice idem  
sonat ac sermo de Deo, vel cognitio Dei.

2<sup>o</sup> *Quoad nominis significationem.*

Theologia est *cognitio Dei discursiva*.

3<sup>o</sup> *Quoad rem.*

Theologia est *cognitio religionis discursiva*.

Dicitur 1<sup>o</sup> *cognitio religionis*. Ibi religio sumitur  
*objective*, seu pro complexione veritatum quae ad  
vitam moraliter perficiendam directe spectant. Illae  
autem veritates vel sunt Deus ipse, vel considerantur  
in ordine ad Deum; et ideo religionis cognitio merito  
vocatur theologia.

Dicitur 2<sup>o</sup> *cognitio discursiva*. Ea cognitio nuncu-  
patur discursiva, quae considerat nexum logicum quo  
veritates inter se cohaerent, id est, legitimitatem dis-


VIII

meae gratitudinis, necnon filialis affectus testificatio;  
mihique paternam benedictionem, benigne impertiri  
digneris.

Paternitatis tuae Reverendissimae

Humillimus ac devotissimus filius in Christo et  
Maria.

G. DAVID.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIONES PRAEVIAE

## DE THEOLOGIA

QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quid sit Theologia et quotuplex?

1. Resp. ad 1.

1<sup>o</sup> Quoad nominis etymologiam.

Theologia sic vocatur ex duabus vocibus graecis  
*Theos* et *Logos*. Quia autem *Logos* refertur sive  
ad verbum exterius oris, sive ad verbum interius  
mentis, hinc est quod theologia etymologice idem  
sonat ac sermo de Deo, vel cognitio Dei.

2<sup>o</sup> Quoad nominis significationem.

Theologia est *cognitio Dei discursiva*.

3<sup>o</sup> Quoad rem.

Theologia est *cognitio religionis discursiva*.

Dicitur 1<sup>o</sup> *cognitio religionis*. Ibi religio sumitur  
*objective*, seu pro complexione veritatum quae ad  
vitam moraliter perficiendam directe spectant. Illae  
autem veritates vel sunt Deus ipse, vel considerantur  
in ordine ad Deum; et ideo religionis cognitio merito  
vocatur theologia.

Dicitur 2<sup>o</sup> *cognitio discursiva*. Ea cognitio nuncu-  
patur discursiva, quae considerat nexum logicum quo  
veritates inter se cohaerent, id est, legitimitatem dis-

cursus vi cujus una veritas ab alia infertur. Jam vero veritates religiosae ita inter se cohaerent, et theologia hunc nexum apprehendit; est ergo cognitio discursiva.

Sed aliqua cognitio potest esse discursiva, vel *formaliter*, vel tantum *eminenter ac virtualiter*. Formaliter quidem, ubi mens ex una veritate nota progreditur ad alterius notitiam, ratione nexus logici inter utramque existentis; eminenter ac virtualiter, ubi unico intuitu et veritates et earundem nexus apprehenduntur.

Theologia, prout existit in viatoribus, est *formaliter* discursiva.

2. Resp. ad 2.

Quadruplex theologia distinguitur:

1° *Theologia naturalis*, seu cognitio discursiva religionis alio modo quam per divinae revelationis lumen, hoc est, solo virium intellectualium, quae naturae insunt, exercitio habita.

2° *Theologia fidei*, seu cognitio discursiva religionis quatenus revelationis lumine innititur, cujus ope veritates religiosae vel immediate in seipsis, vel certe in suis principiis tanquam conclusiones manifestantur.

3° *Theologia visionis*, seu cognitio illa veritatum religiosarum, quae habetur in Beatis ex lumine gloriae; et haec cognitio duplex est: 1° alia *matutina*, qua Beati omnia simul vident in Verbo; 2° alia *vespertina*, qua Beati intuitive in Verbo percipientes veritates nobis formaliter revelatas, ex eis, vi luminis naturalis, conclusiones deducunt. Prior cognitio eminenter tantum est discursiva, posterior formaliter.

4° *Theologia infinitae comprehensionis*, seu ea

cognitio qua Deus, comprehendens suam essentiam tamquam princeps objectum, in ea caetera omnia quaecumque vera sunt, veluti objectum secundarium intelligit. Patet hanc non esse nisi eminenter discursivam, et in illius comparatione, omnem aliam theologiam nonnisi analogice eodem nomine vocari.

Theologia de qua in praesenti agitur est *Theologia fidei*. (Vide Franzelin: *de Deo, proleg. Thesis 2<sup>a</sup>*).

#### QUAESTIO II<sup>a</sup>

Quae sint Theologiae fidei 1° Objectum materiale?

2° Objectum formale quod? 3° Objectum formale quo?

3. Resp. ad 1. Objectum materiale alicujus cognitionis est illud omne quod ab ea attingitur. Porro theologia fidei, uti jam diximus, attingit omnes veritates religionis revelatae, quae ad tria capita revocari queunt, nempe: 1° factum ipsum religionis revelatae; 2° singula dogmata formaliter, seu in seipsis, revelata; 3° conclusiones ex illis dogmatibus deductas.

Itaque theologia fidei versatur circa religionem revelatam, tum factum ipsum revelationis demonstrando, tum singulas veritates formaliter revelatas stabiliendo et illustrando, tum ex veritatibus formaliter revelatis conclusiones deducendo.

4. Resp. ad 2. Objectum *formale quod* alicujus cognitionis est ratio sub qua attingitur objectum materiale, seu est objectum quod principaliter et ratione sui attingitur, et ratione cujus attinguntur caetera; sic enim varia haec objecta ad unitatem reducuntur. Porro in theologia, illud objectum *formale quod* est Deus. Quaecumque enim tractantur in theologia, vel



sunt Deus ipse, vel dicunt ordinem ad Deum, sive ut proprietates ad essentiam, sive ut effectus ad causam, sive ut media ad finem. Solus itaque Deus ratione sui, id est, quatenus Deus, attingitur a theologia; caetera autem attinguntur ratione illius.

5. Resp. ad 3. Objectum formale quo alicujus cognitionis est motivum vi cuius mens veritati cognitae adhaeret. Jam vero illud motivum, in theologia fidei, est discursus applicans veracitatem divinam veritati cui datur assensus theologicus. Theologia enim vel demonstrat factum revelationis, vel ostendit talem veritatem pertinere ad religionem revelatam, vel ex veritate revelata deducit conclusiones. In duobus prioribus casibus, theologia utitur discursu, ut probet talem religionem aut tale dogma ob summam Dei veracitatem admittenda esse; ac proinde religioni aut dogmati cui assentimur applicat immediate et formaliter divinam veracitatem; in tertio casu, ostendit talem conclusionem ideo esse admittendam, quod logice ex principio revelato sequatur; quo discursu applicat etiam divinam veracitatem: probat enim, vel assentiendum esse conclusioni demonstratae, vel negandum esse principium revelatum ex quo fluit, quod esset divinam veracitatem inficiari.

QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum Theologia sit veri nominis scientia?

6. Resp. Veteres quidam, considerantes theologiam prout ex principiis revelatis eruit conclusiones, negabant eam proprie scientiam vocari posse, hac nixi ratione quod careat evidentia intrinseca suorum prin-

cipiorum. At, secundum communem loquendi modum, ad scientiam constituendam haec intrinseca evidentia minime requiritur, sed sufficit complexio cognitionum discursivarum ex principiis certis legitime deductarum, et in unum doctrinae corpus ordinarum. Unde:

Dico: *Theologia est veri nominis scientia, imperfecta tamen quoad statum praesentis vitae.*

Constat 1<sup>a</sup> pars:

Illam enim cognitio est veri nominis scientia, quae ex principiis quoquo modo certis deducit conclusiones, et veritates cognitae in unum corpus doctrinae ordinat. Atqui utrumque theologiae competit.

1<sup>o</sup> Nititur principiis certis. Sane ea principia quibus utitur ad factum revelationis demonstrandum, non possunt esse certa ex sola Dei revelantis auctoritate, secus adesset circulus vitiosus; sed factum illud eruitur ex hoc principio naturaliter et evidenter cognito: *Illam religio est divina, quae dotibus et signis insignitur a solo Deo procedentibus.* Principia, quorum ope theologia singula dogmata stabilis, duo sunt, nempe: *Doctrina religionis christianae est divinitus revelata.* — *Haec doctrina depromenda est ex Scriptura et Traditione, sub Ecclesiae Romanae infalibili magisterio.* Demum, singula dogmata revelata sunt principia ex quibus theologia multas eruit conclusiones. Jam vero horum principiorum certitudo clare constabit ex dicendis. Ergo theologia habet principia certa ex quibus, ratiocinii ope, certas deducit conclusiones.

2<sup>o</sup> Veritates cognitae in unum corpus doctrinae ordinat; sive percipiendo et declarando nexum quo conclusiones ad principia referuntur, sive conclu-

siones et principia ita disponendo, ut in unum systema recte coalescant.

*Constat 2<sup>a</sup> pars :*

Illa enim scientia dicitur imperfecta quae non gaudet evidentia intrinseca objecti. At theologiae objectum non est intrinsece evidens, saltem quatenus assensui theologico subicitur; quia illud objectum vel est veritas per se inevidens; vel, si sit per se evidens, apprehenditur quatenus credibile propter divinam veracitatem tanquam motivum extrinsecum. Unde theologia non erit perfecti nominis scientia nisi in Coelo, quando veritates fidei intuitive a nobis percipiuntur.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Quomodo Theologia fidei a fide differat?

7. Resp. Quadruplex assignatur inter theologiam et fidem differentia. (Vide Franzelin: *de Deo, Proleg. Thesis 3<sup>a</sup>.*)

1<sup>a</sup> differentia. Fides non est cognitio discursiva, sed simplex adhaesio veritatibus formaliter revelatis, propter Dei revelantis veracitatem. Hinc, quamvis supponat legitimum discursum quo veritas revelata cum divina veracitate connexa appareat, hoc tamen discursu tanquam credendi motivo non utitur. Insuper, non curat de ordinandis in unum systema veritatibus revelatis.

2<sup>a</sup> differentia. Per actum fidei, mens assentitur veritatibus revelatis quibuscumque, ex uno eodemque motivo, scilicet: ob Dei revelantis veracitatem. At motivum assensus theologici, cum consistat in discursu

divinam veracitatem applicante, multiplex esse potest, etiam pro eadem veritate; siquidem theologus multiplici discursu eandem veritatem aliquando demonstrat, puta: ex tali Ecclesiae definitione, ex tali Scripturae textu, ex talibus Patrum testimoniis, etc.

3<sup>a</sup> differentia. Theologia latius patet quam fides. Fides enim coarctatur ad dogmata formaliter revelata, quae sola credi possunt pure et simpliciter propter divinam veracitatem. Theologia extenditur etiam ad conclusiones ex dogmatibus formaliter revelatis deductas, quia iis assentimur propter motivum theologiae proprium.

4<sup>a</sup> differentia. Theologia vere christiana fidem supponit tanquam suum fundamentum, et ex fide efflorescit atque evolvitur. Est enim fidei jam susceptae scientifica explicatio, quae sit apta ad caeteros convincendos et erudiendos; tradens, scilicet, motivorum credibilitatis comprehensionem magis ac magis distinctam, meliorem credendorum intellectum, necnon luculentius aperiens mutuam illorum connexionem. Quando autem quis, fide carens, nititur ad eam pervenire per discursum, non fungitur proprie munere theologi, quia haec praevia inquisitio aut eruditio est potius quaedam philosophia praeambula ad theologiam catholicam.

QUAESTIO V<sup>a</sup>

Quomodo Theologia se habeat in ordine ad caeteras scientias humanas?

8. Resp. Theologia caeteris scientiis comparari potest ratione objecti, finis, certitudinis et subordinationis.

1<sup>o</sup> *Ratione objecti.* Theologia caeteris scientiis

maxime praestat. Illa enim scientia caeteras superat ratione objecti, quae, dum aliarum objecta et ipsa attingit, haec sub altiori ratione considerat, et imo complet superaddendo aliud multo excellentius. Atqui talis est theologia.

a) Aliarum scientiarum objecta et ipsa attingit; cum praerequirat multas cognitiones de Deo, homine, et entibus inferioribus; et insuper multas complectatur veritates in se naturales, quae fuerunt formaliter aut virtualiter revelatae.

b) Haec objecta sub altiori ratione considerat, nempe: quatenus divinitus fuerunt revelatae, et fini supernaturali obtinendo inserviunt.

c) Illis superaddit aliud valde excellentius, videlicet: Deum uti per nullas creaturas naturaliter cognosci potest; id est: sive processiones divinas ad intra in SS. Trinitate, sive mirabiles illas processiones ad extra, quibus ens divinum communicatur, in Christo per unionem hypostaticam, et per Christum caeteris hominibus, collatione, scilicet, gratiae et gloriae.

2° *Ratione finis.* Theologia caeteris scientiis praestat. Disserit enim, et quidem sola, de fine supernaturali mediisque illum obtinendi. Unde sola finem humanae vitae vere ultimum intendit, dum caeterae, ex se, non nisi ad finem naturalem conducunt.

3° *Ratione certitudinis.* 1°. Sub aliquo saltem respectu theologia caeteras scientias antecellit, quia:

a) Nititur fide, sensu supra dicto. At assensus fidei a lumine supernaturali et Spiritus Sancti gratia procedens, eo ipso nobilior et firmitior quolibet alio efficitur.

b) In illustrandis dogmatibus et conclusionibus eruendis, ita dirigitur per infallibile Ecclesiae magisterium, ut nulla sit theologica quaestio quae praefati Iudicis irreformabili sententia solvi non valeat, ubi opus erit. At caeterae scientiae, in quaestionibus ad fidem aut mores non spectantibus, nullum habent iudicem quo eorum controversiae infallibiliter dirimantur, et ideo multo frequentius errandi periculum incurrunt.

2° Utrum vero theologia hoc modo certitudine praestet, quod quilibet assensus theologicus quolibet alio assensu scientifico sit certior? Controvertitur, saltem si spectetur efficacia motivi *quoad se*. Probabiliter videtur affirmandum. Nam certitudo assensus theologici, spectata efficacia motivi *quoad se*, ultimate resolvitur in impossibilitate quod Deus erret aut fallat; dum certitudo assensus scientifici, spectata etiam efficacia motivi *quoad se*, ultimate resolvitur in impossibilitate quod humana ratio erret, ubi fruitur evidentiā. Atqui prior impossibilitas est infinite major posteriore.

Attamen, spectata efficacia motivi *quoad nos*, concedendum est veritates naturales certiores esse: quia, cum ob intrinsecam evidentiā magis intellectui nostro sint proportionatae, hinc fit quod ipsum magis quietent, et ab eo efficacius arceant dubitationem.

4° *Ratione subordinationis.* Theologia caeteris praestit scientiis quae ei subservire debent, ab ea diriguntur, imo et, ubi opus fuerit, corriguntur.

Theologiae subservire debent; quia theologia sola, inter omnes, finem vitae humanae ultimum intendit, cui fini ultimo omnes alii subordinantur. Atqui subor-

dinatio finium secum infert scientiarum subordinationem.

Insuper, cum theologia directionem suam ab infallibili Ecclesiae magisterio mutuat, hinc ad eam spectat omnibus aliis scientiis invigilare, ne quidquam proferant revelationi contrarium, et ut, si protulerint, emendentur.

QUAESTIO VI<sup>a</sup>

Qui sint praecipui Theologiae characteres?

9. Resp. Quatuor numerari possunt:

1<sup>us</sup> *character*. Theologia est subalternata scientiae Dei et Beatorum, saltem hoc sensu, quod a scientia Dei et Beatorum pendeat quoad evidentiam intrinsecam principiorum fidei, ex quibus eruuntur conclusiones theologicae. Patet, quia haec fidei principia Deo et Beatis intuitive patent, non autem viatoribus. An vero haec sit subalternatio proprie dicta? Disputant scholastici; quam controversiam, utpote nullius momenti, praetermittimus. (Conf. Billuart. *Diss. proaem. Art. IV.*)

2<sup>us</sup> *character*. Theologia est scientia simul speculativa et practica. Magis autem est speculativa quam practica, quia principalis agit de rebus divinis quam de actibus humanis; imo, juxta Billuart, est simpliciter speculativa, et non nisi secundum quid practica; quia finis ejus intrinsecus et ultimus est aeterna beatitudo, ad quam dirigit praxim, et haec beatitudo, ut aiunt Thomistae, essentialiter in contemplatione consistit.

3<sup>us</sup> *character*. Theologia merito dicitur sapientia. Cum enim ad sapientiam pertineat ordinare media ad

finem, et quidem altissimum in unoquoque genere, hinc ejus proprium est considerare finem altissimum. Porro Deus est in omni genere finis altissimus, et hunc considerat theologia sub altissima ratione, nempe, ut auctorem supernaturalem revelatione notum.

4<sup>us</sup> *character* de quo dubitatur: an theologia sit habitus supernaturalis? Probabilius videtur negandum, quia: 1<sup>o</sup> Ille habitus dicitur supernaturalis qui actibus non acquiritur, sed a Deo infunditur. Atqui habitus theologiae humano studio acquiri potest, ab eo etiam qui ex perverso fine theologiae incumberet. 2<sup>o</sup> Habitus supernaturalis elicit actus supernaturales; actus autem supernaturales ii sunt quorum motivum est supernaturale, seu fide cognitum. Atqui habitus theologiae non elicit hujusmodi actum de se supernaturalem; siquidem assensus theologicus habet pro motivo legitimitatem discursus divinam veracitatem applicantis, quod certe non est supernaturale, seu fide notum. Haud tamen negamus hunc assensum posse accidentaliter a fide imperari, sicut quaelibet actio de se naturalis, ad finem supernaturalem ab agente referri potest.

QUAESTIO VII<sup>a</sup>

Quotuplex esse possit in Theologia procedendi modus?

10. Resp. Duplex esse potest: unus juxta methodum *positivam*, alius juxta methodum *scholasticam*; quae methodi inter se differunt triplici ratione: *synthesi*, scilicet, *speculatione*, ac praesertim *dialectica*.

1° *Synthesi* quidem. Nam theologia positiva quasdam tantum veritates religiosas, pro opportunitate, tractare solet; at scholastica universalitatem religiosarum veritatum ordinarie complectitur.

2° *Speculatione*. Nam theologiae positivae sufficit dogmata, de quibus disserit, fideliter exponere, argumentisque positivis, nempe: Scriptura sacra, Traditione, Ecclesiae definitionibus demonstrare. Theologia autem scholastica nititur insuper intimam dogmatum naturam, quantum fas est, perscrutari, illa philosophicis illustrare explicationibus, eorundem miram inter se connexionem, necnon varias cum aliis rebus vel ideis naturaliter notis analogias evolvere.

3° *Dialectica* demum. Methodus enim positiva magis oratorie procedit quam dialectice, scholastica autem potius dialectice. Jam vero processus dialecticus totus versatur: 1° in *praemittendo* strictas definitiones per genus et differentiam, quaestionis statum, divisionem materiae, expositionem errorum et controversiarum; 2° in *statuendo* theses cum suis argumentis in forma; 3° in *solvendo* objectiones juxta formam item aristotelicam; 4° in *colligendo* conclusiones ex stabilitis thesibus.

Hanc *theologiae scholasticae* methodum invexit apud Graecos, saeculo octavo, sanctus Joannes Damascenus, in suo libro: *De fide orthodoxa*, qui est summa theologia; apud Latinos, undecimo saeculo, sanctus Anselmus, quem secuti sunt Petrus Lombardus, sanctus Thomas et multi alii, ita ut haec theologia scholastica tandem in scholis praevaluerit.

QUAESTIO VIII<sup>a</sup>

Quae sint variae Theologiae partes, et quo ordine tractari soleant?

41. *Resp.* Alius ordo apud veteres, alius apud hodierni temporis scholasticos servatur.

1° Veteres sequebantur divisionem a Divo Thoma in sua Summa expressam. Hanc autem, numquam satis mirandam, totius religionis christianae synthesim ob oculos breviter ponere, utile et jucundum erit.

Angelicus Doctor Summam theologiam in triplicem partem dividit: 1<sup>a</sup> est de Deo ut est in se, et secundum quod creaturae ab ipso procedunt; 2<sup>a</sup> est de motu creaturae rationalis ad Deum; et in duas subdividitur: 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup> agit de principiis generalibus actuum humanorum; 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup> de singulis virtutibus et officiis; 3<sup>a</sup> pars est de Christo, qui est nobis via tendendi ad Deum.

*Prima pars Summae.*

Deus, in se consideratus, spectari potest vel quoad ea quae ad divinam essentiam pertinent, vel quoad ea quae pertinent ad distinctionem personarum. Unde disserendum 1° de Deo, 2° de Trinitate.

Deus, secundum quod creaturae ab Ipso procedunt, considerari potest tripliciter:

- a) Ut principium productionis rerum; et tunc agitur de creatione in genere.
- b) Ut principium distinctionis rerum; et tunc agitur: de creatione in communi, de distinctione boni et mali, de distinctione spiritualis et corporalis creatu-

rae, seu de Angelis, de Opere sex dierum, et de homine.

c) Ut principium gubernationis rerum, et tunc agitur: de gubernatione in communi; de gubernationis effectibus, qui sunt: conservatio creaturarum; mutatio creaturarum a Deo, ubi de miraculis; mutatio unius creaturae ab alia, ad quam mutationem referuntur influxus Angelorum, influxus corporum necnon actio et propagatio hominis.

*Prima secundae.*

Deum considerans D. Thomas, secundum quod rationalis creatura ad eum movetur, disserit:

1. *De ultimo fine humanae vitae*, seu 1° de ultimo fine in communi, 2° de beatitudine.

2. *De his per quae homo ad hunc finem pervenire potest vel ab eo devolare*, et sunt actus humani, de quibus tractat in communi primum, et deinde in particulari.

Consideratio communis de actibus humanis, alia est de ipsismet actibus in se, alia de eorum principiis.

1° Actus humani in se, vel sunt actus proprii hominis, vel sunt actus homini et aliis animalibus communes. Hinc tractatus duplex: unus de actibus propriis hominis, alter de passionibus.

2° Principia actuum humanorum sunt vel interiora vel exteriora.

Principia interiora dicuntur potentiae, habitus, virtutes et vitia. De potentiis agitur ubi de homine. Dicendum est itaque: de habitibus; de virtutibus et vitiis in communi. Virtutibus autem supernaturalibus adjiuntur dona Spiritus Sancti, beatitudines et fructus.

Principia externa actuum humanorum reducuntur ad Deum, prout hominem instruit per legem, ei adjuvat et adjuvat per gratiam. Hinc tractatus de Lege et de Gratia.

*Secunda Secundae.*

Consideratio particularis de humanis actibus versatur circa varia hominum officia, et est duplex: Prior continet quae ad omnes homines communiter spectant, posterior ea quae hominibus certae cujusdam conditionis competunt.

1° Officia omnibus communia pertractantur, agendo de variis virtutibus theologicis et moralibus, id est: Fide, Spe, Charitate, Prudentia, Justitia, Fortitudine, Temperantia, necnon de vitiis quae iisdem adversantur.

2° Officia hominibus certae conditionis exclusive propria, expenduntur explicando quae spectant gratias gratis datas, diversa vitarum genera, seu vitam contemplativam et activam, diversos hominum status, id est: statum perfectionis in genere, perfectionem episcoporum, et perfectionem religiosorum. Officia vero vitae civilis S. Doctor remittit ad legispositores, et officia vitae clericalis ad tractatum de sacramento Ordinis.

*Pars tertia.*

Considerans B. Thomas Christum, qui est nobis viatendendi ad Deum, disserit de tribus: 1° de Ipso Salvatore; 2° de Sacramentis ejus quibus salutem consequimur; 3° de fine immortalis vitae, ad quam per Ipsum resurgendo pervenimus.

Circa Salvatorem Ipsum, expendit ipsum myste-

rium per quod Deus factus est homo, et est tractatus de Incarnatione; insuper ea quae per Salvatorem sunt passa et acta, et est tractatus de mysteriis Christi.

Circa Sacramenta disserit: 1° de Sacramentis in communi; 2° de singulis Sacramentis in specie.

Circa finem immortalis vitae investigat:

1° Quae praecedunt resurrectionem; ubi de statu animarum separatarum, de suffragiis pro mortuis, de orationibus Sanctorum, et de signis ultimi iudicii.

2° Quae comitantur resurrectionem; ubi de resurrectione ipsa, de eius causa, tempore, modo, termino a quo, ac de conditionibus resurgentium.

3° Quae sequuntur resurrectionem; ubi de cognitione meritorum et demeritorum, de iudicio generali, et de statu mundi post iudicium.

12. 2° Hodierni temporis Scholastici passim dividunt theologiam in *dogmaticam* et *moralem*. Prior est speculativa, seu non tradit regulas ad agendum, sed in mera sistit objecti sui contemplatione. Posterior est practica, seu dat regulas ad agendum. Verum quia, de facto, quaestiones speculativae et practicae intermisceri debeant, hinc *dogmatica* dicitur ea pars cuius principale argumentum est speculativum, et *moralis* ea pars cuius principale argumentum est practicum.

Theologia *dogmatica* est, alia *generalis*, alia *specialis*.

1° *Dogmatica generalis* disserit circa principia generalia ex quibus singulorum dogmatum oritur cognitio, et continet tractatus de *Religione*, de *Ecclesia* et de *Locis theologicis*.

2° *Dogmatica specialis* disserit de singulis dogmatibus, id est: de Deo uno in natura et trino in personis, de Deo Creatore, de Deo Incarnato, de Deo Sanctificatore per gratiam et sacramenta, et Glorificatore per communicationem beatitudinis; unde continet tractatus: de *Deo uno*, de *Trinitate*, de *Creatione*, ubi: de Opere sex dierum et Angelis, de *Incarnatione*, de *Gratia*, de *Sacramentis in genere et specie*, et de *Novissimis*.

Theologia *moralis* dupliciter dividitur:

1° In *generalem* et *specialem*.

*Generalis* disputat de bono et malo morali in genere, et habet tractatus de *Actibus humanis*, de *Conscientia*, de *Legibus*, de *Virtutibus* et de *Peccatis in communi*.

*Specialis* disputat de singulis officiis vitae christianaе, et habet tractatus de *Virtutibus theologicis*, de *Praeceptis Dei et Ecclesiae* et de *variis Statibus*.

2° In *moralem simpliciter* et *asceticam* seu *mysticam*. — *Moralis simpliciter* considerat id quod est licitum aut illicitum. — *Ascetica* seu *mystica* tradit media sanctitatem augendi. Nonnumquam dicitur *mystica* ea quae vias perfectionis extraordinarias explicat.

## THEOLOGIA DOGMATICA GENERALIS

1. Haec pars Theologiae tres complectitur tractatus: 1<sup>um</sup> de *vera Religione*, 2<sup>um</sup> de *vera Christi Ecclesia*, 3<sup>um</sup> de *Locis theologicis*. In primo astruitur divina Christi missio ad novam religionem instituentem; in secundo haec nova religio ostenditur et explicatur, quatenus eadem est cum Ecclesia catholica Romana; in tertio exponuntur fontes ex quibus hauriri debeant singula religionis catholicae dogmata.

### TRACTATUS DE VERA RELIGIONE

2. In duplici parte dicendum est: 1<sup>o</sup> de religione revelata in genere, 2<sup>o</sup> de divinitate religionis christianae. Sed antea nonnulla praemittenda sunt circa religionem et Antichristianismum in genere.

#### DISSERTATIO PRAEVI

DE PRAEMITTENDIS CIRCA RELIGIONEM ET ANTICHRISTIANISMUM  
IN GENERE

Primum tradenda est germana religionis notio ac divisio; dein sufficiens Antichristianismi expositio, complectens tum praecipuas religiones positivas extra

christianam, tum incredulitatis hodiernae placita; tandem in memoriam revocanda sunt quaedam in disputationibus circa religionem revelatam praesupposita, et maxime ea quae spectant religionis in genere necessitatem, sive pro individuo, sive pro societate civili; unde quaeruntur sex.

#### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quae sit germana religionis notio et divisio?

(Vide Mazella: *de Relig. Disp. 2, art. 1.*)

3. Resp. ad 1.

1<sup>o</sup> Religio *quoad nomen*.

Si spectetur vocis etymologia, juxta Lactantium, venit a *religando*, quia nos Deo ligat; juxta Ciceronem, a *relegendo*, quia facit nos in corde revolvere quae Dei sunt; juxta sanctum Augustinum, a *reeligendo*, quia illa Deum nobis peccato aversum quasi nova electione recuperamus.

Si spectetur communis acceptio, significat vinculum quoddam morale Deo hominem conjungens. Nam ex relatione physica vi cujus homo, sicut quaelibet creatura, a Deo pendet, concipimus defluere moralem quamdam relationem, qua tenemur libere nostram erga illum subjectionem profiteri.

2<sup>o</sup> Religio *quoad rem*, sumitur vel *objective*, vel *subjective*.

*Objective* sumpta, est *summa veritatum et officiorum relationes morales Deum inter et homines determinantium*, seu *veritatum et officiorum*, quibus cognoscendis et implendis, tota hominum vita, juxta sanctissimam Dei voluntatem, regitur.



## THEOLOGIA DOGMATICA GENERALIS

1. Haec pars Theologiae tres complectitur tractatus: 1<sup>um</sup> de *vera Religione*, 2<sup>um</sup> de *vera Christi Ecclesia*, 3<sup>um</sup> de *Locis theologicis*. In primo astruitur divina Christi missio ad novam religionem instituentem; in secundo haec nova religio ostenditur et explicatur, quatenus eadem est cum Ecclesia catholica Romana; in tertio exponuntur fontes ex quibus hauriri debeant singula religionis catholicae dogmata.

### TRACTATUS DE VERA RELIGIONE

2. In duplici parte dicendum est: 1<sup>o</sup> de religione revelata in genere, 2<sup>o</sup> de divinitate religionis christianae. Sed antea nonnulla praemittenda sunt circa religionem et Antichristianismum in genere.

#### DISSERTATIO PRAEVI

DE PRAEMITTENDIS CIRCA RELIGIONEM ET ANTICHRISTIANISMUM  
IN GENERE

Primum tradenda est germana religionis notio ac divisio; dein sufficiens Antichristianismi expositio, complectens tum praecipuas religiones positivas extra

christianam, tum incredulitatis hodiernae placita; tandem in memoriam revocanda sunt quaedam in disputationibus circa religionem revelatam praesupposita, et maxime ea quae spectant religionis in genere necessitatem, sive pro individuo, sive pro societate civili; unde quaeruntur sex.

#### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quae sit germana religionis notio et divisio?

(Vide Mazella: *de Relig. Disp. 2, art. 1.*)

3. Resp. ad 1.

1<sup>o</sup> Religio *quoad nomen*.

Si spectetur vocis etymologia, juxta Lactantium, venit a *religando*, quia nos Deo ligat; juxta Ciceronem, a *relegendo*, quia facit nos in corde revolvere quae Dei sunt; juxta sanctum Augustinum, a *reeligendo*, quia illa Deum nobis peccato aversum quasi nova electione recuperamus.

Si spectetur communis acceptio, significat vinculum quoddam morale Deo hominem conjungens. Nam ex relatione physica vi cujus homo, sicut quaelibet creatura, a Deo pendet, concipimus defluere moralem quamdam relationem, qua tenemur libere nostram erga illum subjectionem profiteri.

2<sup>o</sup> Religio *quoad rem*, sumitur vel *objective*, vel *subjective*.

*Objective* sumpta, est *summa veritatum et officiorum relationes morales Deum inter et homines determinantium*, seu *veritatum et officiorum, quibus cognoscendis et implendis, tota hominum vita, juxta sanctissimam Dei voluntatem, regitur*.

Dicitur 1° *summa veritatum et officiorum*. Quisquis enim videt relationes hominis ad Deum : 1° niti veritatibus per intellectum cognoscendis, et haec est religio *theoretica*; 2° absolvi officiis libere adimplendis, et haec est religio *practica*, quae cum parte theoretica unicam religionem integrat.

Dicitur 2° *quibus cognoscendis et implendis tota hominum vita regitur*, ita ut unusquisque in omnibus suis actibus deliberatis, sive erga Deum, sive erga caeteros homines, sive erga seipsum, recte se gerat.

Dicitur 3° *iucta sanctissimam Dei voluntatem*, ut intelligatur questionem ibi non esse de materiali operum rectitudine quae per artem intenditur, sed de morali quae divinae Sanctitati consonat. Haec rectitudo moralis reperitur tum in actibus quae sunt de praecepto, tum in iis quae sunt de consilio.

*Subjective sumpta*, seu prout est in homine, religio definitur : *Ea dispositio qua homo praedictas cum Deo relationes agnoscit, et officia ex eis profluentia libere implet*. Hinc discriminatur ab illa speciali religionis virtute, quae nos inducit ad supremam Dei excellentiam per actus honorificos directe testificandam. Religio enim, qualem hic intelligimus, omnes virtutes in se continet, quatenus a Deo, vel praecipuntur vel commendantur.

4. Resp. ad 2.

Multiplex est religionis divisio :

1<sup>a</sup> divisio : *ratione modi quo cognoscitur*, religio est vel naturalis, vel positiva.

Religio naturalis *ratione modi* ea est quae per vires naturaliter intellectui humano insitas cognoscitur, sive mens doctorum magisterio adjuvetur, sive non.

Religio positiva, seu religio supernaturalis *ratione modi*, ea est quae proponitur via auctoritatis, cui per actum fidei homo firmiter acquiescit.

Inter varias religiones positivas, aliae nituntur traditione quadam perveteri, quae plerumque supponitur originaliter a mundo superiori procedere ; aliae primum aliquem praeconem determinatum sibi vindicant, qui aut Deus aut coelesti quadam auctoritate et infallibilitate praeditus asseritur ; aliae actualem et extraordinariam revelationem invocant suis sectatoribus immediate factam.

Religiones positivae, eo ipso quod via auctoritatis patefiant, multa tradere solent quae sola ratio vel nullo modo, vel aegre, vel diminute assequeretur. Unde non mirum si doctrinam contineant locupletiore, mysteriisque refertam, atque intelligentiae et cordis exigentiis luculentius accomodentur. (Vide de Broglie : *Hist. des religions*, ch. 1.). Ex quo exurgit alia religionis divisio.

5. 2<sup>a</sup> divisio : *ratione objecti*, alia religio est naturalis, alia supernaturalis.

Religio naturalis *ratione objecti* est complexio veritatum et officiorum, quibus tota hominum vita regitur in ordine ad finem ultimum naturalem assequendum. Per finem naturalem intelligitur ille qui vires et exigentiam naturae non superat.

Religio *objective* naturalis complectitur : 1° dogmata sola ratione absolute cognoscibilia, 2° officia in essentiis rerum fundata, 3° praecepta positiva humana ad finem naturalem proxime condita, 4° quinimo, posito quod Deus homini, ad finem ultimum mere naturalem destinato, revelaret veritates captum ejus

superantes, et daret praecepta in essentiis rerum non fundata, haec veritates et haec praecepta ad religionem *objective* naturalem de facto pertinerent.

Unde patet religionem naturalem *ratione objecti*, esse posse *ratione modi* supernaturalem, eo quod Deus quascumque veritates religiosas, etiam sola ratione cognoscibiles, revelare potest.

Religio supernaturalis *ratione objecti* est complexio veritatum et officiorum, quibus tota hominum vita dirigitur in ordine ad finem ultimum supernaturalem assequendum, id est, finem qui naturae creatae vires et exigentias superat.

Complectitur religio *objective* supernaturalis : 1° veritates religiosas captum naturalem humani intellectus superantes, inter quas eminent Deus ut est finis ultimus supernaturalis ; 2° officia homini positive imposita, tanquam media de se ad finem supernaturalem conducentia ; 3° omnes veritates ordinis naturalis a Deo revelatas, in quantum supernaturaliter fide divina credi debent ; 4° item omnia officia ordinis naturalis, sed in quantum eorum observatio ad finem supernaturalem obtinendum requiritur, aut utilis esse potest, puta : si ex motivo supernaturali fiat.

Unde patet religionem supernaturalem *ratione objecti*, talem necessario esse *ratione modi*.

Patet etiam quo sensu verum aut falsum sit dari, in praesenti statu, religionem mere naturalem. Certe non datur religio conducens hominem ad finem ultimum mere naturalem, cum, de facto, omnis homo ad Deum supernaturaliter possidendum creatus sit, et hunc finem, sub damnationis poena, prosequi teneatur. Datur tamen complexio veritatum religiosarum

sola ratione cognoscibilem, et quibus actu mere naturali assentiri licitum est; datur etiam complexio officiorum quae de se ad finem mere naturalem conducunt, et per actus mere naturales sufficienter implentur.

6. 3<sup>a</sup> divisio religionis est in *veram* et *falsam*. Prior ea est in qua omnino verificatur definitio religionis superius tradita, id est, quae non tantum nihil habet falsi aut mali, sed ea omnia continet quibus homo ad finem suum legitimum dirigitur. Posterior ea est quae aliquid habet falsi aut mali, vel cui aliquid deest eorum quibus ad finem ultimum legitimum dirigimur. Unde religio naturalis non est proprie vera, quia, in statu praesenti, nos non conducit ad finem verum ultimum qui est supernaturalis.

7. Vera autem religio, cujus demonstrationem aggredimur, secundum diversas epochas et status, dividitur in *primaevam* seu *patriarchalem*, quae data fuit protoparentibus; in *Mosaicam* seu *Judaicam*, quae data fuit Judaeis a Deo per Moysen; et *Christianam*, quam Christus mundo attulit, et quae duabus prioribus subrogata est.

Est illa religio, ut videbimus, supernaturalis tum ratione modi, tum ratione objecti.

QUAESTIO II<sup>a</sup>

Quae sint praecipuae religiones positivae extra christianam ?

8. Vox *Antichristianismus* designat generaliter omnia systemata quae divinam Christi missionem rejiciunt. Inter Antichristianos, nonnulli omnem reli-

giopem positivam impugnant, et vocantur potius *increduli*; multi autem agnoscunt religionem aliquam non ex solis humanae rationis investigationibus haus- tam, sed positive traditam, et hi potius vocantur *infideles*; tales sunt Judaei Christi temporibus poste- riores, Mahumetani et caeteri gentiles.

In hoc Judaismus et Mahumetismus conveniunt et a gentilismo discriminantur, quod profiteantur mono- theismum. Monotheismus autem proprie consistit in admittendo Deum esse unum, a mundo penitus dis- tinctum, omnium aliorum entium creatorem, et solum supremo patriae cultu adorandum. Gentiles, e contrario, creationem e nihilo ignorantes, asserunt vel Deum ab universitate rerum non distingui, vel plures esse deos, vel, posito dari aliquod numen supremum, ipsi soli adorationis cultum non esse tribuendum.

Gentilismi expositio et confutatio ad Theodiceam pertinent. Attamen, postquam pauca dixerimus de Judaismo et Mahumetismo, abs re non erit paululum loqui de duabus gentilium sectis, quae caeteris et adhaerentium numero et antiquitate hodie praestant, nempe: Brahmanismo et Buddhismo.

§ 4. — De Judaismo hodierno.

(Vide Vincent: *de vera Relig.* appendix 2<sup>a</sup>.)

9. I. *In quo Judaei cum Christianis consentiunt?*

Consentiunt in admittendo: 1<sup>o</sup> divinam inspirationem Pentateuchi, aliorumque veteris Testamenti librorum, qui in canone Esdrae continentur; 2<sup>o</sup> dogmata in prae- fatis libris aperte tradita; 3<sup>o</sup> decem praecepta Deca- logi.

II. *In quo a Christianis dissentiunt?*

1<sup>o</sup> Negant Jesum Christum esse Messiam a patriar- chis et prophetis praenuntiatum; addentes adhuc vigere legem Mosaicam, cujus praescriptiones varias judiciales et rituales, quantum praesens eorum status patitur, observandas curant: circumcisionem, sab- bata, festa, jejunia, conventus in synagoga, etc.

2<sup>o</sup> Legem mosaicam falsis suis traditionibus et in- terpretationibus deturpant, ita ut omnia sibi licita esse arbitrentur erga gentiles, seu non Judaeos.

III. *In quo dissentiunt inter se?*

1<sup>o</sup> Circa Messiam futurum. — Plerique sibi fingunt Messiam, futurum esse regem temporalem opibus et universali potestate praecellentem. — Nonnulli du- plicem Messiam excogitaverunt: unum, qualem des- cribunt Christiani ex oraculis prophetarum, virum dolorum, quem dicunt ex patriarcha Joseph Ra- chelis filio oriturum; alium, Davidis filium, cui subji- cientur omnes nationes. — Quidam, cum Christianis consentientes circa characteres Messiae, concedunt eum jam advenisse, sed propter peccata gentis suae mansisse ignotum. — Plures demum, omni jam spe destituti, iis anathema dicunt qui adventus Messiae tempus definire audent.

2<sup>a</sup> Circa legem ipsam mosaicam. — Judaei in duas sectas dividuntur: *Rabbinistarum*, et *Karaitarum* seu *Karaeorum*.

*Rabbinistae*, praeter legem a Moyse scriptam, admittunt aliam ab eodem Moyse, ex divino colloquio, in monte Sina acceptam, constanterque traditam, ve- luti divinam legis scriptae interpretationem.

Fuit tamen scripta tempore Adriani imperatoris

primum, et dein, ducentis post annis, de novo edita. Haec scripta interpretatio dicitur *Mischna*, cui adjicitur commentarius *Gemara* nuncupatus, et utriusque complexus vocatur *Talmud*. Primum sub Adriano incoeptum appellatum est Jerosolymitanum, quia Jerosolymis est confectum; et secundum, quia Babylonis confectum, appellatum est Babylonicum, quod priori claritate et auctoritate praestat, et apud Rabinistas praevaluit.

*Karitae* textui sacro nihil superaddi patiuntur; sed, alio excessu, Scripturas privata sua interpretatione explicare contendunt. Paucos hujusmodi reperire est, qui apud Syriam, Persidem, Egyptum, Poloniam et Russiam dispersi degunt.

§ 2. — De Mahumetismo.

(Vide Vincent: *de vera Relig.* append. 3.— Brugère: *de vera Relig.*, app. 15. — Carolum Lenormant: *Cours d'hist. Lect.* 13 et seq. — Doellinger: *Origines du Christianisme*, t. II, cap. XVI et seq.).

10. 1. *Compendium historicum.*

Mahumetismus auctorem habuit Mahumetem (Arabice: Mohammed) natum Meccae (la Mecque) in Arabia, anno 570. Finxit se cum archangelo Gabriele habere colloquia, novamque edidit doctrinam, quam in variis sermonibus praetensi prophetae dispersam, collegit et in unum volumen evulgavit Aboubeker Mahumetis successor; qui liber vocatus est *al Coran*, id est, *lectio*, et habetur velut authenticus mahumetanae religionis codex.

Fides in hanc doctrinam dicitur a Mahumete *Islam*,

seu plena Deo subjectio; inde Mahumetismus nuncupatur etiam *Islamismus*. Cum autem ex voce Mislam Persae fecerint *Muslim*, et in numero plurali *Mustimin*, sectatores Islam appellati sunt *Musulmani*, gallice *Musulmans*.

Duae sunt Mahumetanorum sectae: una *Schittarum*, qui ducem habent *Ali*, Mahumetis consobrinum ac generum, et solius Alcorani litterae inhaerent; alia *Sunnitarum*, qui *Sunnam* seu traditionem oralem cum Alcorano admittunt, necnon theologicas explicationes trium kaliforum Mahumetis successorum, nempe: Aboubeker, Osmani et Othmani.

*Schittae* contendunt post Mahumetem futuros esse alios prophetas, a quibus tradendae sunt religiones magis ac magis perfectae, et quorum ultimus erit *Mahdi* ex Mahumete et Ali descendens. Plures jam sibi nomen et munus *Mahdi* usurparunt.

*Sunnitae* dicunt Mahumetem esse ultimum religionis prophetam, ejusque proinde doctrinam esse definitivam; sed addunt, in fine mundi, postquam Jesus occiderit Antichristum, venturum esse *Mahdi* ex familia Mahumetis, quo tempore omnes homines morientur et judicabuntur.

Mahumetismus in magnam Asiae, Africae, ipsiusque Europae partem vi armorum propagatus est, et hodie viget in multis regionibus. Circa numerum ejus sectatorum auctores non concordant. Non videtur esse minor octogintis millibus millium; quidam tamen assignant centum et viginti millia millium, alii millia millium centum et sexaginta, alii demum centum et septuaginta duo.

II. *Expositio doctrinalis.*

Docet Mahumetes : 1° Deum esse unum et creatorem ; sed rejicit Trinitatem personarum, et asserit animam humanam esse particulam essentiae divinae.

2° Veros Dei prophetas fuisse Noe, Abraham, Moysen et Jesum Christum ; sed Mahumetem esse Paraclitum a Christo promissum, et prophetarum maximum.

3° Omnia ineluctabili subjici fato ; atque in die judicii, post resurrectionem generalem, omnes fideles, seu Mahumetanos, esse salvandos, et, si opus sit, ex inferno educendos ; quibus promittitur paradisi voluptatibus sensualibus cujuscumque generis refertus ; infideles autem, inter quos annumerantur Judaei et Christiani, in infernum aeternaliter esse remansuros.

4° Omnes infideles gladio esse persequendos, donec, vel Islam suscipiant, vel tributo adigantur, si sint Judaei aut Christiani, vel, si sint pagani, trucidentur.

5° Permittenda esse vindictam privatam, talionis poenam, juramentorum solutionem, rapinas, polygamiam, concubinatum, divortium, aliaque omnino obscena.

6° Cultum Deo offerendum consistere in deprecatione, cui adjunguntur eleemosyna, jejunium toto tempore mensis Rhamadan, piae peregrinationes maxime ad Meccam, saltem semel in vita, multaeque aliae observantiae exteriores fere innumerae, inter quas praecipue recensentur : circumcisio, abstinencia tum a vino, tum a carne suilla aut suffocata, plurimae ablutiones, etc. Nonnulli, inter Mahumetanos, vitam caelibem, pauperem et austeram apparenter ducentes, nominantur *Dervis*, seu *Dervich*, et nostris monachis

assimilantur ; sed tamen suae professioni pro libitu renuntiant.

§ 3. — De Brahmanismo.

(Vide de Broglie : *Hist. des relig.*, ch. v et ix.)

11. Brahmanismus, qui in India potissimum viget, triplex est : vetus, recens et recentissimus.

I. DE BRAHMANISMO VETERI.

1. *Ejus origo et fontes.* Nullus nominatur hujus religionis parens. Primus ejusdem fons continetur in libris sacris dictis *Veda*, qui constant variis hymnis et commentariis. Eruditorum judicio, hi hymni non sunt omnes ejusdem epochae, nec seculo xv° ante Christum antiquiores. Commentaria vero longe posterioris aevi videntur esse.

Secundus veteris Brahmanismi fons continetur in systemate philosophico quod *Vedanta* nuncupatur, et cujus germen etiam apud recentiores Vedae hymnos reperire est.

2. *Brahmanismi veteris doctrina.* In vetustioribus hymnis librorum Vedae invenitur quidam polytheismus, necnon dogma vitae futurae, in qua boni remunerantur et mali puniuntur, exclusa metempsychosi. At, praevalente systemate philosophico Vedanta, mox inductus est quidam pantheismus idealis, cum doctrina transmigrationis animarum. Ens quippe supremum vocant Brahma, quod solum existit, dum alia entia non sunt nisi illusiones et phaenomenorum naturae collectio, imo et quasi cogitatio Brahmae, quo dormiente, totus orbis evanescit, quo vigilante, totus renascitur.

Animae autem post mortem in alia corpora trans-eunt, et in eisdem pro suis delictis plectuntur, ut iterum novas subeant transmigrations successivas. At talis existentiae mobilitas est malum, a quo unusquisque semetipsum expedire constanti studio conari debet, et hanc redemptionem scientia et virtute obtinebit, quando, scilicet, omnibus concupiscentiae affectibus superatis, tandem in Brahma absorptus fuerit.

Notare juvat insuper, maximas semper fuisse apud Indos sacerdotum seu Brahmanorum praerogativas, ac eosdem, deorum instar habitos, duram exercuisse in caeteros tyrannidem.

## II. DE BRAHMANISMO RECENTI.

12. 1. *Origo.* — Tempore quo a Buddhismo nascente (de quo infra) Brahmanismus impugnatus est, notabilem subiit transformationem, ortusque est neo-Brahmanismus in regione Indo-Sinensi plurimum praevalens.

2. *Doctrina.* — Apud vulgus viget paganismus, seu plurium deorum per idola repraesentatorum adoratio. Inter hos deos, eminent Vischnou et Siva; Vischnou conservator, Siva destructor et reproductor. Vischnou, ens supremum et absolutum, sub diversis formis incarnatur, quoties periclitatur religio, ac potissimum in duobus heroibus Rama et Khrisna, saepius tamen in Khrisna, qui est verus Deus incarnatus. (Circa varias Vischnou incarnationes vide: *Science catholique*, Juillet 1891.) Siva non incarnatur, sed sub variis speciebus se visibilem praebet.

Hisce diis subsunt et alii innumeri, quorum cultus ritibus absurdis, obscenis et crudelibus deturpatur.

Apud excultiores viros perseverat doctrina de Dei unitate. Hi tenent Brahma Vischnou et Siva esse unicum ens supremum, et constituere quamdam trinitatem, quae aliqualem habet cum Trinitate christiana analogiam. Brahmani autem cultui idolorum non participant tanquam sacerdotes, sed veterem servant, quamvis et ipsi cum plebe idola venerentur.

3. *Status praesens.* — Neo-Brahmanismus hodie in sectas innumeras divisus est, ad invicem valde infensas, nec inter se communicantes, nisi in magnis quibusdam peregrinationibus. Nuper vigeant apud eas incredibiles superstitiones, atrocesque usus, quorum nonnulli vix ab Anglis aboleri potuerunt, uti, v. g. sacrificia humana deae Kali, Sivae uxori, oblata, necnon suicidium feminarum post conjugum suorum mortem.

## III. DE BRAHMANISMO RECENTISSIMO

13. Ineunte seculo XIX<sup>o</sup>, fundatus est ab Rab-Mohum-Roy Brahmanismus quidam deista, sub nomine Brahma-Somaj, qui jam plura germina protulit. Unum ex illis vocatur *nova dispensatio*, et auctorem habet Chunder-Sen Brahmanum, qui se uti prophetam exhibens, ad varios terrae populos proclamationes misit.

Principia Brahmanismi recentissimi sunt: Dei unitas, altera vita, sine animarum transmigratione, exclusio idololatriae, omnium religionum positivarum aequalitas, quae judicantur et corriguntur ab unoquoque, juxta revelationem interiorem singulis factam. Sectatores hujus religionis dicuntur *Brahmoistae*. Attamen apud eos reviviscunt jam veteris

cultus brahmanici caeremoniae, ac praevaluit cultus numinis alicujus sub nomine *Matris universalis*.

§ 4. — De Buddhismo.

(Vide de Broglie: *Hist. des relig.*, ch. vi. — Brugère: *de Relig.*, append. xv, § 3.)

14. Juxta plures eruditos, sexto circiter ante Christum seculo, systema illud excogitatum est a quodam Sakia-Mouni, qui cognominatus est Bouddha (*l'Eveillé*). Illius gesta primum sola traditione orali nota, nonnisi duobus vel tribus, eo defuncto, seculis conscripta sunt, in quibusdam conciliis Buddhicis tunc celebratis.

Sakia-Mouni, annos natus viginti septem, domum paternam deseruit, ut vitam asceticam sub Brahmanorum magisterio duceret; sed his non contentus recessit, et postquam aliquod tempus transegisset in meditationis ac mortificationis exercitio, existimans se ad sapientiae fastigium pervenisse, novam evulgavit doctrinam, ac post quadraginta annorum praedicationem, octogesimo suae aetatis anno tandem mortuus est.

Multos asseclas lucratus est, eo quod odiosam Brahmanorum tyrannidem impugnaverit, et doctrinam suam quibusdam monachis ex omni virorum classe desumptis commiserit, qui plebem antea despectam edocerent. Ejus religio Indiam primum invasit, ex qua tamen a reviviscente Brahmanismo pulsa est; dein vero pervulgata fuit apud Tartaros, Sinenses, Japonenses, Thibetanos, et incolas regionum Indo-Sinensium; habetque plus quam trecenta millia

millium sectatorum; imo, juxta quosdam, quadringinta, aut quinginta millia millium.

Hanc, parum cognitam usque ad annum 1828, celebrem fecerunt libri sacri Buddhistarum tunc ab eruditibus reperti.

Duplex distingui debet Buddhismus, unus philosophicus, alius vulgaris. Prior viget apud proceres et doctos, posterior apud plebem et indoctos.

I. BUDDHISMUS PHILOSOPHICUS!

15. 1<sup>o</sup> *Circa Deum*, nihil prorsus docet; nam Sakia-Mouni nullam de Dei existentia movet quaestionem. Non potuit igitur se a Deo missum credere, aut aliquid ab eo accepisse; sed mirabilis qua gaudet sapientia habetur tanquam proprii laboris fructus, necnon meritorum in praecedentibus existentis acquisite effectus naturalis.

2<sup>o</sup> *Circa destinationem animarum*, Sakia-Mouni profitetur metempsychosim. Omnes post mortem, lege quadam necessaria, renascuntur ad culpas suas expiandas; sed unusquisque semetipsum ab hac lege liberare potest, et eo magis hujusmodi liberationem debet exoptare, quod omnis existentia, quia mutabilis est et transitoria, dicenda sit mala. Ab hac semel redempti ingrediuntur statum quemdam extinctionis, qui vocatur *Nirvana*, et cujus natura non satis explicatur. Est enim vel annihilatio, vel potius quies quaedam beatifica omnis amoris, vitae et operationis expers, nos a quocumque cum caeteris entibus commercio excludens.

3<sup>o</sup> *Circa morum disciplinam*. Ut ad *Nirvana* quis perveniat, perfectam sui abnegationem acquirat necesse est, omnes concupiscentiae motus exterminare.



nando. Ad quem finem multae proponuntur observantiae, iis quae apud Christianos vigent aliquatenus similes; v. g.: confessio culparum, directio conscientiae, meditatio vanitatum mundi, etc...

Monachus Buddhista, quem *Bichus* vocant, rigidioribus observantiis subjacet, perfectamque castitatem, rigorosam paupertatem, necnon asperam mortificationem, absque tamen votorum vinculo, custodit.

Simplices autem fideles, *Upasakas* nominati, irreprehensibiliter, quamvis minus rigorose, vivendo, possunt etiam *Nirvana*, sed tardius, attingere. Porro unum e praecipuis operibus *Upasakae* est tribuere eleemosynas monachis.

Praeter abnegationem sui, amor erga homines praescribitur, et unusquisque satagere debet, ut verbis et exemplis caeteros adducat ad assumenda media sese ab existentia liberandi, et ad *Nirvana* perveniendi. Hinc Buddhismus de se tendit ut ubique terrarum propagetur, omnesque populos in unam fidem colligat. Cui propagationi allaborant plurimum monachi Buddhistae libros sacros legendo et explanando.

## II. BUDDHISMUS VULGARIS

16. 1<sup>o</sup> Atheismus qui Buddhismum philosophicum inficit, mox in polytheismum versus est. Etenim Buddha Sakia-Mouni, licet in *Nirvana* sepultus, cultum tamen venerationis et amoris a suis sectatoribus accipit. Insuper, cum eo multi alii coluntur Buddhae, sive anteriores, sive posteriores. Identidem enim, inaequalibus ac longissimis licet intervallis, sibi Buddhae succedunt, et hi omnes jam tanquam veri dii passim a plebe adorantur.

2<sup>o</sup> Adorantur etiam cum Buddhis alia multa entia superiora. Quinimo, ob populorum erga Buddhorum reliquias et imagines devotionem, eorum religio versa est in idololatriam crassam et magicis refertam superstitionibus.

3<sup>o</sup> Fides in *Nirvana* paulatim debilitata est, ita ut Buddhistae jam paucis viris, subtilissimae perfectionis amatoribus, hunc quasi annihilationis statum relinquunt, sibi que finxerint coelos superpositos, in quibus per multa secula sperant se victuros inter delicias sive spirituales, sive etiam sensuales.

## QUAESTIO III<sup>a</sup>

Quaenam dari possit summaria hodiernae Incredulitatis expositio?

(Vide dom Benoît : *des Erreurs modernes*, t. 1. — Jungmann : *de Vera Relig.*, pars I, c. 1, a. 1. — Brugère : *de Vera Relig.*, pars 2. *Notiones praeviae.*)

17. De modernorum incredulorum antichristianismo, utpote aetatis nostrae morbo magis exitiali, accuratius disserendum venit.

## I. INCREDULITATIS HODIERNAE FUNDAMENTALE PRINCIPIUM.

Increduli nominantur ii qui, in negotio religionis, nihil volunt admittere nisi illud quod naturalis ratio, exclusa omni etiam supra-humana auctoritate, ex se intelligit atque demonstrat. Et ideo increduli omnem religionem *rationi modi* supernaturalem, seu positivam, respuunt, etiamsi constaret tantummodo veritatibus capitum intellectus humani non superantibus.

nando. Ad quem finem multae proponuntur observantiae, iis quae apud Christianos vigent aliquatenus similes; v. g.: confessio culparum, directio conscientiae, meditatio vanitatum mundi, etc...

Monachus Buddhista, quem *Bichus* vocant, rigidioribus observantiis subjacet, perfectamque castitatem, rigorosam paupertatem, necnon asperam mortificationem, absque tamen votorum vinculo, custodit.

Simplices autem fideles, *Upasakas* nominati, irreprehensibiliter, quamvis minus rigorose, vivendo, possunt etiam *Nirvana*, sed tardius, attingere. Porro unum e praecipuis operibus *Upasakae* est tribuere eleemosynas monachis.

Praeter abnegationem sui, amor erga homines praescribitur, et unusquisque satagere debet, ut verbis et exemplis caeteros adducat ad assumenda media sese ab existentia liberandi, et ad *Nirvana* perveniendi. Hinc Buddhismus de se tendit ut ubique terrarum propagetur, omnesque populos in unam fidem colligat. Cui propagationi allaborant plurimum monachi Buddhistae libros sacros legendo et explanando.

## II. BUDDHISMUS VULGARIS

16. 1<sup>o</sup> Atheismus qui Buddhismum philosophicum inficit, mox in polytheismum versus est. Etenim Buddha Sakia-Mouni, licet in *Nirvana* sepultus, cultum tamen venerationis et amoris a suis sectatoribus accipit. Insuper, cum eo multi alii coluntur Buddhae, sive anteriores, sive posteriores. Identidem enim, inaequalibus ac longissimis licet intervallis, sibi Buddhae succedunt, et hi omnes jam tanquam veri dii passim a plebe adorantur.

2<sup>o</sup> Adorantur etiam cum Buddhis alia multa entia superiora. Quinimo, ob populorum erga Buddhorum reliquias et imagines devotionem, eorum religio versa est in idololatriam crassam et magicis refertam superstitionibus.

3<sup>o</sup> Fides in *Nirvana* paulatim debilitata est, ita ut Buddhistae jam paucis viris, subtilissimae perfectionis amatoribus, hunc quasi annihilationis statum relinquunt, sibi que finxerint coelos superpositos, in quibus per multa secula sperant se victuros inter delicias sive spirituales, sive etiam sensuales.

## QUAESTIO III<sup>a</sup>

Quaenam dari possit summaria hodiernae Incredulitatis expositio?

(Vide dom Benoît : *des Erreurs modernes*, t. 1. — Jungmann : *de Vera Relig.*, pars I, c. 1, a. 1. — Brugère : *de Vera Relig.*, pars 2. *Notiones praeviae.*)

17. De modernorum incredulorum antichristianismo, utpote aetatis nostrae morbo magis exitiali, accuratius disserendum venit.

### I. INCREDULITATIS HODIERNAE FUNDAMENTALE PRINCIPIUM.

Increduli nominantur ii qui, in negotio religionis, nihil volunt admittere nisi illud quod naturalis ratio, exclusa omni etiam supra-humana auctoritate, ex se intelligit atque demonstrat. Et ideo increduli omnem religionem *rationi modi* supernaturalem, seu positivam, respuunt, etiamsi constaret tantummodo veritatibus capitum intellectus humani non superantibus.

Religio enim positiva auctoritate traditur et fide accipitur, et utrumque incredulis repugnat. Ex hoc capite, hodierna incredulitas jure vocatur *Rationalismus*. A fortiori procul faciunt omnem religionem *ratione obiecti* supernaturalem; quandoquidem nolunt hominem ad finem supra vires et exigentias naturae positum destinari. Ex quo capite, incredulitas jure etiam vocatur *Naturalismus*.

## II. INCRÉDULITATIS HODIERNÆ ORIGO ET GRADUS

18. Incredulitas hodierna sponte ex Protestantismi principii defluit. Cum enim Protestantes extra infallibile magisterium voluerint Scripturam sacram interpretari, non potuerunt, extra idem magisterium, certos fieri de divina Bibliorum inspiratione; ex quo factum est ad rationem privatam pertinere de singulis dogmatibus ferre judicium. (Vide Conc. Vatic. : *De fide catholica, Proæmulum*). Et revera, Protestantibus successere Sociniani, rejicientes revelationem mysteriorum, et dein Rationalistae cujuscumque revelationis hostes.

Sunt tamen in Rationalismo et Naturalismo gradus.

1<sup>us</sup> est eorum qui, suprematiam atque autonomiam rationis supra modum extollentes, absolute contendunt revelationem nequidem possibilem esse, adduntque hominem sibi relictum plane sufficere ad omnis veri et boni consecutionem.

2<sup>us</sup> gradus est eorum qui, necessitatem et possibilitatem revelationis *proprie dictae* impugnantes, contententur tamen per auxilia ordinis naturalis divinam Providentiam hominem excitare, adjuvare et dirigere in religionis cognitione acquirenda.

3<sup>us</sup> gradus est eorum, qui revelationis etiam *proprie dictae* possibilitatem agnoscunt, sed positis quibusdam conditionibus, videlicet : quod Deus singulis immediate revelet, aut saltem quod non revelet mysteria, seu res intellectui impervias, nec addat praecepta positiva legi naturali.

4<sup>us</sup> demum eorum est, qui possibilitatem revelationis *proprie dictae* sine restrictione concedunt, sed tamen nulli religioni revelatae adhaerent, sive quia, de facto, nulla revelatio satis probatur; sive quia, etiamsi probaretur facta, non potuit nobis sub obligatione imponi.

## III. INCRÉDULITATIS HODIERNÆ EXPLICATIONES CIRCA CHRISTIANISMI EXISTENTIAM.

19. In explicando tanti momenti facto increduli non concordant.

1<sup>o</sup> Pseudophilosophi seculi XVIII eo devenerunt impietatis, ut religionem christianam veluti fraude et mendaciis introductam exhiberent; ita Voltarii sectatores. Si hos audias, Moyses, prophetae, Christus praesertim, sunt deceptores. Attamen, juxta quosdam, Christus ipse nemini illudere voluit; imo utrum extiterit incertum. Haec igitur odiosa machinatio ab Apostolis, Romanis Pontificibus et Episcopis orta est; posteaque, faventibus ignorantia populorum et principum tyrannide, infeliciter obtinuit.

2<sup>o</sup> In seculo XIX, increduli existimaverunt Christianismi existentiam et progressus naturaliter explicari posse, quin malam conjurationem interfuisse supponatur.

Itaque, juxta illos, Christus, a quo religio christiana incepit, fuit sane vir ingenio et sanctitate sublimis,

at Deus aut a Deo supernaturaliter missus minime. Ejus doctrina non est ab omni errore immunis, aut posito quod, ut quidam volunt, fuerit absolute vera, in pluribus fuit male intellecta et adulterata. Ecclesia non est instituta a Christo, sed sensim, labentibus annis, hominum consilio efformata; quae multum olim generi humano profuit, sed hodie evolutis jam et satis excultis ingeniis, est inutilis et deserenda.

Si autem ab eis quaeratur undenam haec in Christo virtus, tam eximia proferens dogmata, contendunt ea a veteribus systematibus philosophicis aut religiosis mutuata esse, et in unum sapienter collecta; et insuper recurrunt ad legem progressus continui, vi cujus, spontanea ac necessaria sensus religiosi hominibus innati evolutione, religiones in mundo aliae aliis perfectiores sibi indesinenter succedunt; inter quas maxime enituit christiana, quamvis jam amplius non accommodetur praesentis temporis necessitatibus, et in meliorem, scilicet, in philosophiam mutanda sit.

Restat tamen difficultas haud levis, nempe: narratio evangelica. Nodum solvere conantur, vel dicendo Evangelia esse allegorice intelligenda, vel eorumdem auctoritatem historicam variis modis infirmando, ut infra videbitur.

#### IV. INCREDULITATIS HODIERNAE CIRCA RELIGIONEM NATURALEM PLACITA.

20. Non desunt increduli qui Dei personalis et a mundo distincti existentiam, necnon immortalitatem animae confitentur, et computantur inter Deistas; sed plerique eorum Pantheistae sunt aut Athei.

Juxta Pantheistas: « Nullum supremum, sapien-

« tissimum, providentissimumque Numen existit ab  
« hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est  
« ac rerum natura, et idcirco immutationibus ob-  
« noxius, Deusque reapse fit in homine et mundo,  
« atque omnia Deus est, et ipsissimam Dei habent  
« substantiam, ac una eademque res est Deus cum  
« mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas  
« cum libertate, verum cum falso, malum cum bono  
« et justum cum injusto. » (Syllabus: *prop. 1<sup>a</sup>.*)

Athei omnem Dei existentiam rejiciunt, atque eo usque devenerunt ut, praeter materiam, nihil esse affirmare non erubescant, et ob id *Materialistae* vocantur.

Recentiores tamen *Materialistae* qui *Positivista-  
rum* nomine gloriantur, nihil de Deo affirmare audent; quippe qui arbitrantur nullum dari medium veritates metaphysicas attingendi, sed omnem humanam cognitionem intra limites experientiae sensibilis esse restringendam.

Quae cum ita sint, mirum non est si, inter hodiernos incredulos, multi, consequenter ad sua principia, religionem omnem penitus excludant, et absolutam inviolabilemque proclamaverint singulorum hominum ab omni cujuscumque legis vinculo immunitatem; et, quia societas tum civilis, tum domestica, necnon jus ipsum proprietatis exclusivum huic libertati restrictiones apponant, haec omnia velint penitus tolli; et ideo dicuntur gallice *anarchistes*. « Notre prin-  
« cipe à nous, ait Proudhon, c'est la négation de tout  
« dogme; notre donnée, le néant. Nier, toujours  
« nier, c'est là notre méthode. Elle nous a conduits à  
« poser comme principe en religion l'athéisme; en

« politique, l'anarchie ; en économie politique, la « non-propriété. » (Vide D. Benoît : *Les Erreurs modernes*, t. I., p. 358.)

Caeteri tamen non eo usque progrediuntur, legemque naturalem admittunt ; sed quae a Deo vim suam obligandi sanctionemque minime accipiat, nihilque aliud sit quam rectae rationis dictamen, ab omni doctrina speculativa prorsus independens. Hi etiam consentiunt dari in societate jus imperandi a populi consensu, penes quem stat suprema auctoritas, proveniens, et quod, ubi populi nomine exercetur, nullos patitur limites. Ex hoc fit Statum, ex una parte, esse omnipotentem relative ad singula societatis membra ; sed, ex altera parte, a multitudine omnino pendens, quae delegatam a se potestatem, quoties libuerit, restringere aut etiam auferre potest.

V. INCREDULITATIS HODIERNAE PRACTICA APPLICATIO AD RELIGIONEM.

21. Hodierna Incredulitas, si spectetur in ordine ad praxim, generat primum indifferentiam religiosam, et dein adversus catholicam Ecclesiam inimicitias implacabiles.

1° Certo generat indifferentiam religiosam in individuus ; siquidem eximit ab omni obligatione inquirendi, inter varias religiones, quae sit vera.

At non minus societatis civilis rectores in sua gubernandi ratione facit erga religionem indifferentes. Cur enim societas civilis magis ac individui ad aliquam religionem profitendam teneretur ? Sufficit itaque Principi bonum temporale societatis, per leges congruas ac sapientem administrationem, procurare,

nullo habito ad religionem respectu. Quidquid autem ordinem publicum directe non perturbat ab eo tolerandum est, neque opus est ut uni cultui potius quam alteri patrocinetur.

Hinc summopere refert, ut societas civilis constituatur prorsus extra omnem religionis directionem et impulsu. Quae religionis exclusio a rebus publicis, gallice *la sécularisation*, seu *la laïcisation*, omni conatu procuranda est in legibus, in institutis, in scholis, in administratione et in ipsiusmet beneficentiae exercitio.

2° At praedicta indifferentia religiosa mox in implacabiles contra Ecclesiam catholicam inimicitias desinat necesse est, ob triplicem causam : nam 1° Ecclesia catholica non potest propria jura per nefandam, de quo superius, exclusionem saepius proculcata, non tueri, et exinde oritur conflictus ; 2° cum Ecclesia, juxta incredulos, non sit nisi institutum mere humanum, hinc quibuscumque legibus civilibus, etiam ipsi infensissimis parere tenetur, et ad hoc legitime adigi potest, etiam per corporalem coactionem ; 3° demum nihil laudabilius Rationalistis apparet, quam omnes homines compellere ut tyrannicum auctoritatis religiosae jugum excutiant, et solius rationis naturalis ductum sequantur. Ergo Ecclesia catholica, apud quam potissimum viget principium religiosae auctoritatis, omni studio impugnanda est, juxta effatum celebre : « *Le cléricisme, voilà l'ennemi !* »

Et revera, non semel increduli palam declaraverunt se id intendere, ut, loco Christianismi instituta *massonica* ubique substituantur. Sic legimus in instructione quadam ad praecipuos sectae massonicae duces

nuper directa : « Notre minorité grandissante de-  
« viendra bientôt peut-être la majorité de la nation.  
« Ce jour-là, MM. . . FF. . ., notre œuvre aura vé-  
« ritablement accompli sa destinée. Dans ces édifices  
« élevés de toutes parts, depuis des siècles, aux  
« superstitions religieuses et aux suprématies sacer-  
« dotales, nous serons appelés, à notre tour, à prêcher  
« nos doctrines ; et, au lieu des psalmodies cléricales  
« qui y résonnent encore, ce seront les maillets, les  
« batteries et les acclamations de notre ordre, qui en  
« feront retentir les larges voûtes et les vastes  
« piliers. » (Vide l'*Univers*, édit. semi-quot., 14 juin  
1891.)

Si talia moliantur increduli qui societatem civilem  
servandam volunt, quid illi dicti *anarchistes* omnis  
auctoritatis hostes? Nonne haec legimus in diario,  
cui titulus : *Qui vive?* Londini edito : « Apprenez  
« que nous n'avons plus au cœur que l'idée de la  
« vengeance ; et nous la voulons terrible, exemplaire.  
« Nous faucherons vos têtes, seraient-elles couvertes  
« de cheveux blancs, et cela avec le plus grand  
« calme. Nous n'aurons ni respect, ni pitié ; nous  
« n'aurons que la mort ; la mort, jusqu'à ce que votre  
« race maudite ait disparu à jamais ». (Vide D. Be-  
noît : *Des Erreurs modernes*, t. 1.)

Ex omnibus praedictis concludendum est incredu-  
litate hodiernam, qualem se exhibet, non tam esse  
errorem specialem, quam omnium errorum colluviem,  
et probabiliter supremum atque ultimum inferi contra  
Ecclesiam Christi impetum.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Quaenam veritates praesupponantur disputationibus  
theologicis circa religionem revelatam ?

22. Resp. Sunt multa ad philosophiam naturalem  
spectantia, et quibus, veluti principiis praesuppositis,  
nititur omnis disputatio circa religionem revelatam.  
Ea nunc discutere et explanare non vacat, sed bre-  
viter ad memoriam revocanda. Haec respiciunt :  
1° certitudinem ; 2° Deum ; 3° hominem ; 4° relationes  
inter Deum et hominem.

1° *Circa certitudinem* duo supponimus : 1° exis-  
tere certitudinem, contra Scepticos ; 2° valorem om-  
nium motivorum certitudinis, positis ponendis, spe-  
ciatim vero testimonii humani. Est enim quasi axioma  
saepius, in demonstratione catholica, imo et in uni-  
versa theologia usurpatum, principium sequens : *Ubi  
agitur de facto sensibus obvio, gravis momenti,  
circa quod consentiunt testes numero plures,  
quos constat non habuisse motivum decipiendi,  
aut non potuisse in decipiendo conspirare, de  
hujus facti veritate historica dubitare non licet,  
sive agatur de facto naturali, sive de facto super-  
naturali, sive factum si coevum, sive sit praete-  
ritum, per traditionem oralem, aut per historiam  
aut per monumenta transmissum.*

2° *Circa Deum* tria supponimus : 1° ejus existen-  
tiam contra Atheos ; 2° ejus distinctionem ab univer-  
sitate rerum, contra Pantheistas ; 3° omnia ejus attri-  
buta infinita, praesertim vero : Providentiam qua  
omnes et singulas creaturas ad proprios fines dirigit,  
et Veracitatem qua nec falli nec fallere potest.

3<sup>o</sup> Circa hominem tria supponimus: 1<sup>o</sup> illum habere animam spiritualem et liberam; 2<sup>o</sup> illi inesse innatum atque invincibile felicitatis desiderium a nullo bono creato satiandum, et insuper destinationem socialem qua fit ut, extra aliorum hominum consortium, ad perfectionem sibi debitam non pervenit; 3<sup>o</sup> dari actiones essentialiter malas et prohibitas, et actiones essentialiter bonas, quarum multae sunt de praecepto.

4<sup>o</sup> Circa relationes Deum inter et homines supponitur religionis saltem naturalis necessitas, tum pro individuo, tum pro societate civili. Cum tamen haec veritas intimius connectatur cum dicendis, hinc praeceptas ejus probationes breviter indicabimus.

QUAESTIO V<sup>a</sup>

Utrum homini individuo aliquam religionem profiteri necesse sit?

(Vide Mazella : *De Relig.* disp. 1, art. 2, § 1 et 2.)

23. Resp. Nonnulli increduli Deistae (nam Atheos et Pantheistas praetermittimus) religionem naturalem postponunt, et huic substituere conantur rectae rationis dictamen, ab unoquoque de necessitate sequendum, absque tamen ulla morali relatione cum Deo.

Contra quos statuenda est alicujus religionis necessitas pro homine individuo, sive consideretur in ordine ad Deum a quo dependet, sive in ordine ad societatem cujus est membrum, unde :

24. Dico 1<sup>o</sup> : *Homo individuus, si consideretur in ordine ad Deum a quo dependet, tenetur aliquam religionem profiteri.*

Duplicem invocabimus hominis a Deo dependentiam :

1<sup>am</sup> qua refertur ad Deum tanquam ad suum ultimum finem; 2<sup>am</sup> qua ad illum refertur tanquam ad omnis moralis obligationis fontem; quae utraque dependentia necessitatem religionis inducit.

1<sup>o</sup> Homo individuus tenetur aliquam religionem profiteri propter *suam a Deo, tanquam sine ultimo, dependentiam.*

Sane Deus est noster finis ultimus, sive quia non potuit nos creare nisi propter seipsum, sive quia sola Dei possessione satiatur innatus nobis appetitus felicitatis. Jam vero lex essentialis cujusque entis est ad finem suum ultimum tendere, ut in eo semel obtento, perfectionem sibi propriam et plenam quietem adipiscatur. Tenetur itaque homo individuus ad Deum tanquam ad finem suum ultimum tendere.

Quomodo autem? Evidenter Dei cognitioni intellectum applicando, et per voluntatem operationes exercendo cognitionibus de Deo habitis consentaneas.

Porro Deus a nobis cognoscitur: 1<sup>o</sup> tanquam omnium entium principium et supremus Dominus; et huic cognitioni consentaneum est ipsum summopere venerari, cultumque adorationis ei rependere; 2<sup>o</sup> tanquam magnificus et universalis benefactor; et huic cognitioni consentaneum est Deo gratias agere; 3<sup>o</sup> tanquam eius infinite amabile propter seipsum et nos infinite amans; et huic cognitioni consentaneum est ipsum toto corde ac super omnia diligere; 4<sup>o</sup> tanquam omnium necessitatibus providens; et huic cognitioni consentaneum est ipsum humiliter et confidenter deprecari. Quamvis enim certe percipiamus Deum non posse subsidia corpori et animae necessaria suppliciter petentibus denegare, non constat eum talia non petentibus semper

concedere ; unde non petens voluntarie se iis carendi periculo exponit.

Ergo vi dependentiae, qua homo individuus ad Deum tanquam ad finem ultimum refertur, habet officia erga eum implenda, seu aliqua religio homini individuo necessaria est.

25. 2<sup>o</sup> Idem probatur ex dependentia hominis a Deo, tanquam omnis obligationis fonte.

Obligatio siquidem derivatur a lege, et quidem a lege aeterna et essentiali. Id patet pro obligationibus quae fundantur immediate in essentiis rerum. At non minus certum est quoad obligationes positivas, cum profluant ex hac lege aeterna : *obediendum est superiori legitime praecipienti*. Ergo, seclusa lege aeterna, ruit omnis obligatio. Sed lex ipsa non concipitur sine legislatore cujus voluntati nostra subiaceat, et qui suis legibus convenientem addat sanctionem. Itaque lex aeterna supponit legislatorem aeternum et necessarium, qui non est nisi Deus. Omnis igitur obligatio a Deo derivatur. Ergo in omni lege conscientiam obligante, involvitur vinculum morale hominem cum Deo ligans, neque datur propria obligatio, quae non sit essentialiter et fundamentaliter religiosa.

Hinc apposite dixit DD. d'Hulst. (*Carême de 1891, 4<sup>e</sup> conf.*). « Une fois en possession du vrai Dieu, nous ne serons plus embarrassés pour justifier le caractère obligatoire du bien moral. En Dieu, toutes les essences trouvent leur support, toutes les existences leur cause. Quand il crée, c'est pour réaliser hors de lui ce qu'il voit en lui-même. Et comme la pensée divine est la raison de l'ordre, la volonté divine est

« la cause qui l'actualise. Dieu veut que l'ordre soit respecté ; Dieu fait prévaloir cette volonté par la contrainte dans la création inférieure ; dans le domaine du libre arbitre, il entend qu'elle se fasse obéir par l'intimation du devoir. — Si vous me demandez : Le fondement de l'obligation est-il une raison ou un précepte ? je répondrai : C'est d'abord une raison ; car un précepte sans raison serait un caprice, une tyrannie... Mais cette raison idéale est mise en rapport avec moi par une volonté vivante et souveraine qui m'intime la loi. L'entendement divin, lieu des essences, est la source du devoir ; le vouloir divin, principe des existences, est l'agent efficace qui me place, en me créant, sous la domination du devoir. »

Frustra autem adversarii rectae rationis dictamen, absque ullo respectu ad legislatorem Deum, sufficere contendunt ut conscientia obligetur. Obligatio enim, in suo conceptu, essentialiter involvit relationem quamdam inferioris ad superiorem, qui imperium exerceat, voluntatem suam intimet, provideatque ut ad obediendum, praemiis ac poenis propositis, inferior satis incitetur. Atqui ratio non est homini superior, ita ut supra ipsum imperium verum exerceat, obligationemque gignat, et sanctionibus communiat. Ipsius est solummodo obligationem, tanquam independentem ab ipsa existentem, agnoscere et promulgare, non vero producere. Unde rationis dictamen, seclusa Dei legislatoris idea, non exhibet nisi objectivam quamdam et abstractam honestatem qua conscientia minime ligaretur.

De caetero, lex moralitatis, qualem sibi fingunt



Rationalistae, nullam habere potest sanctionem, praeter conscientiae testimonium, aut alia bona et mala vitae praesentis. Atqui prorsus insufficiens est utraque sanctio.

Conscientiae testimonium, remoto Deo legislatore et iudice, ut merum habeatur praejudicium. Insuper ea sanctio eo minus est efficax quo magis necessaria, siquidem qui magis obstinate peccant, minus experiuntur conscientiae remorsus. Ergo non sufficit. « A qui pourrait-elle suffire ? ait DD. d'Hulst. (*Ca-  
« rême de 1891, 5<sup>e</sup> conf.*) Aux âmes d'élite tout au  
« plus ; car elles seules ressentent assez vivement le  
« plaisir de bien faire ou la douleur de pécher. Si vous  
« descendez vers les âmes vulgaires, le sentiment  
« moral s'émousse ; si vous poussez jusqu'aux âmes  
« viles ou gâtées par l'habitude du mal, la conscience  
« semble oblitérée. Elle n'est pas détruite, car une  
« éducation appropriée peut la faire revivre ; mais  
« elle est muette et sans influence sur la conduite. —  
« Voilà donc une sanction destinée à fortifier la vo-  
« lonté défaillante, et qui n'a toute son efficacité que  
« sur les volontés fortes. A mesure qu'elle deviendrait  
« plus nécessaire, elle deviendrait plus impuissante.  
« C'est le grand nombre qui aurait surtout besoin de  
« son secours, et elle n'est accessible qu'aux belles  
« âmes. »

Bona autem et mala hujus vitae nec ita commovent, ut passionum impetum valeant cohibere, nec singulis, juxta uniuscujusque meritum aut demeritum contingere solent. Ergo extra religionem non datur legis sanctio sufficiens. Ergo iterum extra religionem perit moralitas. Homo itaque individuus, spectata

ipsius *dependentia a Deo tanquam sine ultimo, necnon obligationis fonte*, aliquam profiteatur religionem est necessarium.

26. Dico 2<sup>o</sup> : *Homo individuus, si consideretur in ordine ad societatem cujus est membrum, tenetur aliquam religionem profiteri* ; id est : absque religione, destinationem suam sociale mullatenus implere potest.

Probatur 1<sup>o</sup> *necessitate officiorum socialium*, 2<sup>o</sup> *populorum consensu*.

1<sup>o</sup> *Necessitate officiorum socialium*.

Nam, ut subsistat societas, requiritur vis aliqua homines inducens ad socialium officiorum impletionem. Atqui vis illa tota oritur ab aliqua lege aeterna, dicente servandas esse omnes leges humanas justas, pactaque socialia fideliter esse exsequenda. Sed, ex probatis supra, lex aeterna essentialiter involvit religionem, seu vinculum morale homines cum Deo ligans. Ergo.

Aliunde, religionis defectu, duplex tantum assignari potest causa homines determinans ad obsequia socialia sibi mutuo praestanda, nempe : aut *propria utilitas*, aut *externa coactio*. Porro neutra satis efficax videtur.

a) *Non propria utilitas* ; sive quia nonnunquam necessarium est propriam utilitatem bono publico postponere ; sive quia quidquid in praxi aliquatenus gravat, facile judicatur propriae utilitati contrarium.

b) *Non externa coactio* ; ad hoc enim necessarium foret ut ii quibus incumbit delicta externis poenis cohibere, semper vellent et possent officio suo rite fungi. At, si non credant se erga Deum vinculo reli-

gionis obstrictos, saepe nolebunt munus suum adimplere; quotiescumque enim id sibi utile judicaverint, reos relinquent impunitos, vel innocentes condemnabunt. Insuper, dato quod velint malefactores reprimere, saepe saepius accidet vel crimina socialia in foro externo non probari, vel legum violatores multis mediis vindictam publicam effugere. Ergo non magis externa coactio quam propria utilitas homines sufficienter inducit ad officia socialia implenda. Ergo ex necessitate officiorum socialium, constat hominem individuum ad religionem teneri.

2<sup>o</sup> Idem constat ex *populorum consensu*. Omnes siquidem populi, qui societatem aliquam in statu normali constituunt, agnoscunt religionis necessitatem, et religionem aliquam profitentur. Talis autem unanimitas tribui non potest praepudicium quae universalis et perpetua non sunt, nec cupiditatibus quae potius religionis jugum aversantur. Est ergo veritatis indicium.

27. Dico 3<sup>o</sup>: *Ex dictis sequitur Deo ab homine individuo deberi cultum sive internum sive externum.*

Cultus, prout hic sumitur, nihil aliud est quam religionis exercitium. Est autem *internus* aut *externus*. Prior actibus intellectus et voluntatis Deo rependitur; posterior corporis ministerio per actus sensibiles.

Sane, probata religionis necessitate, constat necessitas illam exercendi, seu necessitas cultus. At statuendum est nec cultum externum nec internum sufficere, sed utrumque requiri.

1<sup>o</sup> *Non sufficit cultus externus, sed requiritur internus*; id est: non satis est ut homo velit ponere

actus externos Deo honorificos, sed necesse est ut mens interne virtutum, quarum actiones externas ponit, honestatem amplectatur.

Etenim 1<sup>o</sup> multa sunt Deo exhibenda officia, quae in hisce interioribus mentis sensibus consistunt, puta: adoratio, amor, gratiarum actio, etc.

2<sup>o</sup> Praeterea, actus virtutum mere exteriores, seu absque mentis interiori assensu positi, Deum non honorant, hominemque non religiosum, sed hypocritam efficerent; et ideo cultus mere externus esset corpus sine anima.

2<sup>o</sup> *Non sufficit cultus internus, sed externus requiritur.*

Etenim 1<sup>o</sup> per religionem designatur summa officiorum quibus tota hominum vita dirigitur. Porro, inter officia hujusmodi, multa ordinant vitam exteriorem, v. g. succurrendum esse proximo indigenti.

2<sup>o</sup> Praeterea, homo totus, prout constans corpore et anima, has habet cum Deo relationes ex quibus fluit necessitas religionis. Ergo homo totus, id est, operationibus animae et corporis, Deum colere tenetur.

3<sup>o</sup> Insuper, homo sensibus alligatus et corpore onustus, ad objecta mere spiritualia attentionem suam diutius non retinet, nisi rebus et signis sensibilibus adjuvetur. Ergo cultus externus interno necessarius est.

QUAESTIO VI<sup>a</sup>

Utrum societas civilis ipsa religionem profiteri teneatur?

28. Resp. *Affirmative*, contra nonnullos, recentioris praesertim aevi, incredulos, qui contenderunt finem societatis civilis absque ullius religionis per so-

cietatem ipsam professione, sed per solum honestatis naturalis amorem posse obtineri, imo et neglectum religionis socialis maxime conducere ad societatis bonum.

Cujus doctrinae falsitas aperte quidem sequitur ex obligatione religionis pro homine individuo superius demonstrata; sed insuper ostendi potest 1° *ex ipsamet societatis civilis conditione*, 2° *item ex conditione eorum qui societati civili praesunt*.

**Dico 1°:** *Ipsamet societatum civilium conditio religionis socialis necessitatem adstruit.*

Unaquaeque enim societas civilis spectari potest vel *in ordine ad Deum a quo dependet*, vel *in ordine ad caeteras societates cum quibus relationes habet*. Jam vero, sub utroque respectu, vinculo religioso adstringitur.

Et 1° quidem considerata *in ordine ad Deum a quo dependet*, habet officia erga eum adimplenda. Deus sane, sicut individuorum, ita et societatum civilium est auctor, provisor, benefactor et finis. Ipse, homini infundendo aptitudines et inclinationes sociales, societatum civilium fundamenta jecit, ipse eas Providentia sua curat et regit, ipse eis beneficia elargitur et ad seipsum tanquam ad finem ultimum ac necessarium, non minus ac caeteras res creatas, ordinat. Ergo, sicut individui, ita et societates civiles tenentur Deum tanquam conditorem ac supremum Dominum agnoscere, revereri, ab eo gratias suppliciter postulare, ipsi pro acceptis beneficiis benedicere, ejusque honorem et gloriam pro modo suo procurare.

2° Eadem religionis obligatione devincitur una-

quaeque societas civilis, spectata *in ordine ad caeteras societates*.

Habet enim, ut talis, officia quaedam erga illas, videlicet: officia benevolentiae, justitiae, fidelitatis in pactis internationalibus observandis, etc. Sed, ut jam diximus, ubi deficit religionis vinculum, nulla datur nec dari potest vis, ad officiorum qualiumcumque impletionem sufficienter inducens: et ideo, ut nimis luctuosa constat experientia, quo magis populi hoc salutari religionis freno carent, eo magis, in mutuis suis relationibus, ad suum temporale et politicum commodum unice respiciunt, et turpem sequuntur machiavelismum.

Ergo 1° *ex societatum civilium conditione* evincitur religionis socialis necessitas.

**29. Dico 2°:** *Eadem religionis socialis necessitas desluit ex eorum conditione qui societatibus civilibus praesunt.*

In sententia adversariorum, ii qui societatibus civilibus praesunt, quamvis erga Deum obligarentur tanquam personae privatae, ab eo tamen non penderent quatenus superiores, seu personae publicae. Atqui illud prorsus repugnat ex tribus:

1° *Ex ipsismet officiis socialibus*. Nam, sicut jam supra dictum est, unumquodque societatis membrum habet officia socialia quibus implendis, absque religionis stimulo, omnino impar invenitur; ergo a fortiori idem religionis stimulus necessarius est rectori, qui non est societatis membrum humile, sed rationem gerit capitis, et cujus ideo officia socialia sunt multo praestantiora et graviora; et haec religionis necessitas, pro principibus, eo magis urget, quo facilius ex parte

caeterorum hominum impunitatem sibi promittere possunt, quando potestate sua male utuntur.

2° *Ex sine proximo auctoritatis civilis.* Finis ille est felicitas civium temporalis, non qualiscumque, sed vera et legitima; atqui vera et legitima felicitas ea est quae virtuti colendae inservit, et ad finem ultimum, Deum scilicet assequendum, confert. Unde princeps temporalis suum regimen ordinare tenetur, ad rectam religionis per singulos individuos observationem. At, posito quod princeps, ut talis, nulla erga Deum religionis obligatione teneatur, jam, nullo habito ad religionem respectu, poterit suam exercere auctoritatem. Ergo haec auctoritas sine suo legitimo et necessario frustrabitur.

3° *Ex luctuosis consecrariis.* Nam, ubi rectores societatum civilium censebuntur, ut tales, religiose erga communitatem non obligati, subditi illico sibi persuadebunt se nullatenus religiose ad legum observantiam teneri; et inde quot malorum fons scaturiet! Quinimo, nemo non videt praelaudatam socialem et politicam indifferentiam, quasi naturali pondere, indifferentiae pestem in ipsis individuis generare. Et haec est praecise ratio cur increduli, cum viderent se non posse via directa sensum religiosum in individuum cordibus exstinguere, ad id via indirecta pervenire conati sunt, publicam religionis professionem evertendo.

30. Dico 3°: *Ex dictis sequitur non sufficere cultum privatum, sed publicum requiri.*

Cultus *privatus* ille est qui uniuscujusque individui nomine rependitur; cultus *publicus* nomine totius societatis, sive fiat in secreto, sive non.

Constat thesis: 1° *Ex necessitate jam probata religionis socialis*: cultus enim publicus nihil aliud est quam religionis socialis exercitium.

2° *Experientia* juxta quam compertum est absque cultu publico privatum frigescere.

## DE VERA RELIGIONE

### PARS PRIMA

#### DE RELIGIONE REVELATA IN GENERE

31. Quatuor expendenda veniunt: 1° revelationis possibilitas; 2° revelationis necessitas; 3° revelationis inquirendae obligatio et modus; 4° revelationis notae. Unde tot erunt dissertationes.

### DISSERTATIO PRIMA

#### DE REVELATIONIS POSSIBILITATE

Exposita breviter natura revelationis, vindicanda est ejus possibilitas adversus incredulos, quorum, ut vidimus, alii revelationem in se repugnare contendunt, alii dicunt repugnare ratione modi, id est, si fiat mediate, alii volunt repugnare ratione objecti, id est, si fiat mysteriorum aut praeceptorum legi naturali superadditorum. Et ideo quaeruntur quatuor:

008303

caeterorum hominum impunitatem sibi promittere possunt, quando potestate sua male utuntur.

2° *Ex sine proximo auctoritatis civilis.* Finis ille est felicitas civium temporalis, non qualiscumque, sed vera et legitima; atqui vera et legitima felicitas ea est quae virtuti colendae inservit, et ad finem ultimum, Deum scilicet assequendum, confert. Unde princeps temporalis suum regimen ordinare tenetur, ad rectam religionis per singulos individuos observationem. At, posito quod princeps, ut talis, nulla erga Deum religionis obligatione teneatur, jam, nullo habito ad religionem respectu, poterit suam exercere auctoritatem. Ergo haec auctoritas sine suo legitimo et necessario frustrabitur.

3° *Ex luctuosis consecrariis.* Nam, ubi rectores societatum civilium censebuntur, ut tales, religiose erga communitatem non obligati, subditi illico sibi persuadebunt se nullatenus religiose ad legum observantiam teneri; et inde quot malorum fons scaturiet! Quinimo, nemo non videt praelaudatam socialem et politicam indifferentiam, quasi naturali pondere, indifferentiae pestem in ipsis individuis generare. Et haec est praecise ratio cur increduli, cum viderent se non posse via directa sensum religiosum in individuum cordibus exstinguere, ad id via indirecta pervenire conati sunt, publicam religionis professionem evertendo.

30. Dico 3°: *Ex dictis sequitur non sufficere cultum privatum, sed publicum requiri.*

Cultus *privatus* ille est qui uniuscujusque individui nomine rependitur; cultus *publicus* nomine totius societatis, sive fiat in secreto, sive non.

Constat thesis: 1° *Ex necessitate jam probata religionis socialis*: cultus enim publicus nihil aliud est quam religionis socialis exercitium.

2° *Experientia* juxta quam compertum est absque cultu publico privatum frigescere.

## DE VERA RELIGIONE

### PARS PRIMA

#### DE RELIGIONE REVELATA IN GENERE

31. Quatuor expendenda veniunt: 1° revelationis possibilitas; 2° revelationis necessitas; 3° revelationis inquirendae obligatio et modus; 4° revelationis notae. Unde tot erunt dissertationes.

### DISSERTATIO PRIMA

#### DE REVELATIONIS POSSIBILITATE

Exposita breviter natura revelationis, vindicanda est ejus possibilitas adversus incredulos, quorum, ut vidimus, alii revelationem in se repugnare contendunt, alii dicunt repugnare ratione modi, id est, si fiat mediate, alii volunt repugnare ratione objecti, id est, si fiat mysteriorum aut praeceptorum legi naturali superadditorum. Et ideo quaeruntur quatuor:

008303

QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quid et quotuplex sit revelatio?

32. Resp. 1<sup>o</sup> Revelatio in genere: 1<sup>o</sup> si spectetur vocis etymologia, est *remotio veli*; 2<sup>o</sup> si spectetur litteralis significatio vocis, est *manifestatio rei occultae*; 3<sup>o</sup> si spectetur id quod ex communi sensu per hanc vocem significatur, est *declaratio veritatis alicujus* vel illam ignorantem manifestans, vel illam jam cognoscenti nova ratione aperiens.

Resp. 2<sup>o</sup> Revelatio multipliciter dividitur:

1<sup>o</sup> in *humanam* et *divinam*, prout fit per hominem aut per Deum.

2<sup>o</sup> Revelatio divina alia est *naturalis*, alia *supernaturalis*.

a) Revelatio divina *naturalis* locum habet dum, per exercitium virium intellectualium quae naturae insunt, ex rebus creatis assurgimus ad Dei cognitionem, aliarumque veritatum quas ex illis lumine naturali eruimus.

b) Revelatio divina *supernaturalis* est quae fit praeter hunc ordinem, seu praeter debitum humanae naturae; et hoc diverso modo contingere potest, scilicet: per lumen gloriae in coelis, et de illa ibi non agitur; aut per aliud lumen indebitum, sed quod non est formalis Dei locutio, et ideo non obligat ad credendum propter auctoritatem Dei hic et nunc loquentis; quod lumen consistit, vel in illustrationibus gratiae praevenientis, vel in cognitione miraculose infusa, sed in se actibus naturalibus acquisibili, v. g., si quis a Deo theologiae scientiam absque praevio

studio acciperet. Nec etiam de hujusmodi revelatione nunc agimus.

Sed revelationem divinam *supernaturalem* proprie dicimus, hanc quae habetur per lumen aliquod veritatem manifestans ex Dei hic et nunc loquentis auctoritate credendam, seu quae habetur per formalem Dei locutionem. Locutio autem Dei formaliter sumpta, est manifestatio conceptus divini, et mediante hoc conceptu, veritatis per illum repraesentatae, ad creaturam rationalem specialiter directa. Omnis quippe locutio immediate ordinatur ad manifestandum loquentis conceptum alicui enti intelligenti. Deus igitur, loquendo, immediate proprium conceptum nobis declarat; sed quo fine? Certe ut nostrum conceptum suo conformemus, et veritatem per suum conceptum repraesentatam credamus, quia ipse est summe verax qui nec falli nec fallere potest.

Revelatio sic intellecta adhuc subdividitur in *immediatam* et *mediatam*.

Est *immediata*, quando Deus per se, vel saltem sine intermedio hominis alicujus, loquitur. Licet enim per Angeli intermedium loqueretur, revelatio censeretur immediata. Est *mediata*, quando Deus nobis loquitur per hominis, qui immediate revelationem accepit, intermedium.

Revelatio immediata subdividitur etiam:

1<sup>o</sup> in *pure intellectualem*, ubi solummodo adhibetur lumen mentem interius illustrans, quo locutio divina percipitur.

2<sup>o</sup> in *non pure intellectualem*, ubi, scilicet, praefato lumini adduntur adjumenta quaedam, nempe: aut forma aliqua sensibus externis apprehensa, v. g.

voces articulatae, vel repraesentationes corporales, et tunc dicitur revelatio *sensitiva*; aut forma quaedam imaginaria sensus externos non afficiens, et tunc dicitur revelatio *imaginaria*.

Resp. 3<sup>o</sup>. Revelatio ergo supernaturalis, quam hic et nunc intendimus, definiri potest: 1<sup>o</sup> *subjective*: alicujus veritatis manifestatio a Deo homini per locutionem formalem mediate aut immediate facta; 2<sup>o</sup> *objective*: ipsa veritas aut veritatum complexio per formalem Dei locutionem manifestata.

QUAESTIO II<sup>a</sup>

Utrum possibilis sit revelatio supernaturalis in se sumpta, seu, saltem immediata?

33. Resp. Videri potest quod non.

Etenim 1<sup>o</sup> Deus, infundendo rationis lumen, statuit ut hac via ad veritatis cognitionem homo perveniat. Atqui hunc ordinem mutando secum pugnat. Ergo non potest velle ut homo alia via veritatis cognitionem adipiscatur.

2<sup>o</sup> Praeterea, Deus non multiplicat media cognitionis sine ratione, cum agat semper viis simplicissimis. Atqui ad homines instruendos rationem naturalem, uti medium prorsus idoneum, ordinavit. Ergo sine causa alio medio, videlicet revelatione, uteretur.

3<sup>o</sup> Praeterea, rationi naturali jus inalienabile competit contradicendi doctrinae, quoties repugnantiam aliquam in ea percipere existimat. At adhaerendo alicui doctrinae tanquam a Deo revelatae, praedicto juri renuntiaret Ita J. Simon (*La religion naturelle. — Préf.*)

4<sup>o</sup> Praeterea, Deus non potest quod divinam ipsius dedecet majestatem. Sed divina majestate indignum videtur creaturas tam miseris alloqui.

5<sup>o</sup> Praeterea, ut ait Straussius, quum essentia animi consistat in activitate, patiens cogitari nequit, nisi simul, sub alio respectu agens sit; id est: absoluta passio in animo humano admitti non potest, et quivis conceptus qui hanc implicat necessario falsus est. Jam vero supposita revelatione, id est, operatione immediata Numinis in animum humanum, huic absoluta passio tribuenda est. Etenim, Ens summum necessario erit summe activum; proinde huic summae activitati in homine omnimoda passivitas respondebit.

34. Sed contra dico: *Revelatio supernaturalis in se sumpta, seu saltem immediata, possibilis est.*

*Est de fide*, quia definita a concilio Vaticano, sess. 3. De Revel. can. 2: « Si quis dixerit fieri non posse aut « non expedire ut, per revelationem divinam, homo « de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema « sit. » Sic contra incredulos de quibus supra, et qui omnem revelationem supernaturalem tanquam impossibilem rejiciunt.

Et revera, repugnantia, si quae esset, oriretur vel ex parte Dei revelantis, vel ex parte hominis revelationem accipientis: atqui nullum ex his duobus dici potest.

1<sup>o</sup> *Non repugnat ex parte Dei revelantis.* Revelatio enim est formalis Dei locutio, seu manifestatio conceptus divini ad hominem specialiter directa. Atqui Deo nec medium, nec motivum deest suos nobis conceptus manifestandi. Non medium: quia cum homini dederit facultatem proprios manifestandi

conceptus, quomodo illa carere possit? Non motivum: siquidem revelatio in Dei gloriam hominisque utilitatem cedit.

2° *Non repugnat revelatio immediata ex parte hominis eam accipientis.*

Non repugnat enim 1° hominem accipere cognitionem veritatis, cum sit facultate cognoscendi praeditus. — 2° hominem hanc accipere a Deo per formalem locutionem, nam ab aliis hominibus per locutionem formalem saepe eruditur; cur non erudiretur a Deo? — 3° hominem sic eruditum certo conscium fieri de acceptae locutionis origine divina. Multoties enim cognitionum suarum adventitiam originem perspicit, et affirmat, absque ulla haesitatione, se talem veritatem aut per oralem institutionem, aut per librum, aut per experientiam, aut per reflexionem didicisse. Quidni affirmare poterit Deum sibi esse locutum? Ergone Deo difficile erit homini quem alloquitur infundere firmam et invincibilem persuasionem de locutionis divinitate? De caetero, revelatio religionis, cum ad aliorum utilitatem fiat, semper a Deo talibus insignitur notis, quibus evidenter patet hanc esse vere divinam, et de hisce notis infra latius erit agendum.

Sic igitur respondendum ad ea quae objiciuntur n. 33.

35. *Ad 1.* Deum secum nullatenus pugnare, ubi luminis naturalis beneficio addit lumen revelationis supernaturalis. Ratio enim naturalis possibilitatem revelationis supernaturalis convenientiamque ipsa percipit; ac proinde Deus revelando secum non pugnat, quatenus est rationis naturalis auctor.

36. *Ad 2.* Deus sapientissimas habere potest ra-

tiones intellectum naturalem, valde debilem et obscuratum, superioris luminis subsidio augendi et corroborandi.

37. *Ad 3.* Ubi ratio doctrinae certo revelatae adhaeret, jam non est locus abdicandi jus contradictionis. Jus enim illud est prorsus chimaericum; cum ratio, semel certiorata de veritate revelationis, clare videat religionem sic manifestatam nihil falsi continere posse. Ergo debitum nunquam contradicendi doctrinae revelatae, non ex abdicatione juris oritur, sed ex ipsamet certitudinis lege.

38. *Ad 4.* Non dedecuit Deum hominem non existentem creare; cur dedeceret eum jam existentem supernaturaliter illuminare, ac praesertim ei revelare qua via suum Conditorum glorificare et assequi valeat?

39. *Ad 5.* Ea est divini Entis infinita activitas, quae omnis creatae activitatis sit principium. Unde, nedum propriam intellectus creati activitatem, quae omni cognitioni inest, operatio divina immediata excludat, hanc potius producit, complet atque perficit; Deus enim in animum agit modo naturae ejus conformi.

QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum possibilis sit revelatio supernaturalis mediata?

40. *Resp.* Videri potest quod non.

Etenim, Deus non potest hoc modo revelare quo: 1° homines cogere ad investigationes plerisque impervias; 2° plerumque incerti forent de religione revelata; 3° et quasi necessario religionis depositum, labentibus annis, adulteraretur. Atqui, posita revelatione mediata:



1° Homines tenerentur investigare: an revera extiterint ii quibus dicitur revelationem immediate factam esse, an non fuerint decepti aut deceptores, et an veritates eis manifestatae fideliter transmissae fuerint. Sed hujusmodi investigationes plerisque sunt imperviae.

2° Difficillimum erit, iis etiam qui praedictas investigationes peragere poterunt, ad optatam veritatis certitudinem pervenire; et haec difficultas, ut patet, labentibus annis, quotidie major et insuperabilior efficitur.

3° Tandem, depositum revelationis, sic hominum custodiae traditum, quasi necessario, temporum decursu, adulterabitur, propter ingeniorum debilitatem, rationis superbiam et passiones indomitas. Ergo vel Deus non revelat, vel immediate revelat.

41. Sed contra dico: *Revelatio mediata non repugnat; imo gravissimis rationibus commendatur.*

Prob. 1<sup>a</sup> pars: *Non repugnat.*

Ostenditur evertendo fundamentum adversariorum. Ad hoc enim sufficit ut, non obstante revelatione mediata, religionis revelatae certa cognitio satis omnibus evadat obvia, et ut sufficienter ejus integrae conservationi provideatur. Atqui utrumque constat.

1° Revelationis etiam mediatae certa cognitio satis omnibus obvia esse potest. Nam 1° facta quibus innoscit possunt esse publica, innumera, obvia, splendida, monumentis notissimis et maxime authenticis consignata. Tunc autem quilibet vir, saltem mediocriter doctus, absque difficultate comperiet ea esse quolibet alio facto historico certiora; et haec notitia moti-

vorum credibilitatis, apud rudes et indoctos, facili negotio, doctorum ope, diffundetur; quinimo, prae laudata factorum jam diu praeteritorum inquisitio et ponderatio minime necessariae sunt; quia Deus, omni tempore, suam religionem talibus signis condecorare potest, quae intuentium oculos actualiter ac vivide afficiant, et omnes; qui recto sunt corde, ad obsequium fidei redigant, quin rationabiliter dubitandi locus ipsis relinquatur; quod satis constat quotidiana fidelium catholicorum experientia.

2° Deus providere potest ut revelatio, etiam mediata, fideliter et integre cunctis transmittatur; quia evidens est hoc divinam potentiam non superare. Et revera, multiplex indicatur medium talem finem obtinendi, nempe: 1° si veritates transmittendae in traditionibus populorum constanter et patenter, Deo sic providente, retineantur; 2° si Deus identidem suscitet viros extraordinarios, qui has veritates, ubi opus est, hominum memoriae revocent, et suam divinam missionem signis indubiis probent; 3° demum et praesertim, si Deus instituat publicum ac perpetuum in mundo magisterium dono infallibilitatis praeditum, quo veritates revelatae indesinenter praedicentur, et errores insurgentes comprimantur.

Ergo immerito dicunt increduli revelationem mediatam, temporum lapsu, necessario fieri incertam, atque adulterandam esse. Non repugnat igitur revelatio mediata.

Prob. 2<sup>a</sup> pars: *Revelatio mediata gravissimis rationibus commendatur.*

1° Melius accommodatur indoli hominum, qui apud alios doctiores confugere amant ut instruantur.

2º Instinctum sociale, religionis exercitio maxime congruum, plurimum fovet.

3º Efficacius fanaticismo praecludit viam. Si enim Deus semper homini cui revelat immediate loquatur, multi se ab eo supernaturaliter illuminatos fuisse imaginabuntur, nec falsitatis ab aliis argui poterunt.

4º Innumera praecavet flagitia, illorum, scilicet, qui, sub praetextu revelationis, sua scelera cohonestare vellent.

QUAESTIO IVª

Utrum possibilis sit revelatio mysteriorum, necnon praeceptorum legi naturali superadditorum?

42. Resp. *Mysterium est veritas, seu res sive existens, sive non, sed intrinsece possibilis, et cujus possibilitatem intrinsecam naturaliter percipere non possumus; sic, v. g., Incarnatio, etiamsi non existeret, esset mysterium. Econtra, factum cujus veritas per rationem naturalem est indemonstrabilis, non est ideo mysterium, quia ejus possibilitas intrinseca nonnunquam naturaliter percipitur; v. g. auctoritas papalis, aut futuritio alicujus liberi.*

43. Quo posito, videri potest quod revelatio restringi debeat ad veritates et praecepta quae sola ratione naturali percipiuntur.

Etenim 1º proprium intellectus objectum est verum universale. Hinc quidquid habet rationem veri continetur sub objecto adaequato intellectus humani. Ergo quaecumque possibilitas intrinseca, cum rationem veri essentialiter habeat, ab intellectu humano attingi potest, seu, non dantur mysteria.

2º Praeterea, mysterium esset aliquid superintel-

ligibile, ac proinde non haberet cum intellectu proportionem. Ergo non est aliquid verum, siquidem veritas dicatur per relationem ad intellectum. Ergo iterum non dantur mysteria.

3º Praeterea, mysteria, cum sint supra rationem, jam non sunt rationi conformia. Atqui Deus vult hominem judicare de rebus juxta dictamen rationis. Non potest igitur exigere ut ratio assentiat mysteriis. Ergo mysteria, posito quod existerent, non essent revelabilia.

4º Praeterea, mysteria sunt veritates inintelligibiles; sed propositiones quibus enuntiantur veritates inintelligibiles nullam menti nostrae ideam exhibent, ac proinde nihil patefaciunt. Unde patet mysteriorum, etiamsi darentur, revelationem nullius fore utilitatis.

5º Praeterea, per solam legis naturalis observationem homo attingit omnem perfectionem naturae suae consentaneam. Ergo Deus illi non revelat praecepta positiva.

44. *Sed contra dico 1º: Dantur mysteria in ordine veritatum religiosarum.*

*Est de fide, ex conc. Vatic. sic definiente (sess. 3, de fide et rat. can. 1): « Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit. »*

*Prob. 1º ex perfectione divini intellectus.*

Intellectus divinus perfectione sua infinite superat quemlibet intellectum creatum; ad plura igitur se extendit; sunt itaque veritates intellectui divino perviae, quae omnem intellectum creatum effugiunt.

*Prob. 2º ex natura possibilitatis intrinsecae.*

Percipere alicujus rei possibilitatem intrinsicam est cognoscere essentiam divinam, quatenus tali modo et gradu est communicabilis et imitabilis ad extra. Ergo qui rei cujuscumque posset naturaliter percipere possibilitatem intrinsicam, haberet capacitatem intellectivam proportionatam cognitioni essentiae divinae, secundum omnes modos et gradus quibus est ad extra communicabilis et imitabilis, seu haberet capacitatem infinitam. Ergo nullus intellectus creatus potest cujuscumque rei naturaliter percipere intrinsicam possibilitatem, seu, dantur mysteria.

Prob. 3<sup>o</sup> *ex natura conceptuum quibus Deum apprehendimus.*

Certe sola ratione cognoscimus Deo competere omnes perfectiones creaturarum. At modus quo hae perfectiones ipsi conveniunt est prorsus omni intellectui creato naturaliter impervius. Conceptus enim quos sibi omnis intellectus creatus naturaliter efformat de perfectionibus divinis, desumuntur ex perfectionibus creaturarum, siquidem nonnisi ex creaturis Deus naturaliter cognoscitur; sed perfectiones quas percipimus in creaturis Creatori conveniunt modo essentialiter diverso, et ideo de perfectionibus divinis non habemus nisi conceptus *analogicos*, quibus impossibile est repraesentari modus singularis quo illas perfectiones Deus possidet; ille igitur modus est cui libet intellectui creato naturaliter investigabilis. Hinc, quamvis naturaliter sciamus, v. g., Deum esse bonum et justum, simplicem et immensum, liberum et immutabilem, etc., attamen qua ratione illa attributa in Deo reperiantur et inter se concilientur, naturaliter scire haud possumus.

Insuper, Deus naturaliter non cognoscitur nisi ut creaturarum causa. Est autem causa creaturarum quatenus omnipotens, seu quatenus est unus in natura, non quatenus est trinus in personis. Trinitas igitur personarum non est naturaliter cognoscibilis. Ergo si constet, ut theologi invicte probant, revelatam fuisse Trinitatem personarum in Deo, jam certum est dari mysteria.

Prob. 4<sup>o</sup> *exemplo aliarum scientiarum.*

Singulae scientiae sua habent mysteria. Quot sunt enim, vel in rebus creatis, certo admittenda, occulta tamen intima eorum ratione, quamvis a longo seculorum tractu, praeclara ingenia iis explicandis totas animi vires applicuerint! A fortiori, existunt mysteria in religione, quae circa Deum resque divinas versatur.

45. Dico 2<sup>o</sup>: *Mysteria sunt revelabilia.*

*Est de fide*, juxta definitionem conc. Vatie. supra allatam.

Prob. — Ideo mysteria non essent revelabilia, quia Deus careret aut medio, aut jure, aut motivo revelandi mysteria. Atqui nihil horum Deo deesse potest.

1<sup>o</sup> *Non deest Deo medium revelandi mysteria.*

Etenim, ad cognitionem alicujus mysterii sufficit ut in propositione qua enuntiatur, intelligamus quid significet subjectum, quid significet attributum, et certi simus attributum convenire subjecto, quamvis nos lateat nexus intrinsicus utriusque termini. Atqui illud certe non est impossibile. Sic v. g. in hac propositione: *Deus est homo*; novimus quid designatur per vocem *Deus*, quid per vocem *homo*; et, ubi haec eadem propositio nobis, propter Dei revelantis aucto-

ritatem, credenda proponitur, jam certi sumus attributum *homo* cum subjecto *Deus* convenire, quamvis non intelligamus qua ratione tale attributum cum tali subjecto conveniat; et sic de aliis mysteriis.

Exinde fit varia religionis christianae mysteria satis cognosci, ut ea valeamus definire, ab aliis objectis secernere, illa nonnullis explicationibus elucidare, et ab eis eximias deducere conclusiones.

2° *Non deest Deo jus exigendi fidem in mysteriis.*

Deus enim jus habet a nobis exigendi quodcumque rationabile obsequium. Jam vero, ut mentis obsequium erga mysteria sit rationabile, duo requiruntur et sufficiunt: 1° quod mens non percipiat ea intrinsece repugnare; 2° quod eorum existentia certo per motiva credibilitatis extrinseca demonstratur. Atqui non exigitur fides in mysteriis, nisi utraque conditio verificetur.

3° *Non deest Deo motivum revelandi mysteria.*

Revelatio enim mysteriorum ideo commendatur quod, 1° plenius humanum intellectum divino subiciat, 2° efficacius coerceat hominis superbiam et curiositatem, 3° majorem ipsi ingerat existimationem de Deo, rebusque divinis, 4° det illi incrementum meriti, propter fidei obscuritatem; incrementum luminis, propter novas quibus ditescit cognitiones; incrementum virtutis, cujus mysteria sunt potentissima incentiva; incrementum denique consolationis, quia vel minimum de rebus altissimis percipere, plus delectat quam majora de inferioribus.

46. Dico 3°: *Potest Deus nova praecepta legi naturali addere.*

Si non sit de fide, est saltem *theologice certum*, quia certo concluditur ex Conc. Vatic. sess. 3, II, can. 3: « Si quis dixerit hominem ad cognitionem et perfectionem quae naturalem superet divinitus evehi non posse... anathema sit. » Etenim ad hanc perfectionem homo non evehitur nisi per praecepta huic accommodata.

Probatur breviter: Deus nec jure nec motivo caret ad superaddendum praecepta legi naturali.

1° *Jure non caret.* Id enim faciunt quotidie principes temporales, et quidem vi potestatis a Deo mutuatae. Ergo ridiculum foret et contradictorium hoc jus Deo supremo Regi denegare.

2° *Motivo non caret.* Haec praeceptorum positivorum revelatio et impositio multum prodest: 1° ad commendandum divinae super humanam voluntatem dominium; 2° ad augendum meritum obedientiae; 3° ad innumerabilia alia bona ex divinarum legum observatione profluentia; siquidem per illam observationem: legis naturalis custodia assecratur; remonentur virtutum impedimenta vitiorumque incentiva; Deo rependitur cultus ipsi acceptus; implentur conditiones ab eo pro peccatis expiandis requisitae, etc.

Sic igitur respondendum ad ea quae objiciuntur n. 43.

47. *Ad 1.* Quidquid habet rationem veri ab intellectu humano est attingibile, sed non eodem modo. Quae enim sunt nobis proportionata attingimus naturaliter, caetera supernaturaliter.

48. *Ad 2.* Mysteria sunt superintelligibilia eo quod proportionem non habent cum intellectu humano, sed habent cum intellectu divino, et ab eo naturaliter

atinguntur. Ergo non carent relatione ad intellectum quae veritati competit.

49. *Ad 3.* Mystera dicuntur rationi non conformia, eo sensu quod ex principiis naturaliter notis erui non possint; at non eo sensu quod sint hisce principiis contraria. Jam vero credere hujusmodi veritates, ubi probantur certo revelatae, dici nequit rationi non conforme, e contra dici debet, juxta rectae rationis dictamen, omnino necessarium.

50. *Ad 4.* Satis ostensum est propositiones, quibus enuntiantur mysteria, non esse voces sensu vacuas, sed novis et pretiosissimis mentem ditare cognitionibus.

51. *Ad 5.* Etiam ad perfectionem naturalem melius assequendam prodesse queunt praecepta positiva. A fortiori, poterunt imponi tanquam media perfectioni supernaturali consentanea, si Deus homini praestituat finem supernaturalem, quod certe non repugnat.

## DISSERTATIO SECUNDA

### DE REVELATIONIS NECESSITATE.

52. Nunc, devenientes ad revelationis necessitatem, dicemus primum quinam circa hanc necessitatem erraverint; dein utrum et quatenus revelatio fuerit sive absolute sive moraliter necessaria; demum perpendemus systema progressus continui, quod adversus revelationis necessitatem objici solet. Unde quaeruntur quatuor.

### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quinam erraverint circa necessitatem revelationis?

53. *Resp.* Praemittenda est distinctio inter necessitatem *absolutam* et necessitatem *moralem*.

Illud dicitur necessarium quo alicui impotentiae subvenitur. Duplex autem est impotentia: physica et moralis.

Impotentia physica oritur ex physico defectu proportionis inter facultatem et actum, sive sit defectus intrinsicus capacitatis ipsius, v. g. sensus ad habendas ideas universales; sive sit defectus extrinsecus conditionis physice requisitae ut facultas exeat in actum, v. g. defectus debitae dispositionis sensuum, sine qua intellectus non cognoscit. Impotentia moralis adest, quando facultas, physice capax alicujus actus, illum nunquam de facto exerit, propter difficultatem ordinis moralis, seu ex moribus hominum ortam, v. g. quod mater sui compos filium sibi carissimum mactet.

Necessitas ergo *absoluta* est necessitas illius rei quae subvenit impotentiae physicae, et necessitas *moralis* est necessitas illius rei quae subvenit impotentiae morali; seu, illud est *absolute* necessarium, sine quo adest impotentia physica finem obtinendi; et *moraliter* necessarium, sine quo adest impotentia moralis obtinendi finem.

Quibus praemissis, duplex erroris gradus circa revelationis necessitatem distinguitur.

1<sup>us</sup> peccat per excessum, exaggerando hanc necessitatem, et fuit nonnullorum Catholicorum qui dicti sunt *Traditionalistae*, et tenebant hominem, absque reve-

lationis subsidio, laborare impotentia etiam physica certitudinaliter cognoscendi ullam veritatem religiosam, quamvis pro aliis veritatibus revelatione absolute non indigeat.

2<sup>us</sup> peccat per defectum, negando revelationem esse absolute necessariam; concedit tamen fuisse forsitan moraliter necessariam, ut genus humanum adhuc in incunabulis quasi jacens, de religione naturali erudiretur; sed addit hanc revelationem jam postponi posse, ex quo gentes, hodiernis scientiae et civilisationis progressibus, satis excultae et evolutae fuerint.

3<sup>us</sup> peccat per majorem defectum, dum asserit revelationem nec absolute nec moraliter esse necessariam. Vult enim hominem ex seipso ad omnia tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere.

Inter fautores hujusce tertii erroris, alii rigidiores Rationalistae, nullum Dei specialem interventum agnoscunt, in religionis cognitione per homines acquirenda; sed volunt Deum contentum fuisse homines dono naturalis rationis ditare, qua bene utentes, ex consideratione universi, Deum agnoscunt, et alias veritates religiosas inveniunt et perficiunt; alii mitiores, fatentur Deum in religionis negotio speciali providentia homines dirigere, videlicet: 1<sup>o</sup> eos incitando ad inquisitionem veritatis; 2<sup>o</sup> illis varias praebendo sese instruendi occasiones; 3<sup>o</sup> exstimulando viros acrioris ingenii ad alios edocendos. Ita Wegscheider.

54. Utrique vero suum errorem fulcire conantur

praesertim theoria de progressu humanitario, quae ideo paulo latius exponenda est.

Considerari autem potest systema illud 1<sup>o</sup> in sua philosophica expositione, 2<sup>o</sup> in sua applicatione historica.

I. *In sua philosophica expositione*, duobus praecipuis constat assertionibus:

1<sup>a</sup>: Humanae naturae innata est vis quaedam qua, sicut in rebus materialibus et civilibus, ita in moralibus et religiosis, perpetuo indefinitoque progressu evolvitur.

2<sup>a</sup>: Religiones variae non sunt nisi ejusdem verae religionis formae sibi succedentes, et unaquaeque earum habet veritatem tempori quo praevaluit accommodatam. Sane, ut aiunt, veritas est in se quid unum ac determinatum, sed non prout attingitur ab intellectu. Non enim attingimus veritatem absolutam, bene vero ejusdem particulam et gradum; et de una particula ad aliam, de uno gradu ad alium progrediendo, diversas fingimus religionis formas semper perfectiores, sed nunquam absolute veras. Singulae formae, prout respondent generali humanitatis statui, sunt in sua aetate verae ac legitimae; sed postea, ob rationis progressum, locum aliis cedunt, et sunt deserendae. Ergo veritas, quatenus attingitur ab humano intellectu, est relativa et mutabilis.

II. *In sua historica applicatione*, systema progressus continui pro fine habet eventus humanos suae hypothesei attemperare.

Dicunt igitur Progressistae, varias religiones non fuisse nisi diversas religionis naturalis phases, sed continuo progressu sibi succedentes. Prima, caeteris

rudior et informior, fuit Fetichismus, cui successit Polytheismus, cui Monotheismus judaicus, cui Monotheismus christianus.

Christianismus certe omnibus religionibus quae praecesserant longe praestat; sed non est undequaque perfectus. Etenim, nec Apostoli semper verum Christi sensum assecuti sunt, nec Christus, nec Apostoli penitus suae aetatis errores exuerunt; quinimo, juxta quosdam, Christus ex industria sese iis erroribus accommodavit. Christianismus itaque non tantum est substantialiter perfectibilis, sed et perficiendus, quia non est satis consentaneus hodiernis humani ingenii aspirationibus.

Theoria illa de continuo progressu defensores habuit Kantium, Schilling, Hegel, ac recentiores Pantheistas, qui successivos mundi status tanquam varias formas continuaevolutionis Entis absoluti considerant; item philosophos Eclecticis Galliae, uti Jouffroy, Cousin, Leroux, Lherminier... (Vide Jungmann: *de Relig.* n. 27... 30. — Mazella: *de Relig.* n. 132.)

QUAESTIO II<sup>a</sup>

An et quatenus revelatio sit absolute necessaria?

55. Resp. Duo errores contrarii confutandi sunt.

I. Contra Traditionalistas, dico: *Homo revelatione destitutus aliquas veritates religiosas cum firma certitudine cognoscere potest.*

1<sup>o</sup> Est de fide ex conc. Vatic. quod in constit. *De Fide catholica*, cap. 2. sic loquitur: « Sancta mater Ecclesia tenet et docet Deum, omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine

« e rebus creatis certo cognosci posse... Divinae revelationi tribuendum quidem est ut, ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione, ab omnibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus, ex infinita bonitate sua, ordinavit hominem ad finem supernaturalem »; et sic tandem definit: « Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine, cognosci non posse; anathema sit. » (*De Revel.*, can. 1.)

2<sup>o</sup> Prob. ex inconvenienti. In praefato systemate, jam dari non poterit religionis revelatae scientifica demonstratio, siquidem huic demonstrationi necessario praesupponatur Deum existere et esse veracem.

3<sup>o</sup> Prob. ex contradictione qua laborant Traditionalistae. Etenim principia rationis purae, v. g. *Non datur effectus sine causa*, adhibent ut fontes certitudinis, quando agitur de veritatibus non religiosis. Cur ergo rejiciunt ubi assumuntur ad veritates religiosas ordinis naturalis demonstrandas?

56. II. Contra Rationalistas dico: *Affirmare non licet revelationem non esse homini absolute necessariam, saltem ad quasdam veritates religiosas cognoscendas.*

Etenim 1<sup>o</sup> affirmare non licet hominem non potuisse a Deo ad finem supernaturalem destinari. Atqui, posita hac destinatione, homini erit necessarium et hunc

finem supernaturalem et media supernaturalia illum obtinendi cognoscere, et hanc cognitionem nullo modo potest habere sine revelationis auxilio. Ergo.

Insuper, in eadem hypothese, veritatum religiosarum ordinis naturalis cognitio ad finem ultimum supernaturalem ordinanda est; et hoc requirit ut sit et ipsa ejusdem ordinis, seu supernaturalis. Sed, in praesenti vita, cognitio supernaturalis nititur motivo fidei, et fides supponit revelationem.

Etenim 2<sup>o</sup> seclusa etiam tali destinatione, Deus certe potuit aliqua praecepta positiva legi naturali superaddere. Sed illa praecepta positiva, utpote in essentiis rerum non fundata, et ex libero divinae voluntatis decreto pendentia, absolute non possunt cognosci nisi Deus positive ea revelet.

Etenim 3<sup>o</sup> absque revelatione, imperviae nobis manent nonnullae veritates, quarum notitia vitae recte instituendae, etiam in ordine naturali, quamvis non absolute, saltem practice et moraliter est necessaria. Valde quippe nostra interest scire: 1<sup>o</sup> unde tot et tantae in natura nostra contradictiones et miseriae proveniant? 2<sup>o</sup> utrum, peccato commisso, adsit possibilitas veniam obtinendi; et quae conditiones, praeter peccati detestationem et emendationem vitae, ad hanc veniam consequendam exigantur et sufficiant? 3<sup>o</sup> quisnam futurus sit animae nostrae post mortem status? quatenam ipsam maneant mercedes aut poenae? an homo semel defunctus servet adhuc libertatem, possitque mereri aut demereri, vel in statu definitivo et immutabili constituatur? Atqui harum quaestionum solutio, ratiocinando ex ideis necessariis, aut ex factis contingentibus naturaliter notis, non potest certa

haberi. Ergo requirit absolute revelationem. (Vide Brugère: *De Relig. pars 1, cap. 3.*)

### QUAESTIO III<sup>a</sup>

An et quatenus revelatio sit moraliter necessaria?

57. Resp. Certo illa revelationis necessitas moralis non potest spectare nisi religionis naturalis cognitionem; sed operae pretium erit sensum propositae quaestionis determinare, ut ea statim removeantur quae non veniunt in controversiam. Unde dicendum est cuinam, ad quid, et quo gradu necessaria dicatur revelatio.

1<sup>o</sup> *Cuinam dicatur necessaria?*

Agitur in praesenti: 1<sup>o</sup> de homine lapso, ignorantiae et concupiscentiae subjecto, curis et miseriis hujus vitae detento et impedito. Seclusis enim hisce obstaculis, non immerito forsitan affirmare liceret hominem posse ad religionis naturalis notitiam moraliter integram, absque revelationis subsidio, pervenire.

Agitur 2<sup>o</sup> de homine lapso et insuper propriae imbecillitati relicto. Non enim negandum est Deum posse homini, etiam lapso, subvenire alia via ac revelatione, scilicet: extraordinariis gratiis ordinis naturalis, aut miraculosa scientiae religionis infusione. Unde revelatio non est necessaria nisi disjunctive, seu, posito quod Deus velit, aut hominem nativae suae imbecillitati relinquere, aut per revelationis lumen adjuvare.

Agitur 3<sup>o</sup> de majori hominum parte. Quaestio enim non est de singulis individuis; seu, non asseritur nul-



lum omnino, etiamsi ingenio praestantissimo donaretur, posse propria investigatione sufficientem adipisci religionis naturalis notitiam. De hac enim impossibilitate non ita clare constat. Nec etiam quaestio est de cognitione acquirenda per omnes homines sine ulla exceptione; quia evidentissime constat fieri non posse ut omnes et singuli, etiam rudes, religionis naturalis notitiam satis completam propriis viribus habeant.

2° *Ad quid revelatio dicatur necessaria?*

Non agitur de omnimoda et absolutissima religionis naturalis cognitione. Omnes enim facile concedunt hanc eximiam notitiam non esse naturaliter assequibilem. Nec etiam agitur de cognitione saltem aliquorum primariorum legis naturalis principiorum, quale est illud: *parentes sunt honorandi*; quis enim negat ad haec cognoscenda naturale lumen rationis sufficere?

Agitur itaque de hac cognitione quae requiritur ad vitam recte instituendam, seu qua homo sciat quid sibi faciendum est, ut vitet omnes illas legis naturalis violationes quae, ex sensu communi, uti graves hodie reputantur apud Catholicos.

3° *Quo gradu revelatio sit necessaria?*

1° Non est necessaria *absolute*, quasi homo revelatione orbatus, non haberet facultatem huic cognitioni acquirendae physice proportionatam. Omnes enim religionis naturalis veritates in principiis primariis naturaliter notis virtualiter continentur, et, ratiocinii ope, ex illis deduci queunt. Ergo, hoc ipso quod homo naturaliter polleat facultate ratiocinandi, jam habet capacitatem praedictae demonstrationi fa-

ciendae physice proportionatam. Unde concilium Vaticanum vult absolutam revelationis necessitatem oriri tantum ex hominis destinatione ad finem supernaturalem. Postquam enim asseruit expedire revelationem veritatum humanae rationi per se non imperviarum, addit: « Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est; sed quia Deus, ex infinita bonitate sua, ordinavit hominem ad finem supernaturalem. »

2° Ergo agitur tantum de necessitate *moralis*, vi cujus ratio humana, propriae ac nativae suae infirmitati relicta, tot et tantas experitur difficultates ad praedictam cognitionem assequendam, ut absque revelatione, de facto, ad hanc nunquam sit perventura.

58. His praemissis, videri potest quod revelatio non sit, sensu exposito, moraliter necessaria ad religionis naturalis cognitionem.

Etenim 1° ut ratiocinatur Wegscheider, omnia alia animantia iis viribus praedita sunt quibus naturae suae fines attingere possint. Ergo a fortiori hominibus facultas data est ea omnia intelligendi et observandi, quae ad summos humani generis fines obtinendos spectant.

2° Praeterea, illud non est ad vitam recte instituendam necessarium, quo humanum genus per multa saecula caruit, et quo hodie multi absque sua culpa destituuntur. Atqui hae revelatione, qua tandem innotuit religio naturalis, humanum genus caruit ante Christum, et multi hodie sine sua culpa destituuntur.

3° Praeterea, revelatio est quid homini indebitum; sed posita ipsius necessitate ad rectam vitae institutionem in ordine naturali, jam foret homini debita. Ergo.

4° Praeterea, Deus exigit ut homo, etiam lapsus et auxilio divinae revelationis destitutus, vitam suam ad normam legis naturalis recte instituat. Atqui injustum foret illud exigere ab homine, qui moraliter cognoscere non potest necessaria ad vitam recte instituendam.

5° Praeterea, quidquid sit de lege progressus continui, constat, de facto, humanum ingenium, labentibus seculis, valde et mirabiliter evolutum esse. Non repugnat igitur illud jam factum esse moraliter capax inveniendi veritates religionis naturalis, quarum cognitione indiget ad vitam recte instituendam. Ergo revelatio non potuit esse necessaria, nisi tanquam temporarium adjumentum ab homine satis exculto postponendum.

59. Sed contra dico : *Revelatio est moraliter necessaria ut, in praesenti humani generis conditione, major hominum pars hanc adipiscatur religionis naturalis cognitionem, quae ad vitam recte instituendam satis sit.*

Constat duplici argumento : 1° experientia seculorum ; 2° insufficientia mediorum.

1<sup>um</sup> ARGUMENTUM : *Experientia seculorum.*

Est factum publicum, universale et constans, nullum populum sive barbarum, sive excultum, quamdiu revelationis luce destitutus fuerit, turpissimos errores contra religionem naturalem devitasse. Notum est enim quam enormiter populi passim erraverint :

1° *Circa Deum*, cum pro diis habuerint, alii homines nefandis flagitiis inquinatos, alii daemonia, alii astra, alii res inferiores, uti lapides, legumina aut omne ferarum genus.

2° *Circa cultum Deo rependendum*, qui aut vanus, aut obscenus, aut crudelis erat, et absque spiritu interno.

3° *Circa officia erga proximum*, ut patet ex misera conditione uxorum, puerorum, servorum, gladiatorum ; item, ex licentia passim data odiendi, imo et occidendi extraneos et inimicos.

4° *Circa officia hominis erga semetipsum*, siquidem propriam gloriam quaerere ut quid laudabile reputaretur, et cupiditatibus indulgere esset pars cultus religiosi et deorum imitatio.

Atqui factum ita publicum et universale, satis aperit maximam et moraliter insuperabilem difficultatem ; et ejusdem facti diuturnitas ostendit hanc difficultatem in dies crevisse, cui superandae humanum ingenium magis ac magis impar factum fuerat.

Et hoc argumentum eo urgentius est quod, de facto, uti demonstrabitur infra, omni tempore illuxerit, licet obscuratum, revelationis primaevae lumen. Quid ergo si penitus defuisset ?

Confirmatur exemplo eorum qui christianam revelationem deseruerunt, et, ex tunc, in veteres errores, turpem, videlicet, Atheismum et Materialismum, et Pantheismum, aut Dualismum prolapsi sunt ; et eo usque devenerunt, ut principium ipsum contradictionis abjecerint, sicut accidit philosophis Germanicis aetatis hodiernae.

2<sup>um</sup> ARGUMENTUM : *Insufficientia mediorum.* Nam, extra revelationem, hominibus naturali suae imbecillitati relictis, duplex tantummodo adest religionis naturalis cognoscendae medium : aut proprius unius-

cujusque labor, aut sapientum magisterium. Sed utrumque est prorsus insufficientis.

1° *Non est medium sufficiens uniuscujusque labor*, siquidem hoc medio veritas non nisi paucis proveniret, nec nisi post longum tempus, et insuper multis erroribus dubiisque permixta.

a) Paucis proveniret; eo quod multi ab hujusmodi inquisitione arceantur, aut defectu temporis, ob curas istius vitae; aut defectu capacitatis, propter naturam veritatum religiosarum, quae sensus excedunt et cupiditatibus adversantur; aut horrore difficultatis, ob sedulam ac perseverantem attentionem quae exigitur circa objecta abstracta et metaphysica.

b) Veritas non nisi post longum tempus proveniret; eo quod haec investigatio utiliter non fit, nisi transacto juventutis tempore, et multis aliis studiis praehabit.

c) Nec proveniret nisi cum multorum errorum et dubiorum permixtione, propter operis ipsius difficultatem, passionum et imaginationis impedimenta et opinionum varietatem.

Non est ergo medium sufficiens proprius uniuscujusque labor.

2° *Nec etiam sufficit sapientum magisterium.* Tria enim necessaria forent, ut philosophi humanum genus circa religionem efficaciter edocerent, nempe: integram veritatem religiosam cum certitudine possidere, habere viam aptam qua caeteris communicetur, his demum gaudere dotibus personalibus quibus magisterium suum fructuosum efficiant. Atqui, extra religionem revelatam, hisce conditionibus philosophi destituuntur.

a) Non invenitur apud eos doctrina religionis integra et certa. Patet experientia praestantissimorum inter eos, quorum alii Atheismum, alii Materialismum, alii Idealismum, alii Pantheismum, alii Dualismum professi sunt, et nulli gravioribus erroribus fuerunt immunes. Insuper, haesitanter solum loquebantur, et finaliter passim ad Pyrrhonismum declinabant. Nec melioris conditionis videntur revelationis adversarii in nostris temporibus.

b) Carent etiam via apta qua inter populos veritas propagetur. Vel enim ad hoc uterentur scientifica demonstratione, vel auctoritate. Si prius: redeunt omnia impedimenta modo indicata; si posterius: quoniam esse potest in materia religionis auctoritas hominum solo ingenio sese commendantium? Cum veritas religiosa naturam corruptam offendat, via auctoritatis non accipitur, nisi haec auctoritas indubiis signis probet se esse infallibilem, aut saltem eximio virtutum splendore assensum quasi rapiat; secus, aliquos lucrari poterit discipulos, non autem majorem hominum partem sibi devincire. Atqui haec signa infallibilitatis, hic splendor sanctitatis eximius, quomodo reperientur apud viros etiam ingenio praestantissimos, sed nativae suae imbecillitati, ex peccato ortae, a Deo relictos?

c) Carent demum hisce conditionibus quae eorum magisterium fructuosum efficerent. Deberent enim esse multi, inter se concordēs, humani generis amatores, religiosae veritatis propagandae zelo flagrantēs, animoque parati ad omnes molestias, labores, impetus sustinendos; ita ut, nullo pacto, etiamsi mori oporteat, jura veritatis prodant, aut ab incepto desistant. Atqui, extra religionem revelatam, tales viri nunquam

inventi sunt, et procul dubio nunquam invenientur. Ergo.

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur n. 53.

60. *Ad 1.* Verum est nec animantibus, nec, a fortiori, homini deesse posse media finem suum obtinendi. At caetera animantia non possunt habere nisi finem naturalem, et quidem actibus vitae vegetativae et sensitivae necessariis assequendum; ad quod plane sufficiunt facultates vegetativae et sensitivae ipsis a natura inditae. Homo autem finem suum attingere debet per usum liberi arbitrii, ac proinde suos actus liberos ad debitum finem recte ordinando; unde prorsus necessarium est ut cognoscat illum finem mediaque perveniendi ad illum. Atqui, etiamsi Deus ei non praestituerit finem supernaturalem, qui revelatione tantum cognoscitur, fieri potest ut finis naturalis cognitio, propter ignorantiam et concupiscentiam, necnon innumeras praesentis vitae curas et miserias, ita obscuratur, ut moraliter homo revelatione indigeat, ad convenientem vitae suae institutionem; et rem ita se habere probatum est in thesi.

61. *Ad 2.* Duo falso supponuntur: 1° Supponitur Deum aliquando non providisse humano generi de lumine revelationis ad vitam recte instituendam necessario. At hoc falsum est; cum, ipso mundi initio, Deus se hominibus per veram revelationem manifestaverit, et culpa hominum acciderit pretiosum hoc veritatis lumen amissum aut deturpatum fuisse. 2° Supponitur illos a Deo culpandos esse qui involuntarie beneficio revelationis factae privantur, quod etiam est falsum.

62. *Ad 3.* Deus morali nostrae impotentiae aliis mediis, etiam in se naturalibus, subvenire potuisset, uti jam observavimus. Revelatio igitur est remedium indebitum. Et revera, in se est modus cognoscendi veritatem excedens exigentiam naturae; a fortiori revelatio quae ad finem supernaturalem dirigitur est nobis indebita.

63. *Ad 4.* Deus non ita exigit ab omnibus legis naturalis observationem, quod illam invincibiliter ignoratam violans sit coram eo reus peccati formalis, et propter hoc puniendus. Et revera, nonne Deus vult universam legem naturalem impleri? Ergone concludendum erit unumquemque naturaliter posse omnes principiorum moralium conclusiones etiam remotissimas cognoscere sine revelatione? Unde, actus ille quo Deus vult legis naturalis observationem est obligatio *in actu primo*, et illa obligatio non urget in *actu secundo*, nisi mediante cognitione legis.

64. *Ad 5.* Falsum est humanum ingenium scientiarum cultura ita jam evolutum esse, ut, propriis suis viribus relictum, sit capax veritates religiosas naturales ad rectam vitae institutionem necessarias inveniendi ac firmiter tenendi. Argumenta enim in conclusione exposita omnibus temporibus conveniunt; quinimo lugenda aetatum recentiorum experientia confirmantur. Soli quippe philosophi, qui catholicae revelationi adhaerent, inter se concordant in dogmatum substantia, et puras sublimesque de Deo et lege morali cognitiones protulerunt. Caeteri vero, quo magis ab illa visi sunt recedere, eo magis inter se discordes sunt inventi, et ad veterum ethnicorum errores regressi sunt. Nec id mirum: in praesenti enim aetate,

ad rerum physicarum investigationes, et ad materialis industriae et commercii progressus caeco impetu passim homines abripiuntur. Talis autem humani ingenii evolutio, ubi fit nimium exclusiva, et salubri religionis supernaturalis directioni non subjacet, nedum studiis philosophicis faveat, illa plurimum impedit, et innumeris depravat erroribus.

De caetero, etiam dato quod in objectione supponitur, quid inde? Numquid ideo postponenda esset revelationis jam datae auctoritas, nec amplius vigeret praeceptum huic obsequium praestandi? Minime prorsus, quoties enim aliqua veritas per testimonium divinum certissime constat, jam non licet unquam ei contradicere, aut de illa dubitare, aut illam serio in quaestionem ponere. Permittitur tantum rationi hanc aliis argumentis naturaliter notis stabilire, necnon intimius perscrutari, et cum aliis comparare, ut ex illa deducantur conclusiones; at veritas ipsa in tuto ponenda est, et cum summa animi submissione, ob Dei revelantis auctoritatem, retinenda.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Utrum adversus revelationis necessitatem lex progressus continui merito objiciatur?

(Vide Mazella: *de Relig.* n. 147... 157; Jungmann: *de Vera Relig.* n. 31... 44.)

65. Resp. Negative. Qui enim hoc utuntur argumento, contendunt: 1<sup>o</sup> hominem in sua praesenti conditione necessario progredi, 2<sup>o</sup> omnes mundi religiones esse naturales humani ingenii foetus, 3<sup>o</sup> huma-

num genus a minus perfectis religionibus ad perfectiores ubique et constanter transiisse, 4<sup>o</sup> demum, illas non esse nisi unius ejusdemque verae religionis formas. Jam vero constat nihil horum sustineri posse, quinimo, etiam posita lege progressus, male inde concludi revelationem non fuisse suo tempore moraliter necessariam.

Credimus, equidem, hominibus datam esse religionem quae, Deo providente, varias induit successive formas semper perfectiores. Vera enim religio fuit successive patriarchalis, mosaica et christiana; religio autem mosaica est quasi evolutio patriarchalis, et christiana mosaicae.

Insuper, in religione christiana observatur aliquis progressus; dum, scilicet, decursu temporum, licet non fiant novae revelationes quae omnes homines obligent, controversiae tamen circa veritates revelatas, per Ecclesiae judicium finiuntur, clarius et expressius declarantur dogmata, novaeque dogmatum explicationes et conclusiones proferuntur. At praedictae evolutiones, nedum ex vi hominibus innata prodierint, factae sunt ex supernaturali sancti Spiritus impulsu, potius contra naturalem inclinationem, quae proprio pondere ad deteriora tendit. Et ideo progressus in religione, qualem intelligunt Catholici, toto coelo distat a Rationalistarum systemate, cujus falsitas patebit ex sequentibus conclusionibus. Unde:

66. Dico 1<sup>o</sup>: *Admitti nequit hominem, in sua praesenti conditione, necessario progredi.*

1<sup>o</sup> *In genere* repugnat haec praetensa necessitas. Ad progrediendum enim plures requiruntur conditiones, quae deficere possunt et saepe deficiunt. Quid

enim si homo otio torpescat? quid si priorum aetatum documenta ipsi desint? quid si debiliore reperitur ingenii, nec cognitiones acquisitas satis capiat? quid si, ex pravitate mentis, ad falsitates excogitandas et caeteris persuadendas conferat seipsum? Illae autem causae tam pro nationibus quam pro individuis possunt occurrere; et ideo, uti observat D. Thomas, tempus quod est aliquando adjumentum ad progrediendum, fit nonnunquam causa oblivionis et regressus.

Constat idem historia. Omnes enim populorum annales memorant quidem illorum ortum, incrementum, et fastigium; sed narrant etiam eorumdem decrementum et interitum. Sic, v. g., apud Graecos, post Periclem artes, post Demosthenem eloquentia, post Socratem philosophia moralis, post Platonem et Aristotelem metaphysica, physica et aliae scientiae, post Alexandrum Magnum gloria militaris decreverunt. Sic etiam, apud Latinos, post seculum Ciceronis, Taciti, Virgilii, Horatii, etc..., eloquentia, historia, poesis sensim declinaverunt.

2° *Speciatim* in religionis negotio haec progrediendi necessitas videtur chimaerica. Quia enim religio naturae corruptae onerosa et odiosa est, facilius est in ejus cognitione regredi quam progredi. Quinimo ipse materialis progressus non raro religioso progressui obstat; quia quo magis ad terrena convertimur, eo majus est periculum nosmetipsos a coelestibus avertendi. Et hoc ex dicendis in conclusione 3<sup>a</sup> confirmabitur.

67. Dico 2°: *Sustineri nequit omnes religiones in mundo existentes naturales esse humani ingenii foetus.*

Prob. 1° *argumento generali negativo*. Non possunt enim Rationalistae intentum demonstrare *a priori*; siquidem, ex probata revelationis possibilitate, sequitur non repugnare in se inter varias religiones unam esse quae non sit humani ingenii foetus. Deberent igitur ostendere *a posteriori* nullam de facto dari religionem revelatam; et quamdiu id non praestiterint, eorum assertio ut mere gratuita rejici potest, nec sine manifesta petitione principii ipsis licebit eam allegare contra religionis necessitatem.

Prob. 2° *argumento speciali positivo*. Nam evidens est Christianismum non fuisse naturalem humani ingenii foetum ex anterioribus religionibus prodeuntem. Secus, dicendum esset rationem humanam, jam ab initio, protulisse dogmatum catholicorum rudimenta, generaliora quidem, sed his dogmatibus plane conformia, ac passim apud homines, praesertim philosophos, recepta. Quomodo ergo factum est doctrinam catholicam, statim ac apparuit, tantum undique excitate stuporem, veluti inauditam novitatem fuisse denuntiatam, tantosque impetus, ex parte sive imperantium, sive philosophorum, sive populorum, sustinuisse?

De caetero, non ibi primum praedicta fuit, ubi acriora erant philosophica studia, sed in Judaea, ubi minus florere. Nec a suis praeconibus proposita est veluti rationis humanae inventum, sed tanquam superans naturalem intelligentiae captum, et ob solius Dei revelantis auctoritatem credenda. Porro haec cum adversariorum opinione minime conciliantur. Ergo omnes mundi religiones esse humani ingenii foetus naturales sustineri nequit. De hoc argumento iterum

dicemus infra, ubi de sublimitate doctrinae catholicae.

68. Dico 3<sup>o</sup> : *Immerito affirmatur genus humanum a minus perfectis religionibus ad perfectiores ubique et constanter, sensu Rationalistarum, transiisse.* (Vide de Broglie: *Hist. des Relig.* ch. III, § 3.)

Etenim, extra librum Geneseos, cujus auctoritatem historicam despiciunt Increduli, nullum praesto adest documentum fide dignum circa generis humani originem; et ideo adversarii directe probare nequeunt id quod affirmant, nempe: primam religionem fuisse Fetichismum, cui successit Polytheismus, dein Mosaismus. Utrum autem ex vetustissimis monumentis historicis, id, via saltem inductionis, liceat conjicere? Nequaquam.

Illa enim monumenta, quae referuntur ad aetates mundi initii valde posteriores, exhibent equidem populos multis erroribus et superstitionibus addictos; at simul continent doctrinas in pluribus cum Christianismo concordantes. Cujus facti probationes reperire est apud eruditos, et notanter in libro: *Histoire des religions* a D. de Broglie, qui ita concludit, p. 58:

« Les traditions les plus anciennes de l'humanité, « telles que les monuments nous les révèlent, contiennent l'idée du Dieu suprême, associé, il est vrai, à « d'autres dieux. Ce Dieu suprême n'est pas créateur, « mais organisateur du monde; il est le principe et la « sanction de la justice. Cette même tradition contient « l'idée de la rétribution future, mêlée, il est vrai, à « un très grand nombre d'idées superstitieuses sur « la survivance des âmes. Le rite du sacrifice, la

« croyance aux démons, à une antique lutte céleste, à « la félicité première, à la déchéance de l'homme, et « enfin au châtement de la race humaine par un déluge ou quelque fléau analogue, sont encore partie « de cette tradition. » Jam vero, praeterquam quod, juxta systema progressus continui, praefata dogmata multo serius efformari debuissent, quaestio quae occurrit solvenda haec est: quatenam inter doctrinas contradictorias tunc temporis vigentes fuerint antiquiores ac primitivae, et quatenam nonnisi annorum decursu apparuerint? Adscribunt Progressivae temporis prioritatem pejoribus, nos e contra purioribus. Sed nulla ratione prima hypothesis, quae est Rationalistarum, potest demonstrari; gratis ergo asseritur, nec ullam meretur fidem. At secunda hypothesis, quae est Catholicorum, omnino praeferenda videtur; quia 1<sup>o</sup> divinae Providentiae multo melius congruit. Repugnat enim Deum protoparentibus notitiam verae religionis denegasse, eosque in ignorantiae et superstitionum tenebris involutos reliquisse; 2<sup>o</sup> eadem hypothesis magis cum humanae infirmitatis experientia concordat; siquidem, uti jam dictum est, in religionis cognitione, homini lapsa et corrupto facilius est regressus quam progressus; et ideo pronum est concludere religiosas cognitiones, temporum decursu, fuisse depravatas; 3<sup>o</sup> demum, ex Pentateucho, cujus fidem historicam infra vindicabimus, novimus primaevam religionem fuisse revelatam.

Insuper, si consulantur annales historici omnium populorum, evidenter constabit religiones non fuisse semper eo meliores, quo recentius natae. Sic Pantheismus, quem hodierni Increduli tanti faciunt, est unum

ex antiquioribus systematibus. Item Mahumetismus Christianismo recentior, a nemine sanae mentis habetur ut perfectior; nec quisquam serio audebit asserere sectas haereticas, quae Ecclesiae sinum deseruerunt, ipsi sublimitate doctrinae et sanctitate morum esse praeferendas.

Neque proderit dicere regressus esse anomalias occulte conferentes ad progressum. Clarum est enim nec ignorantiam ad scientiam, nec errorem ad veritatem conducere.

69. Dico 4°: *Omnino repugnat varias mundi religiones esse unius ejusdemque verae religionis formas.*

Optime quidem concipitur unam eandemque veram religionem varias successive induere formas, modo tamen illae formae sibi mutuo non contradicant, sed inter se perfecte cohaereant. At longe alia est conditio variarum religionum quae in mundo fuerunt et sunt. Ubi enim inter se conferuntur, si excipias patriarchalem, mosaicam et christianam, sese mutuo excludunt, et quidquid una affirmat, ab aliqua saltem caeterarum negatur. Hinc variae illae doctrinae non sunt veritas religiosa absoluta. Cum autem veritas religiosa non nisi per doctrinam religiosam nobis patefiat, concludendum est, veritatem religiosam absolutam esse quid nobis impervium, nec nos attingere nisi varias illius formas. At quis esse possit illarum formarum valor? Juxta Progressistas, in his includitur veritas, sed relativa tantum ac mutabilis; id est: sunt verae pro eo tempore quo apparuerunt, donec nova prodeat praecedentis loco substituenda. Sed nihil sane absurdus quam haec theoria de veritate relativa et mutabili.

Etenim a) veritas cognitionis constituitur ipsius conformitate cum objecto. Unde: vel aliqua cognitio est suo objecto conformis, et tunc est vera, et quidem absolute et pro omni tempore; vel non est conformis, et tunc nulla est veritas. Si ergo aliqua doctrina est aliquando vera, semper talis fuit et erit.

b) Item alio modo: intellectus divinus est mensura omnis veritatis; nam res dicuntur verae prout conformes sunt intellectui divino. Ergo si aliqua cognitio religiosa sit hic et nunc divino intellectui conformis, hanc conformitatem semper retinebit, secus jam intellectus divinus non esset immutabiliter verus.

c) Postremo: si cognitio dicatur vera, non ex ipsius conformitate cum objecto in se existenti, sed ex ipsius cognitionis a subjecto cognoscente processione, jam mens nostra res cogitando eas creat, seu potius nulla existit veritas objectiva, et inducitur Scepticismus. Ergo variae illae formae sub quibus, juxta Progressistas, latet veritas religiosa, non sunt ejusdem veritatis gradus et particulae, sed potius particulae et gradus erroris. Nulla itaque existit religio vera in mundo, et nulli prudenter adhaerere poterimus. Hinc magis consequenter loquerentur Rationalistae, si omnem religionem respuerent.

70. Dico 5°: *Etiamsi mens humana in religionis cognitione indesinenter progredieretur, non ideo concludendum esset revelationem non fuisse suo tempore moraliter necessariam.*

Concedimus, equidem, aliquo sensu indesinentem in religionis cognitione progressum *intrinsece non repugnare*; at, etiamsi de facto daretur hic progressus, (quod falsum esse jam probavimus), nihilominus mo-



raliter esset necessaria revelatio. Etenim, certum est, ex una parte, tempore revelationis christianae, genus humanum densissimis ignorantiae tenebris et turpissimis erroribus circa religionem obvolutum fuisse; nec minus certum est, ex altera parte, non obstante progressu continui beneficio, longum tempus futurum fuisse necessarium, ut mens humana, sibi relicta, ex hoc abyso feliciter egrederetur, et tandem adipisceretur sufficientem religionis cognitionem, ad vitam recte in ordine naturali instituendam. Quid autem amplius requiritur ut dicatur moraliter necessaria revelatio, ne homines, per multa saecula, in suis erroribus miseranda sorte jaceant?

### DISSERTATIO TERTIA

DE OBLIGATIONE ET MODO INQUIRENDI RELIGIONEM REVELATAM.

71. Jam disserendum est de obligatione et modo inquirendi religionem revelatam. Ad quod primo exponendus et confutandus est Indifferentismus relativus; posteaque breviter tradenda duplex methodus inquisitionis: historica, scilicet, et philosophica. Quatuor ergo erunt quaestiones:

#### QUAESTIO I<sup>a</sup>

In quo consistat Indifferentismus relativus?

72. Resp. Non agitur nunc de Indifferentismo absoluto, quo homini permittitur nullam profiteri

religionem, et quem jam supra confutavimus; sed de relativo, quo homo eximitur ab onere alicui religioni revelatae, tanquam unice verae, adhaerendi, ac proinde ab obligatione eam inquirendi.

Triplex assignatur in illo errore gradus.

1<sup>us</sup> gradus est eorum qui religionis naturalis necessitatem agnoscunt quidem, sed simul contendunt, inter religiones positivas, nullam esse cujus professio per se nobis prohibeatur. Hinc unaquaeque a singulis eligi potest, sive haec quam ingenio suo et indoli accommodatiorem judicat, sive illa quae legibus patriae conformior est, aut quam ipsius parentes, vel ii a quibus dependet, sequuntur.

2<sup>us</sup> gradus est eorum qui, rejecta hac absurda facultate eligendi inter varias religiones positivas, asserunt tamen religionem revelatam, posito quod existat, non posse a Deo sub damnationis reatu imponi, ac proinde cuique esse licitum de illa inquirenda non curare, sed ipsi sufficere si religionem naturalem observet.

3<sup>us</sup> gradus est eorum qui, agnoscentes obligationem in conscientia inquirendi religionem revelatam, illamque semel cognitam amplectendi, contendunt tamen nulla lege humana, civili praesertim, ad id ullum adigi posse. Unde concludunt societatem civilem, ac proinde rectores civilis societatis, qua tales, teneri cunctis civibus omnimodam concedere libertatem cultuum, nihil aliud ab eis exigendo, nisi ut pacem externam non perturbent, et legibus pareant. Societas ergo civilis potest et debet esse indifferens, quoad omnes religiones quae nihil meliuntur contra bonum temporale reipublicae. De hoc tertio Indifferentismi

raliter esset necessaria revelatio. Etenim, certum est, ex una parte, tempore revelationis christianae, genus humanum densissimis ignorantiae tenebris et turpissimis erroribus circa religionem obvolutum fuisse; nec minus certum est, ex altera parte, non obstante progressu continui beneficio, longum tempus futurum fuisse necessarium, ut mens humana, sibi relicta, ex hoc abyso feliciter egrederetur, et tandem adipisceretur sufficientem religionis cognitionem, ad vitam recte in ordine naturali instituendam. Quid autem amplius requiritur ut dicatur moraliter necessaria revelatio, ne homines, per multa saecula, in suis erroribus miseranda sorte jaceant?

### DISSERTATIO TERTIA

DE OBLIGATIONE ET MODO INQUIRENDI RELIGIONEM REVELATAM.

71. Jam disserendum est de obligatione et modo inquirendi religionem revelatam. Ad quod primo exponendus et confutandus est Indifferentismus relativus; posteaque breviter tradenda duplex methodus inquisitionis: historica, scilicet, et philosophica. Quatuor ergo erunt quaestiones:

#### QUAESTIO I<sup>a</sup>

In quo consistat Indifferentismus relativus?

72. Resp. Non agitur nunc de Indifferentismo absoluto, quo homini permittitur nullam profiteri

religionem, et quem jam supra confutavimus; sed de relativo, quo homo eximitur ab onere alicui religioni revelatae, tanquam unice verae, adhaerendi, ac proinde ab obligatione eam inquirendi.

Triplex assignatur in illo errore gradus.

1<sup>us</sup> gradus est eorum qui religionis naturalis necessitatem agnoscunt quidem, sed simul contendunt, inter religiones positivas, nullam esse cujus professio per se nobis prohibeatur. Hinc unaquaeque a singulis eligi potest, sive haec quam ingenio suo et indoli accommodatiorem judicat, sive illa quae legibus patriae conformior est, aut quam ipsius parentes, vel ii a quibus dependet, sequuntur.

2<sup>us</sup> gradus est eorum qui, rejecta hac absurda facultate eligendi inter varias religiones positivas, asserunt tamen religionem revelatam, posito quod existat, non posse a Deo sub damnationis reatu imponi, ac proinde cuique esse licitum de illa inquirenda non curare, sed ipsi sufficere si religionem naturalem observet.

3<sup>us</sup> gradus est eorum qui, agnoscentes obligationem in conscientia inquirendi religionem revelatam, illamque semel cognitam amplectendi, contendunt tamen nulla lege humana, civili praesertim, ad id ullum adigi posse. Unde concludunt societatem civilem, ac proinde rectores civilis societatis, qua tales, teneri cunctis civibus omnimodam concedere libertatem cultuum, nihil aliud ab eis exigendo, nisi ut pacem externam non perturbent, et legibus pareant. Societas ergo civilis potest et debet esse indifferens, quoad omnes religiones quae nihil meliuntur contra bonum temporale reipublicae. De hoc tertio Indifferentismi

gradu opportunius dicemus in tractatu de *Ecclesia*, ubi indicabuntur officia societatis civilis erga ecclesiasticam.

QUAESTIO II<sup>a</sup>

Utrum homini individuo per se licitum esse possit quamlibet religionem profiteri?

73. Resp. Videri potest quod sic, ut ait Rousseau. (*Emile*, liv. 4.)

Etenim 1<sup>o</sup> Certo perturbaret pacem publicam et leges patriae violaret, qui contradiceret religioni a principibus praescriptae. At prorsus vitanda est huiusmodi perturbatio pacis, et legum violatio. Ergo unusquisque patriae suae religionem amplecti debet.

2<sup>o</sup> Praeterea, Deus vult ut intacta remaneat in familiis subordinatio filii erga parentes, et uxoris erga virum. Sed periret illa subordinatio, nisi filius profiteretur religionem patris, et uxor religionem viri. Unde, ratione huius subordinationis servandae, excusantur, coram Deo, filius et uxor profitentes religionem patris aut viri, quamvis haec sit falsa.

3<sup>o</sup> Praeterea, Deo sufficit cultus *cordis*, qui in quacumque religione ipsi persolvitur; caetera autem, quae ad externos religionis actus spectant, in se videntur indifferentia.

4<sup>o</sup> Praeterea, etiam falsorum numinum cultores habent voluntatem praedominantem verum Deum colendi. Atqui haec voluntas praedominans facit, ut adoratio creaturis exhibita ad Deum realiter referatur, et illum revera honorificet, ac proinde ipsi placeat.

74. Sed contra dico: *Homini individuo per se lici-*

*tum esse non potest quamlibet religionem profiteri.*

*Est de fide*, siquidem definitum est baptismum esse omnibus necessarium ad salutem.

Insuper, Indifferentismi de quo agitur errorem damnavit Gregorius XVI, Encyc. *Mirari vos*, sic se habens: « Alteram nunc persequimur causam maiorem uberrimam, Indifferentismum scilicet, seu pravam illam opinionem quae, improborum fraude, ex omni parte percubuit, qualibet fidei professione aeternam posse animae salutem comparari, si mores ad recti honestique normam eriguntur. »

Item Pius IX, in Encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846, hunc errorem vocat: « horrendum ac vel ipsi naturali rationis lumini maxime repugnans, de cuiuslibet religionis indifferentia systema ». Cujus erroris originem ex Rationalismo indicat idem pontifex, in alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862, dicens: « Cum autem omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi perverse derivare audeant, tum cuique homini quoddam veluti primarium jus tribuunt, ex quo possit libere de religione cogitare et loqui, eumque Deo honorem et cultum exhibere quem, pro suo libitu, meliorem existimat. » Hinc damnata est in *Syllabo* sequens propositio XVI<sup>a</sup>: « Homines cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire, aeternamque salutem assequi possunt. »

75. Probatur *ratione evidenti*.

Sane non absolute repugnat plures dari in mundo religiones veras. Sic, ante Christum, qui non erant origine Judaei poterant, vel solam profiteri religionem primaevam, vel mosaicam amplecti. At, positis rebus

ut nunc sunt, cum variae religiones in mundo existentes sese mutuo excludant, vel nulla, vel unica tantum est legitima et amplectenda.

Ad quod probandum, dicimus varias religiones considerari posse sub duplici respectu: 1° quatenus interpretantur legem naturalem; 2° quatenus continent dogmata et praecepta religioni naturali superaddita, etiam posito quod huic non contradicerent. Atqui, sub quocumque respectu considerentur, per se licitum esse nequit homini individuo quamlibet profiteri.

1° Non est id per se licitum, si spectentur quatenus interpretantur religionem naturalem. Quot enim apud eas reperire est quae religioni naturali contradicunt, sive quoad partem theoreticam, absurda de Deo, mundo et homine continent, nempe: Polytheismum, Dualismum, Pantheismum, Materialismum, etc.; sive quoad partem practicam, dum, scilicet, principia moralitatis pervertunt, aut Deum volunt ritibus inhonestis et crudelibus honorandum! Ergo, cum Indifferentistae, cum quibus contendimus, profiteantur religionem naturalem, confiteantur necesse est, per se non posse esse licitum quamlibet religionem inter existentes amplecti.

2° Idem dicendum est, si considerentur variae religiones, quatenus religioni naturali dogmata et praecepta positiva superaddunt, etiam dato quod religioni naturali non contradicerent.

Nam 1° omnia symbola variarum religionum, si inter se conferantur, sibi mutuo contradicunt, saltem quoad multa. Unde non possunt esse simul vera; sed, vel omnia continent aliquid falsi, vel unicum est sim-

pliciter verum. Atqui, intellectus non potest legitime adhaerere falso. Ergo inter haec symbola, vel nulli, vel uni tantum adhaerere per se est licitum. Nisi tamen dicatur veritatem esse quid relativum, ita ut aliquod dogma sit verum pro uno, attentis circumstantiis, videlicet, quia melius ipsius ingenio cohaeret, aut pertinet ad religionem principis, vel parentum, vel conjugis, et falsum pro alio, quia in aliis circumstantiis versatur. Sed, hoc admissio, jam nihil est in se verum, et inducitur universalis Scepticismus.

Nam 2° varia praecepta positiva, quae in singulis religionibus ponuntur, praescribunt modum quo Deus colendus est. Nullus autem modus colendi Deum assumi debet ab homine, nisi constet illum Deo non displicere. Ergo asserenti licitum esse *per se* Deum honorare per cultum cujusvis religionis, constare debet, vel Deum non potuisse exigere ut cultus in aliqua mundi religione usurpatus exclusive ei tribuatur, vel, de facto, non exigere, sed quoscumque existentes permittere. Atqui primum est evidenter falsum, et secundum nullo modo probari potest. Ergo unius aut alterius religionis cultum pro libitu assumens illicite agit, etiamsi cujuscumque religionis cultus in se esset honestus.

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur n. 73.

75. *Ad 1.* Ordo civilis non est legitimus, nisi sit rationi conformis et in veritate fundatus. Atqui obtemperare principi falsam religionem praecipienti, esset veritati et rationi contrarium.

76. *Ad 2.* Iniquitas parentum aut conjugis nunquam est imitanda. Ergo profiteri religionem pa-

rentum aut conjugis, si falsa sit religio, non est subordinatio legitima.

77. *Ad 3.* Deus, praeter cultum interiorem cordis, potest alium externum revelare et exigere, nec pro legitimo unquam habet cultum cordis in errore fundatum.

78. *Ad 4.* Falsorum numinum cultores, si bona fide credant esse vera, excusantur quidem coram Deo a peccato formali; sed cultus ille, persuasione falsa nixus, remanet in se inhonestus et reprobandus. Qui autem scienter falsos Deos adorant, certe non habent voluntatem praedominantem verum Deum colendi, sed Deo potius contrariantur, et grandis criminis piaculo se maculant.

QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum liceat, neglecta omni inquisitione circa religionem revelatam, solam profiteri religionem naturalem?

79. *Resp.* Videri potest affirmandum cum sectatoribus Indifferentismi relativi in secundo gradu.

Etenim 1<sup>o</sup> obligatio inquirendi religionem revelatam non oritur nisi ex obligatione omnibus imposita hanc religionem profitendi; unusquisque ergo, quantumvis rudis, inquirere tenebitur quae sit, inter varias religiones positivas, vere revelata; sed talis inquisitio multis videtur impossibilis.

2<sup>o</sup> Praeterea, ille nihil amplius Deo debet, qui nititur assequi perfectionem naturae suae consentaneam. Illa autem perfectio tota continetur in religionis naturalis fideli observantia.

3<sup>o</sup> Praeterea, revelatio a Deo homini proponitur

tanquam donum et beneficium. At si homo sub reatu damnationis tenetur illam accipere, et ipsi suam vitam conformare, jam non est beneficium, sed gravissimum onus.

80. *Sed contra dico: Nemini licet, neglecta omni inquisitione circa religionem revelatam, solam profiteri religionem naturalem.*

*Est de fide*, ob definitam fidei supernaturalis necessitatem, quam theologi statuunt in tractatu *de Fide*, et conc. Vatic. (Constit. *de Fide*) asserit dicens: « Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. » Item can. 4<sup>o</sup>. « Si quis dixerit rationem humanam ita independentem esse, ut fides a Deo imperari non possit; anathema sit. »

81. *Prob. ratione.* Ad cujus intelligentiam, supponimus hominem nulli religioni revelatae addictum, et deliberantem an possit licite solam profiteri religionem naturalem, non inquirendo utrum, inter alias, aliqua sit exclusive vera. Certe, ille homo, conspectis tot religionibus, quarum unaquaeque se uti veram et obligatoriam exhibet, attenta praesertim religione christiana tam conspicuos prae se ferente characteres, non potest non grave concipere dubium de non existentia alicujus religionis positivae, sub poena damnationis ineundae. In tali dubio, inquisitionem licite omittere non potest, nisi prius sibi efformaverit conscientiam moraliter certam, quod ad inquirendum non teneatur. Atqui, nullo pacto sibi conscientiam moraliter certam efformare potest. Ad hoc siquidem

necesse est ut, ante omnem inquisitionem, prudenter judicet, aut hanc inquisitionem esse sine objecto, aut esse de objecto non cognoscibili, aut esse de re non praecepta. Et revera, unum de praedictis judiciis sufficeret; cum nemo teneatur inquirere rem quae non existit; aut quae, licet existens, non potest inveniri; aut quae, licet inventa, potest licite negligi. Jam vero, ante omnem inquisitionem, nullum e praefatis judiciis prudenter efformaretur.

Non primum, quo affirmaretur revelationem non existere. Illud enim solum opus, ante omnem inquisitionem, judicari potest non existens, quod aut intrinsece repugnat, aut esset cum aliis factis jam notis impossibile, aut foret inutile ad creationis fines. Atqui revelatio, nec est intrinsece repugnans, ut jam probatum est; nec cum ullis aliis factis impossibilis, cum e contra optime cum populorum traditionibus concordet; neque est ad fines creationis attingendos inutilis, siquidem Deum maxime glorificat, et imo ad rectam vitae institutionem in ordine naturali sit, ex dictis, moraliter necessaria.

Secundum etiam judicium, de impossibilitate inveniendi religionem revelatam, prudenter non potest proferri ante omnem inquisitionem. Quonam enim fundamento niteretur? Non fundamento *a priori*, quasi Deo impossibile foret revelationem a se datam, signis conspicuis et obviis decorare, quibus hanc etiam indocti facili negotio discernent. Haec quippe impossibilitas nullo modo probatur, uti diximus ubi de possibilitate revelationis mediatae. Nec idem judicium niteretur fundamento *a posteriori* seu experientia; cum, e contra, quotidie videmus multos ex incredu-

litate converti ad fidem christianam, vi motivorum credibilitatis convictos.

Tertium denique judicium, nempe: quod religio revelata, posito quod existat, non sit de praecepto, prudenter non efformaretur, ante omnem inquisitionem.

Etenim 1<sup>o</sup> cum, ex dictis, revelatio sit moraliter necessaria ad satis cognoscendam religionem naturalem, ut vita recte constituatur, omnino praesumendum est, et Deum religionem naturalem revelasse, quia non est probabile hominem carere medio vitae recte instituendae moraliter necessario, et Deum hanc revelationem sub praecepto imposuisse, secus finis non satis obtineretur.

Etenim 2<sup>o</sup> Deo non deest jus homini praestituendi finem supernaturalem, ac proponendi media huic assequendo proportionata. At hunc finem praestituere, et haec media proponere non potest, nisi revelatione, et quidem obligatoria. Nam, sine revelatione, nullus hunc finem et illa media cognoscet; et, sine obligatione, rarissimi erunt qui ad hunc finem serio tendent, sicque consilium Dei frustrabitur. Ergo, ante omnem inquisitionem, nemo prudenter judicare potest revelationem, posito quod existat, non esse de praecepto.

Hinc qui, neglecta omni inquisitione, sola religione naturali contenti esse volunt, ipsam legem naturalem graviter laedunt. In hypothesis enim quod, de facto, existat aliqua religio revelata sub poena damnationis ineunda, illi omnes qui, dubio de ejus existentia et obligatione concepto, eam inquirere neglexerint, jam non laborant ignorantia invincibili, et ideo damna-

buntur. Ergo Indifferentismi fautores maximo damnationis periculo voluntarie se exponunt, quod est sane gravis inordinatio contra legem naturalem, propter quam severe merentur a Deo puniri, etiamsi, de facto, nulla existat religio revelata.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 79.

82. *Ad 1.* Religio revelata non est necessario indiscernibilis; cum Deo non desint media hanc faciendi ab omnibus facile discernibilem, sive proprio labore, sive doctiorum magisterio. Ergo obligatio inquirendi religionem revelatam immerito judicatur supra vires humanas.

83. *Ad 2.* Etiam pro sufficienti religionis naturalis cognitione et observantia, moraliter necessarium est dari religionem revelatam et quidem obligatoriam. Insuper, Deo competit jus hominem ordinandi ad finem supernaturalem, quo in casu, debitum hominis erga Deum non coaretatur ad assecutionem perfectionis mere naturalis.

84. *Ad 3.* Non est de essentia doni et beneficii, ut ille cui proponitur possit in conscientia oblatum recusare. Quoties enim alicujus beneficii acceptatio debet procurare benefactori gloriam ad quam jus strictum habet, potest simul benefactor exigere ut acceptetur, praesertim ubi onus acceptationis per bona inde provenientia superabundanter compensatur. Jam vero talis est profecto acceptatio religionis supernaturalis.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

An et quatenus, in inquirenda revelatione, adhibenda sit methodus historica vel philosophica ?

85. Resp. I. Methodus philosophica consistit in perscrutando, naturalis rationis ope, naturam et excellentiam doctrinae quae tanquam revelata proponitur, ut exinde judicetur an fuerit vel non revelata.

Methodus historica consistit in quaerendo veritatis indicia extra doctrinam ipsam quae tanquam revelata proponitur. Haec porro indicia reponuntur in factis sensibilibus, exclusive divinis, et cum facto revelationis indivulse connexis.

1<sup>o</sup> *Sensibilibus* quidem, seu quae sensuum experientia vel testimonio hominum constare possint. De factis enim mere internis difficiliter comparatur certitudo.

2<sup>o</sup> *Exclusive divinis*, seu quae extra cursum naturae consuetum contingunt, ita ut, vel a Deo immediate procedant, vel ab aliquo agente supra-humano, sed Deo specialiter mandante et approbante. Tunc enim extraordinarius Dei interventus manifestus evadit.

3<sup>o</sup> *Cum facto revelationis indivulse connexis*, seu, ex quibus inferre liceat Deum ipsum testari se alicujus religionis auctorem esse.

86. Resp. II. Methodus historica, in inquirendo religionem revelatam, philosophicae anteponenda est.

Posito enim, ut infra demonstrabitur, dari posse facta quibus innititur methodus historica, jam patet multiplici ex parte hanc esse praeferendam.

1° *Est revelationi inquirendae magis conveniens*. Revelatio enim est factum; atqui factum facto convenientius probatur.

2° *Est brevior*. Unica enim demonstratione ex unico hujusmodi facto, jam totius religionis divinitas illico concluditur. At methodus philosophica requireret omnium dogmatum et praeceptorum religionis propositae examen studiosissimum, quod certe longum exigit tempus.

3° *Est facillior*. Facta enim, quae expendenda veniunt, sunt obvia, splendida, multorum hominum testimonio comprobata. Porro facilius est horum factorum certitudinem historicam obtinere, quam doctrinae ipsius characteres eximios percipere.

4° *Est tutior*. Nam in horum factorum cognitione acquirenda minus est errandi periculum, quam in perscrutanda intrinseca alicujus doctrinae excellentia.

37. *Resp. III.* Methodo philosophica abutuntur Rationalistae, dum in illius usu plus aequo rationis jura extollunt. Volunt enim primum institui comparisonem inter varias religiones in mundo existentes, et hanc eligi quae sublimiora et pulchriora dogmata habet. Sed contendunt eam esse sublimiorem, quae magis videtur rationis naturalis principiis consentanea, et addunt id non esse rationi consentaneum quod ipsius captum superat.

Ut autem de recto usu methodi philosophicae judicetur, sequentes statuendae sunt regulae.

*Regula 1<sup>a</sup>*. Ad dignoscendam revelationem, necessarium non est varias quae in mundo sunt religiones inter se comparare; sive quia haec comparatio est

plerisque impossibilis, sive quia longissimam moram requireret, et interea homo anceps remaneret circa viam salutis aeternae; sive quia, semel argumentis indubiis demonstrata veritate religionis catholicae, quae se uti unice veram exhibet, statim et legitime concluditur omnes alias esse falsas.

*Regula 2<sup>a</sup>*. Quoties evidenter constat aliquam doctrinam pugnare cum principiis rectae rationis, pro certo tenendum est hanc non esse veram, nec potuisse a Deo revelari; v. g., si contradicat dogmatibus aut principiis morum evidentibus; item si includat capita inter se omnino pugnantia; item si, ex nativa sua indole, petat per media illicita propagari.

*Regula 3<sup>a</sup>*. Quoties evidenter constat aliquam doctrinam principiis rectae rationis esse conformem, dicimus hanc esse veram, sed asserere non possumus fuisse revelatam. Non enim Deus necessario revelat omne verum.

*Regula 4<sup>a</sup>*. Quoties aliqua religiosa doctrina statim non apparet rectae rationi certo consentanea aut dissentanea, necessarium non est hanc attentius per solam rationem naturalem perscrutari, ut efformetur judicium certum de ejus conformitate aut repugnantia cum ratione. Factum enim revelationis promptius et certius per criteria extrinseca stabiliri potest; qua probatione facta, jam nullum dubium superest de hujus religionis consentaneitate cum rectae rationis principiis. Sed, e contra, solis tunc uti criteriis internis periculo non caret. Dari enim possunt veritates revelatae captum rationis superantes, et inter eas multae occurrunt quae naturae corruptae displicent. Porro hasce veritates, ratio naturalis superba et passionibus



obnubilata, facili negotio et imprudenter judicabit intrinsece repugnare.

*Regula 5<sup>a</sup>.* Nulla doctrina ex eo solum rejicienda est, quod includat mysteria aut praecepta positiva. Patet ex dictis de possibilitate revelationis.

*Regula 6<sup>a</sup>.* Quoties tanta reperitur alicujus doctrinae religiosae harmonia, pulchritudo et sublimitas, ut sit evidens illius praeconem non potuisse ex solis viribus naturalibus tam mirabilia cogitare, tunc *speculative loquendo*, assumi potest ut argumentum efficax veritatis; quia tunc habetur miraculum proprie dictum ordinis intellectualis, cujus vim probativam infra vindicabimus.

Dixi: *Speculative loquendo*. Non enim audemus affirmare genus illud probationis, *in practi*, aptum esse ad quoscumque convincendos. Etenim: 1<sup>o</sup> pauci sunt capaces satis expendendi et inter se comparandi varia alicujus religionis capita; 2<sup>o</sup> difficile determinatur sublimitatis gradus qui vires naturales intellectus humani superat; 3<sup>o</sup> habet criterium illud aliquid subjectivi, pendens a diversis diversarum personarum dispositionibus; unde quod uni placet nonnunquam displicet alteri; 4<sup>o</sup> demum, praejudicia et passiones obstant saepe ne praefata sublimitas, ut par est, apprehendatur.

Nihilominus, ubi ex variis auctoribus qui plurimum in doctrina revelata perscrutanda et explananda laboraverunt, haec harmonia, pulchritudo et sublimitas ob oculos ponuntur, non parum prodest illud argumentum, sive ad confirmandam fidem in jam credentibus, sive ad hanc gignendam in caeteris, modo sint bene dispositi; et ideo hoc infra judicavimus evolvendum.

## DISSERTATIO QUARTA

DE REVELATIONIS NOTIS

(Vide Brugère: *de Relig.*, pars I, cap. IV.)

88. Quia revelationis inquisitio fit notarum applicatione, hinc, postquam egimus de obligatione et modo revelationem inquirendi, procedimus ad ejusdem notas investigandas. Disserendum habemus: 1<sup>o</sup> de notis in communi; 2<sup>o</sup> speciatim de miraculo et prophetia. Circa haec quaeruntur novem.

### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quae sint notarum revelationis definitio, necessitas et species?

89. Resp. Ad 1. Notae revelationis dicuntur media per quae ad divinae revelationis existentiam cognoscendam pervenimus. Dicuntur *notae*, quia per ea revelatio nobis innotescit; dicuntur *criteria revelationis*, quatenus ex eis vera revelatio discernitur; dicuntur *motiva credibilitatis*, quatenus, ipsorum opè, factum revelationis efficitur credibile.

90. Resp. Ad 2. Necessariae sunt notae revelationis, posito quod Deus aliquam religionem revelatam nobis imponat. Vult enim ut ei loquenti praestemus assensum rationabilem; at assensus sine motivo assentiendi datus non esset rationabilis.

Insuper, juxta Catholicos, assensus fidei debet esse firmus et irrefragabilis; at firmiter et irrefragabili-

obnubilata, facili negotio et imprudenter judicabit intrinsece repugnare.

*Regula 5<sup>a</sup>.* Nulla doctrina ex eo solum rejicienda est, quod includat mysteria aut praecepta positiva. Patet ex dictis de possibilitate revelationis.

*Regula 6<sup>a</sup>.* Quoties tanta reperitur alicujus doctrinae religiosae harmonia, pulchritudo et sublimitas, ut sit evidens illius praeconem non potuisse ex solis viribus naturalibus tam mirabilia cogitare, tunc *speculative loquendo*, assumi potest ut argumentum efficax veritatis; quia tunc habetur miraculum proprie dictum ordinis intellectualis, cujus vim probativam infra vindicabimus.

Dixi: *Speculative loquendo*. Non enim audemus affirmare genus illud probationis, *in praxi*, aptum esse ad quoscumque convincendos. Etenim: 1<sup>o</sup> pauci sunt capaces satis expendendi et inter se comparandi varia alicujus religionis capita; 2<sup>o</sup> difficile determinatur sublimitatis gradus qui vires naturales intellectus humani superat; 3<sup>o</sup> habet criterium illud aliquid subjectivi, pendens a diversis diversarum personarum dispositionibus; unde quod uni placet nonnunquam displicet alteri; 4<sup>o</sup> demum, praejudicia et passiones obstant saepe ne praefata sublimitas, ut par est, apprehendatur.

Nihilominus, ubi ex variis auctoribus qui plurimum in doctrina revelata perscrutanda et explananda laboraverunt, haec harmonia, pulchritudo et sublimitas ob oculos ponuntur, non parum prodest illud argumentum, sive ad confirmandam fidem in jam credentibus, sive ad hanc gignendam in caeteris, modo sint bene dispositi; et ideo hoc infra judicavimus evolvendum.

## DISSERTATIO QUARTA

DE REVELATIONIS NOTIS

(Vide Brugère: *de Relig.*, pars I, cap. IV.)

88. Quia revelationis inquisitio fit notarum applicatione, hinc, postquam egimus de obligatione et modo revelationem inquirendi, procedimus ad ejusdem notas investigandas. Disserendum habemus: 1<sup>o</sup> de notis in communi; 2<sup>o</sup> speciatim de miraculo et prophetia. Circa haec quaeruntur novem.

### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quae sint notarum revelationis definitio, necessitas et species?

89. Resp. Ad 1. Notae revelationis dicuntur media per quae ad divinae revelationis existentiam cognoscendam pervenimus. Dicuntur *notae*, quia per ea revelatio nobis innotescit; dicuntur *criteria revelationis*, quatenus ex eis vera revelatio discernitur; dicuntur *motiva credibilitatis*, quatenus, ipsorum opè, factum revelationis efficitur credibile.

90. Resp. Ad 2. Necessariae sunt notae revelationis, posito quod Deus aliquam religionem revelatam nobis imponat. Vult enim ut ei loquenti praestemus assensum rationabilem; at assensus sine motivo assentiendi datus non esset rationabilis.

Insuper, juxta Catholicos, assensus fidei debet esse firmus et irrefragabilis; at firmiter et irrefragabili-

liter credere nemo potest, nisi habeat motivum omnino certum de revelationis existentia.

Hinc Innocentius XI hanc damnavit propositionem :  
« Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem,  
« stat cum notitia solum probabili revelationis, imo  
« cum formidine qua quis formidat ne non sit locutus  
« Deus. »

Pius IX, in Encyclica : *Qui pluribus*, 9 nov. 1846 :  
« Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio  
« decipiatur et erret, divinae revelationis factum di-  
« ligenter exquirat oportet, ut certo sibi constet Deum  
« esse locutum, ac Eidem, quemadmodum sapientissime  
« docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat.

Item, Conc. Vat. (Constit. *Dei Filius* c. 3.) « Ut  
« fidei nostrae obsequium rationi consentaneum  
« esset, voluit Deus, cum internis Spiritus sancti  
« auxiliis, externa jungi revelationis argumenta, facta,  
« scilicet, divina, atque imprimis miracula et prophe-  
« tias, quae, cum Dei Omnipotentiam et infinitam  
« Scientiam luculenter commonstrent, divinae reve-  
« lationis signa sunt certissima, et omnium intelli-  
« gentiae accommodata. »

91. Resp. Ad 3. Duplex datur notarum divisio.

1<sup>a</sup> divisio est in positivam et negativam.

*Nota negativa* est dos ex cujus absentia inferre licet talem religionem non potuisse revelari, et ex cujus praesentia inferre non licet, *directe saltem*, hanc religionem fuisse, de facto, revelatam. Igitur nota negativa est de se *simplex conditio sine qua non* iudicii de veritate revelationis; at non est conditio *cum qua* necessarium sit iudicare revelationem fuisse factam.

Attamen, *indirecte*, nota negativa certam facit revelationem, ubi, videlicet, in unica tantum religione reperitur. Tunc enim, vel haec religio est vera, vel nulla existit in mundo religio revelata. Porro repugnat hominem a Deo omni religione revelata fuisse destitutum, cum revelatio, ex probatis, sit moraliter necessaria ad vitam recte in ordine naturali instituendam.

*Nota positiva* ea est cujus praesentia probat, de facto, religionem in qua reperitur revelatam fuisse. At illius absentia non probat contrarium, nisi omnis alia nota positiva desit. Multiplex enim dari potest factum positive demonstrans revelationem, et nullum in individuo est necessarium, modo Deus aliunde sufficientia revelationis signa subministret.

2<sup>a</sup> *Divisio* est in notam intrinsecam et extrinsecam. *Nota intrinseca* ea est quae ipsi doctrinae propositae inhaeret; *extrinseca* ea est quae ab ipsa doctrina distinguitur.

#### QUAESTIO II<sup>a</sup>

Utrum praesentis vitae felicitas haberi debeat tanquam verae religionis nota?

(Vide Brugère : *de Vera Relig.*, p. 1, c. IV, p. 70, note 1.)

92. Resp. Nonnulli, ad praesentis vitae felicitatem nimium attendentes, contenderunt majorem populorum prosperitatem temporalem assumi posse ut verae religionis indicium. Opportunum itaque ducimus hanc quaestionem sequentibus assertionibus enucleare.

Dico 1<sup>o</sup> : *Fidelis observatio verae religionis mul-*

*tum confert ad homines in hac vita beatificandos, prout est possibile.*

Haec enim fidelis observatio dat individuís pacem conscientiae, hos liberat a malis quae ex intemperantia ac inordinatis voluptatibus generari solent; societatem domesticam et civilem in perfecta constituit ordinatione, honorum innumerabilium fonte; singulos homines ad omnium virtutum exercitium informat; maxime vero charitatem, humilitatem et justitiam proceribus ac divitibus, patientiam debitamque submissionem pauperibus et operariis inspirat; assecurat in pactis et contractibus fidelitatem, atque veritatem in verbis; varia insuper instituta pro omnis generis necessitatibus sublevandis promovet... etc... Atqui haec omnia certe multum conferunt ad homines in praesenti vita beatificandos, prout est possibile. Ergo...

**93. Dico 2º:** *Vera Religio non potest scientiarum physicarum, industriae, commercive evolutionem comprimere, sed hanc debet salubriter dirigere et moderari.*

**1º Non potest hanc comprimere.** Cum enim mundus physicus traditus sit homini veluti dominium explorandum, nihil vetat, etiam spectata religionis indole, quin homo naturam scrutetur, vires in ea delitescentes colligat, et ad proprios usus applicet, atque ita fructuosae relationes inter variarum gentium cives promoveantur et amplificentur.

**2º Hanc debet salubriter dirigere et moderari.**

Etenim 1º praecavenda sunt luctuosa consectaria ex nimio ad res terrenas impetu profluentia, quae sunt: coelestium oblivio, divitiarum sitis, horror

poenitentiae, luxus effrenatus, corruptio morum, operariorum servitus, et sexcenta alia, ex quibus fit progressum in materialibus esse caducum, incompletum, periculosum et exitiosum.

Etenim 2º providendum est ut omnia emolumenta temporalia ad verum et salutarem finem inserviant, nempe: ad regni Dei propagationem, et ad mores perficiendos.

**94. Dico 3º:** *Felicitas temporalis, nec est verae religionis finis praecipuus, nec necessarius effectus.*

Ibi, certe, non loquimur de omnimoda exemptione malorum temporalium, quae immunitas, posito peccato originali, est quid chimaericum; sed intelligitur ille status quo homo, licet communibus vitae miseriis obnoxius remaneat, attamen in viis suis necnon temporalibus negotiis generaliter prosperatur. Haec porro felicitas:

**1º Non est verae religionis finis praecipuus.**

Finis enim humanae vitae non est materialis prosperitas et beatitudo, sed felicitas spiritualis et aeterna. Atqui finis religionis praecipuus idem est ac finis humanae vitae. Hinc, in vera religione, bonum temporale intendere non licet, nisi in quantum bono spirituali et aeterno non obstat.

**2º Non est effectus necessarius.** Non tenetur enim Deus singulos cultores suos, licet ferventissimos, ab hujus vitae calamitatibus, etiam extraordinariis, praestare immunes; quia potest id non esse suae Providentiae ordini consentaneum. Neque etiam tenetur gentes sibi fideliter servientes temporalibus remunerare benedictionibus, nisi speciali pacto promiserit, uti contigit pro natione Judaica.

95. Dico 4<sup>o</sup>: *Necessarium non est populos vera gaudentes religione, esse, sub omni respectu, caeteris feliciores in temporalibus.*

Etenim, inter causas prosperitatis temporalis, aliae pendent ab hominum voluntatibus, aliae a beneplacito divino tantum. Fieri autem potest ut hae causae majorem habeant efficaciam apud gentes falsae religioni addictas, et minorem apud alias.

1<sup>o</sup> Si spectentur causae felicitatis temporalis ab hominum voluntatibus pendent, triplex assignatur ratio cur aliquando populi qui falsam colunt religionem, magis prosperantur, et qui veram, minus.

a) Aliquando, veram habentes religionem illam male observant, et sic salubrem ejus influxum, in ordine etiam temporali, non experiuntur; imo, saepe peiores fiunt aliis, ob culpabiliorum gratiarum abusum, et sic gravius a Deo puniuntur. At falsae religionis cultores nonnunquam suorum principiorum exitiosos effectus non sentiunt; quia eis suam agendi rationem non conformant, et imo honestatem naturalem accuratius servant, sicque temporalem prosperitatem huic honestati annexam sibi lucrantur.

b) Contingit etiam sectatores verae religionis non pari studio ac caeteros legitima felicitatis adipiscendae media adhibere, quia, vel otio torpescunt, vel incaute nimis procedunt in suis gerendis negotiis. Ergo, attempto naturali causarum secundarum cursu, quem Deus impedire non solet, minus prosperabuntur.

c) Insuper, qui falsae religioni adhaerent, saepius per fas et nefas divitias, honores, potestatem sibi comparare festinant et justos opprimunt. Justi autem solis mediis honestis sibi providere satagunt, vim in-

ferentibus cedunt, persecutiones et egestatem pro amore Dei libenter sustinent; nec ideo mirum si spoliati et vacui jaceant, dum alii repleantur et superbiant. Ergo, etc.

2<sup>o</sup> Si spectentur causae felicitatis temporalis a Dei beneplacito pendent, triplex etiam dari potest inter eosdem disparitas:

a) Varias calamitates quibus gentes etiam veritati addictissimae affliguntur et a quibus praeservantur caeterae, puta: incendia, sterilitas terrae, pestes, tempestates, etc.

b) Nonnunquam populis vera religione carentibus magis favent circumstantiae: v. g. major soli fertilitas, viri majori ingenio praediti, locupletiora documenta, ditiores bibliothecae, perfectiora instrumenta, etc.

c) Demum, divina Providentia suos servos, etiam fidelissimos, saepe durius in hoc mundo tractat, ad eorum sanctitatem promovendam; dum caeteros remissius habet, imo donis suis temporalibus ditat, sive ad eorum virtutes naturales remunerandas, sive e contra justo ac terribili judicio, quo sinit eos indurari et obcaecari.

QUAESTIO III<sup>a</sup>

Quaenam assignari debeant revelationis notae?

96. Resp. Inter revelationis notas, aliae religionis falsitatem, aliae veritatem demonstrant.

I. *Notae falsitatis sunt:*

1<sup>a</sup> Si desit omnis nota positiva certa. Repugnat enim Deum religionem revelare sub obligatione suscipiendam, non dando simul signum certum quo constat revelatio.

2<sup>a</sup> Si doctrina rectae rationis principiis certo contradicat.

3<sup>a</sup> Si persona praeconis contendens sibi revelationem fuisse factam, appareat evidenter indigna, sive improbitate morum, sive animo ad hallucinationes proclivi. Equidem, tunc falsitas religionis a tali praecone propositae non est absolute certa, quia absolute et metaphysice non videtur impossibile Deum illius ministerio uti; sed est valde probabilis, et gravem contra factum revelationis generat praesumptionem, quae signis evidentissimis deberet compensari.

II. *Notae veritatis sunt:*

1<sup>o</sup> Si aliqua religio, sola inter omnes alias, habeat notas negativas, seu careat indiciis falsitatis. Nisi enim esset vera, concludendum foret nullam existere in mundo religionem revelatam, quod non est probabile, uti jam observatum est.

2<sup>o</sup> Si aliqua religio, et quidem sola, omnibus legitimis naturae nostrae aspirationibus ita perfecte accommodetur, ut clarum sit hanc omnibus aliis doctrinis philosophicis et religiosis toto coelo antecellere, nec alium potuisse habere auctorem, praeter ipsum humanae naturae Conditorum Deum.

Haec nota positiva intrinseca considerari potest, vel *a priori*, seu in conceptu propositae religionis, vel *a posteriori*, seu in suis effectibus, quibus apparet hanc, non solum dare responsiones ad postulata mentis et desideria cordis apprime et plene consonas, sed et voluntati addere vires ad ea exsequenda quae secus complere haud posset, et id non semel tantum, sed quotidie ac perseveranter. Quomodo enim humanum

ingenium posset religioni, quam a Deo non accepisset, talem infundere virtutem?

3<sup>o</sup> Tertia nota veritatis est, si alicujus religionis praeconis asserens hanc sibi fuisse revelatam, se talem dictis et factis exhibeat, quod nullo modo liceat hunc veluti mente captum, aut execrandum impostorem traducere. Qui enim falso se jactitat a Deo missum ad novam instituendam religionem, aut agit ex bona fide, et convincitur de insaniam; aut ex mala fide, et est nefandus et execrandus seductor. At moraliter impossibile est ut unum ex his duobus non appareat unquam. Unde hujus praeconis testimonium ejusdem est ponderis pro revelationis facto, ac auctoritas testium esse solet pro veritate miraculorum quibus adstruitur revelatio. Illud autem argumentum eo majorem generat certitudinem, quo praeconis persona majori sapientia et sanctitate praeferat.

4<sup>o</sup> Demum, si in favorem religionis afferantur alia facta certa, certo divina, et cum veritate revelationis indivulse connexa; et sunt miracula et prophetiae, de quibus modo dicendum venit.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Quid et quotuplex sit miraculum?

(Vide Mazella: *de Relig.*, n. 171... Brugère: *de Relig.*, pars I, cap. I.)

97. Resp. Miraculum dicitur vel *simpliciter*, vel *quoad nos*. Sic D. Thomas (I p. 9, 110, a. 4): « Miracula simpliciter dicuntur, cum aliqua fiunt praeter ordinem totius naturae creatae. Sed quia non omnis

« virtus naturae creatae est nota nobis, ideo, cum ali-  
« quid sit praeter ordinem naturae creatae nobis no-  
« tae, per virtutem creatam nobis ignotam, est mira-  
« culum quoad nos. Sic igitur cum daemones aliquid  
« faciunt sua virtute naturali, miracula dicuntur, non  
« simpliciter, sed quoad nos. » Haec sancti Doctoris  
observatio applicatur etiam operibus quae, Deo man-  
dante, fierent per Angelos bonos, praeter ordinem na-  
turae nobis notae, et essent etiam miracula quoad  
nos, et afferri utique possent tanquam notae revela-  
tionis. Tradenda est igitur definitio tum miraculi  
*simpliciter*, tum miraculi *quoad nos*. Postea indica-  
buntur praecipuae miraculorum species et nonnullae  
eorundem falsae definitiones memorabuntur.

**98. I. Definitio miraculi quoad se considerati.**

Miraculum *quoad se* consideratum definiri potest :  
*Opus quod fit divinitus praeter ordinem totius  
naturae creatae.*

*Explicatur* : Miraculi nomen venit a *mirando*.  
Est igitur miraculum opus de se aptum ad excitandam  
mirationem. Porro, ut excitetur admiratio, duo requi-  
runtur : 1<sup>o</sup> causa operis sit occulta ; at causa occulta  
simpliciter ea est quae omnes latet creaturas, seu, est  
Deus qui in omnibus rebus secretissime operatur ;  
2<sup>o</sup> effectus sit contrarius rei dispositioni, secundum  
naturam, ita ut, spectata naturali dispositione, expec-  
tandus sit effectus contrarius. Hinc, creatio et justi-  
ficatio, licet a solo Deo fiant tanquam a causa per se  
occulta, miracula non sunt, quia nihil est in rerum  
natura quod his effectibus repugnet ; per hos enim  
effectus non ordini naturali derogatur ; sed ordo na-

turalis constituitur creatione, et, justificatione, novus  
ei ordo adjicitur.

Ut autem clarius pateat quo sensu miraculum totius  
naturae ordinem transcendat, triplex cum D. Thoma  
ordo distinguendus est : ordo particularis, ordo uni-  
versalis, ordo universalissimus.

Ordo particularis est modus quo ens creatum se ha-  
bet relative ad seipsum, id est, prout relinquitur na-  
turali suae dispositioni, a qua tamen naturaliter amo-  
veri potest per actionem alterius agentis creati. Sic,  
v. g., lapis sibi relictus tendit deorsum, sed movente  
alio agente, sursum fertur.

Ordo universalis est modus quo se habent ad invicem  
res omnes creatae, quatenus unaquaeque aliarum in-  
fluxum accipere, aut super eas proprium exercere  
potest.

Ordo universalissimus est modus quo res omnes  
creatae se habent ad Creatorem, quatenus ejus Pro-  
videntiae subjacent.

Jam vero miraculum non est solummodo praeter  
ordinem particularem ; secus, projiciens lapidem sur-  
sum, miraculum patraretur ; nec potest miraculum  
esse praeter ordinem universalissimum, quasi aliquid  
posset divinam praeordinationem effugere.

Est ergo miraculum praeter ordinem universalem  
totius creaturae, et, hac ratione, a solo Deo tanquam  
a causa principali efficitur, siquidem solus Deus or-  
dinem universalem transcendit.

Dupliciter autem contingit miraculum esse praeter  
ordinem universalem totius naturae, nempe : vel, quia  
est opus *de se* vires universae naturae superans, eo  
quod nulla sit in rerum natura vis huic effectui pro-

ducendo idonea, v. g., resurrectio mortui; vel, quia adsunt quidem in rerum natura vires quae huic sufficerent, sed tamen praedictus effectus non fuit productus juxta modum quem exigit natura, v. g., sanatio morbi solo voluntatis nutu.

Modus ille, juxta quem natura operari solet, dicitur aut *lex naturae*, aut *ordo naturae*, aut *cursus naturae*. Hae locutiones indiscriminatim sumuntur; sed tamen *lex naturae* directe significat vires ipsas naturae, quatenus quibusdam normis temperatas, ita ut eosdem effectus in eisdem circumstantiis producant; *ordo naturae* directe significat hunc ipsum modum constantem et uniformem operandi, quo lex se manifestat; *cursus demum naturae* directe significat complexionem ipsam phaenomenorum sibi debito ordine succedentium et per leges determinabilium.

99. II. Definitio miraculi quoad nos spectati.

Miraculum quoad nos spectatum definitur sic: *Factum aliquo modo sensibile, in se naturale, et, praeter legem cursumque naturae, ab aliquo agente supra-humano manifeste productum.*

Dicitur 1<sup>o</sup> *factum*: nam factum contingens quale est revelatio, si in se non percipiatur, ope alterius facti probari debet.

Dicitur 2<sup>o</sup> *aliquo modo sensibile*, id est sensibile vel in se, uti resurrectio; vel in signo illud patefaciente, uti cognitio prophetica exterius prolata; secus enim non foret revelationis nota pro iis quibus revelatio proponitur. Hinc, transsubstantiatio eucharistica non est miraculum, quamvis sit supra omnes naturae leges, quia nec est in se sensibilis, nec per species

et verba consecrationis ita patefit, ut haec signa, absque praevia fide, sufficerent ad hanc manifestandam.

Dicitur 3<sup>o</sup> *in se naturale*. Factum enim in se seu substantialiter supernaturale consistit in communicatione Entis divini creaturae facta et superante exigentiam viresque cujuslibet entis creati et creabilis. Haec autem non vocatur miraculum; quia non tam derogat ordini naturali, quam constituit alium ordinem, scilicet, supernaturalem; et insuper non est sensibilis *in se*, nec manifestatur nisi per miraculum, cui soli convenit nostra definitio.

Dicitur 4<sup>o</sup> *praeter legem cursumque naturae productum*. Adest quippe in singulis entibus creatis activitas quaedam necessaria, quae eosdem constanter effectus profert in iisdem circumstantiis. Miraculum autem non adnumeratur inter effectus sic ex sola activitate caeca et fatali creaturarum procedentes, sed oritur ex alia activitate libera, quae variabiliter operatur, et potest in iisdem circumstantiis diversos effectus gignere.

Dicitur 5<sup>o</sup> *ab agente supra-humano*, ut excludantur ea quae ex activitate libera proficiscuntur, sed humana tantum et absque interventu superioris agentis. Sic, v. g., artificialis confectio aquae, per operationem alicujus chimistae, dici posset supernaturalis relative ad agentia physica, quae naturaliter non concurrissent absque hominis arte; at, in ordine ad hominem, est mere naturalis; quia homini naturaliter inest facultas agentia physica ad proprios usus inflectendi, et ab eis nonnullos obtinendi effectus, quos sponte sua non producerent.

Dicitur 6<sup>o</sup> *manifeste productum*; secus enim non



esset revelationis nota, imo, nec attentionem hominum admirationemque provocaret. Sic non repugnat certas tempestates in aere ex operatione diabolica suscitari, nec miracula vocantur. Idem dic de quibusdam inspirationibus quas a sanctis Angelis identidem accipimus.

Ut praefata definitio melius intelligatur, sit in exemplum alicujus morbi sanatio. Contingere potest quadruplici modo: 1° absque ullo remedio ab hominibus adhibito, sed sola corporis immutatione, quasi spontanea, et est sub omni respectu naturalis; 2° per remedia ab hominibus inventa et confecta, et tunc est artificialis, sed tamen mediis in se naturalibus obtenta; 3° per occultum Dei aut alicujus angeli influxum, quo vel hominibus aptum remedium suggestum est, vel humores corporis fuerunt sensim in statu debito restituti; et tunc sanatio est supernaturalis, sed non vere miraculosa; 4° per instantaneum influxum quo aeger gravissime decumbens subito convaluit, dum via naturali nunquam sic convaluisset, et haec sanatio est vere miraculosa, ob manifestum agentis supra-humani interventum.

#### 100. III. Praecipuae miraculorum species.

Variae assignantur miraculorum species, prout ratio habetur aut legis cui fit derogatio, aut derogationis ipsius, aut virtutis per quam fieri potest.

##### I. *Ratione habita legis cui derogatur.*

Miraculum est aut physicum, aut intellectuale, aut morale.

a) Miraculum *physicum*, fit praeter legem cursumque naturae physicae, seu derogat legibus quibus reguntur corpora: v. g. retrocessio solis.

b) Miraculum *intellectuale* est cognitio quaedam praeter legem cursumque naturae intellectualis habita. Intellectus enim humanus suas habet leges, vi quarum non potest quasdam acquirere cognitiones, sine alicujus intelligentiae supra-humanae adjutorio; v. g. cognoscere futura libera, aut apprehendere ea quae lingua ipsi ignota dicuntur.

c) Miraculum *morale* est agendi ratio, praeter leges quibus humanae voluntates reguntur procedens, ex speciali ac manifesto alicujus agentis supra-humani influxu: v. g. quando multi ad aliquam religionem amplectendam, ex suppliciorum conspectu ac desiderio determinantur.

##### II. *Ratione habita derogationis ipsius,*

Miraculum dicitur tale, vel ex parte objecti, vel ex parte subjecti, vel ex parte modi.

a) Ex parte *objecti*, miraculum est opus quod, secundum se, vires naturae superat; v. g. corporis glorificatio, praenuntiare futura libera cum minutissimis circumstantiis.

b) Ex parte *subjecti*, miraculum est opus ad quod producendum natura, secundum se, habet sufficientes vires, sed non in tali subjecto; v. g. resurrectio mortui, aut illuminatio caeci nati. Potest siquidem natura dare vitam corporalem, sed non mortuo; et praestare visum, sed non caeco a natiuitate.

c) Ex parte *modi*, miraculum est opus quod natura efficere potest, et in se et in tali subjecto, sed non eo modo quo fit, v. g. instantanea corporis in locis distantibus translatio, aut sanatio morbi per solam manuum impositionem.

III. *Ratione habita virtutis per quam fieri potest derogatio.*

Miraculum aliud est proprie et stricte dictum seu primi ordinis, aliud minus proprie dictum seu secundi ordinis.

a) Miraculum *primi ordinis* illud est quod manifeste fit praeter ordinem naturae creatae universalem; v. g.: mortui resurrectio aut praedictio certa futuri liberi.

b) Miraculum *secundi ordinis* illud est quod non fit, *saltem manifeste*, praeter ordinem naturae creatae universalem, v. g.: si daemon per tabulas cum hominibus loquatur.

Dixi *saltem manifeste*; quia miraculum aliquando fieri potest praeter ordinem universalem, ac proinde a solo Deo tanquam causa principali, et tamen dicitur secundi ordinis, quia non apparet certo hoc modo factum, eo quod *de se* non superet virtutem agentis creati supra-humani: v. g. si lapis in aere suspensus maneat per legis gravitatis momentaneam interruptionem. Sane haec momentanea interruptio est praeter ordinem universalem, et a solo Deo pendet; nihilominus, haec eadem lapidis in aere suspensio, locum habere potest sine legis gravitatis interruptione, per resistantiam alicujus agentis creati supra-humani, et ideo tunc derogatio facta ordini universali non est manifesta, et miraculum dicitur secundi ordinis.

101. IV. Falsae miraculi definitiones.

(Vide Jungmann: *de Relig.*, I<sup>a</sup> pars, cap. II, art. 3.)

Mitiores illi Rationalistae qui docent, in religionis naturalis cognitione, homines speciali divinae Provi-

dentiae adjutorio dirigi, admittunt Deum ad hunc finem nonnunquam uti miraculo; sed addunt miraculum non esse opus praeter legem cursumque naturae productum, bene vero effectum quemdam mirabilem, quo ad assentiendum alicui religioni movemur. Ita Wegscheider (*Instit. dogm.*, § 48), qui ideo definit miracula: « Eventa mirabilia quae, Deo moderante, ita « comparata erant, ut spectatores ad certam divinae « Providentiae efficientiam agnoscendam excitarent, « eosque ad fidem novae religionis doctori habendam « moverent. »

Ab hac sententia non satis recedere videntur plures religionis christianae apologistae:

1<sup>o</sup> Clarkius (*Traité de la religion*, ch. XIX) asseruit omnia in orbe physico fieri, vel immediate a Deo, vel per creaturas intelligentes; ex quo concludit miraculum esse opus hoc sensu tantum legibus naturalibus derogans, quod Deus, in certo casu, agit alio modo ac agere consuevit in eisdem circumstantiis.

2<sup>o</sup> Carolus Bonnet (*Recherches philosophiques sur les preuves du Christianisme*, ch. V) opinatus est duas fuisse a Deo constitutas causarum series, ex quarum altera originem habent consueti, et ex altera insueti effectus; qui ultimi effectus, quia insueti, miracula dicuntur, et sunt notae revelationis, eo quod contingant in talibus adjunctis, ut Deus censeatur intervenire tanquam alicujus religionis testis.

3<sup>o</sup> Abbas d'Hauteville (*la religion chrétienne prouvée par les faits*) contendit, ex eisdem causis naturalibus, modo consuetos, modo insuetos effectus procedere; quia illae causae subjacent, et quibusdam legibus naturaliter cognoscibilibus, et quibusdam

aliis naturaliter menti nostrae imperviis; ac insuetos effectus vocari miracula, utpote qui ex legibus ignotis oriuntur; ideo autem miracula inservire ad probandam revelationem, quod in iis fiant circumstantiis quae indicant Deum per ea velle religionis veritatem testificari.

102. Circa praedictas definitiones pauca animadvertenda sunt:

1<sup>a</sup> *animadversio* : non diffitemur dari posse eventus aliquos singulares et eximios, legibus naturalibus non derogatorios, et in quibus specialis effulget divinae Providentiae in favorem alicujus religionis interventus. Talis est, v. g., protectio extraordinaria quam Deus nonnumquam verae religionis sectatoribus praebet adversus ejusdem inimicos. Sed talis probatio rarissime erit apta ad omnes convincendos. Quidquid sit, patratio miraculorum, qualia superius definita sunt, est de se multo efficacius argumentum; et, cum clare demonstratur hujusmodi miracula esse possible et certo dignosci posse, non est cur *a priori*, ut faciunt praedicti auctores, amoveatur talis probatio.

2<sup>a</sup> *animadversio* : Hypothesis Clarkii manifeste falsa est. Supponit enim nullas esse materiae vires, nullas leges, nullas operationes. Porro, praeterea quod hoc sensui communi repugnet, « contra rationem sapientiae est, ait D. Thomas (*cont. gent. lib. 3, c. 69*) « ut sit aliquid frustra in operibus sapientiae. Si autem « res creatae nullo modo operentur ad effectus producendos, sed solus Deus operetur omnia immediate, « frustra essent adhibitae ab eo res aliae ad producendos effectus. Repugnat igitur praedicta positio « divinae Sapientiae. »

3<sup>a</sup> *animadversio* : Si, omnibus et eisdem positis circumstantiis, certus effectus modo producitur, modo non, id haud potest a causis aut ex legibus occultis provenire, ut dicunt Bonnet et d'Hauteville; secus leges naturae non essent constantes, et principium inductionis rueret. Sic, v. g. idem ignis fornacis Babylonensis servos regis combussit et tribus pueris Hebraeis pepercit. Cum circumstantiae eadem fuerint pro servis ac pro pueris, si et priorum combustio, et posteriorum praeservatio fuerit effectus naturalis, jam lex illa vi cujus ignis corpora devorat, non erit universalis et constans, quod repugnat.

4<sup>a</sup> *animadversio* : Evangelium clare testatur Christum propria sua virtute, tanquam effectrice causa, produxisse sanationes miraculosas, et non tantum cognovisse occultas causas et leges per quas illi effectus tali praecise momento evenire debuerunt.

#### QUAESTIO V<sup>a</sup>

##### Utrum miraculum sit possibile?

103. Resp. Inter illos qui contendunt miraculum esse impossibile, alii negant quidquam a quoquam agente fieri posse praeter naturae cursum, ideoque hominem ipsum, in omnibus actibus suis, *determinismo*, ut aiunt, caeco et universali subiciunt. Illi confutantur in philosophia ubi demonstratur libertas. Alii activitatem aliquam a cursu naturae independentem in homine quidem agnoscunt, nulli autem concedunt agenti supra-humano; quippe qui, ex una parte, nullum admittunt spiritum creatum homini superiorem; ex altera vero, Deum ipsum, aut negant

existere personaliter, aut nolunt agere aliter quam modo uno et uniformi; ac proinde omnem ab eo excludunt actionem variam et particularem, qua praeter naturae cursum aliquid faceret.

Nobis autem, cum supponamus Dei existentiam personalem alibi probatam, ultimos tantum confutare incumbit. Sic ratiocinantur :

1° Deus non magis aliquid potest contra aut praeter ordinem physicum quam contra ordinem moralem. Atqui nihil potest contra ordinem moralem.

2° Praeterea, finis quem sibi Deus proposuit, leges naturales condendo, exigit ut illis nunquam derogetur; secus, omnis humana providentia, harumce legum constantiae innixa, evadit impossibilis.

3° Praeterea, vel Deus semper derogat ordini physico, ubi pares adsunt rationes, et tunc ejus operatio non fit praeter cursum naturae, sed de lege quadam generali; vel non semper derogat, ubi pares sunt rationes, et tunc dicendus est inconstans et personarum acceptor.

4° Praeterea, voluntas divina, ordini physico derogans, derogaret simul voluntati qua ille ordo fuit institutus. Ergo mutabilitatem in Deo argueret.

104. Sed contra dico : *Miraculum est in se possibile* : Conclusio est de fide, juxta conc. Vatic. (Sess. 3. De fide. can. 4) : « Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, « etiam in sacris Scripturis contentas inter fabulas vel « mythos ablegandas esse; anathema sit. »

Ratione autem philosophica evidenti probatur, tum de miraculo secundi ordinis, tum de miraculo primi ordinis.

105. 1° *Miraculum secundi ordinis, etiam ab agente creato, nullam in se involvit repugnantiam.*

Miraculum secundi ordinis illud est quod de se non est praeter ordinem universalem totius naturae creatae, ac proinde non requirit potentiam infinitam. Atqui non repugnat hujusmodi opus, licet praeter legem cursumque naturae fiat, ab agente creato suprahumano procedere. Non repugnat enim : 1° dari agentia libera suprahumana, ut patet; 2° illa agentia nonnulla operari quae manifeste, neque ex caeca activitate naturae, neque ex hominis industria procedunt; siquidem nihil obstat absolute quin Deus permittat ut hoc modo sua virtute utantur.

Quae prodigia a spiritibus creatis fieri diversa ratione, optime concipimus. Alia nempe carebunt veritate operis, et fient, vel immutando phantasiam videntis, vel formam aliquam mere apparentem oculis subjiciendo; et sic daemones ipsi possunt simulare etiam ea quae, de se, omnes vires naturales superant, v. g. mortui resurrectionem; alia habebunt veritatem operis, seu, non erunt merae illusiones; et fient, aut per motum localem, v. g. extollendo hominem sursum, ita ut volare videatur; aut applicando activa passivis, seu vires occultas naturae adhibendo ad effectus alioquin non futuros; v. g. ad sanationem alicujus morbi instantaneam.

106. 2° *Miraculum etiam primi ordinis non repugnat ullo modo.*

Id est : Non repugnat a Deo fieri opus praeter ordinem universalem totius naturae creatae.

Secus, illa repugnantia esset, vel absoluta, vel hypo-

thetica ; aliis verbis : miraculum illud repugnaret, vel quatenus factum, vel quatenus ordini universali derogatorium. Atqui neutro modo repugnat.

I. *Non repugnat absolute quatenus factum.* Factum siquidem illud, in se consideratum et sine respectu ad leges naturae, certo nullam involvit contradictionem. Quae enim contradictio quod mortuus denuo vivat, quod gravitatio locum non habeat? etc. Atqui Deus, absolute loquendo, id omne facere potest quod nullam contradictionem involvit.

II. *Nec repugnat miraculum primi ordinis hypothetice, seu, quatenus est ordini universali derogatorium.*

Derogare ordini universali, nec excedit Potentiam divinam, nec ipsius Sapientiam dedecet, nec ejus destruit Immutabilitatem. Ergo.

1<sup>o</sup> *Non excedit divinam Potentiam.* Dupliciter contingere concipitur praedicta derogatio, scilicet : aut per productionem alicujus effectus qui nulli agenti creato, tanquam causae principali, tribui potest ; aut per impeditionem alterius effectus quem natura, juxta dispositiones sibi inditas et per nullum agens creatum coercibiles, deberet producere. Porro, nec priori nec posteriori modo operari miraculum divinam Potentiam excedit.

a) Non priori quidem : secus, dicendum esset Deum, praesentem ordinem condendo, virtutem suam omnipotentissimam limitasse ad effectus viribus entium a se creatorum proportionatos, et hoc evidenter est falsum.

b) Nec posteriori modo etiam : dispositiones enim quas Deus naturae indidit ad talem effectum, etiamsi

a nullo agente creato sint impedibiles, certe ab agente increato coerceri queunt, v. g. Deus potest impedire ne ignis, etiam omnibus positis conditionibus requisitis ad comburendum, revera comburat. Verum est equidem, posita alicujus entis essentia, necessarium esse ut habeat radicaliter vires tales effectus sibi proportionatos producendi ; at essenziale non est ut vis illa ad actum reducatur ; nulla enim potentia creata ad actum est essentialiter reducta, cum in conceptu potentiae ab actu separatae nulla reperiatur contradictio ; et id luce clarius est in doctrina communiter apud philosophos recepta, omnem potentiam creatam indigere, ut ad actum reducatur, Dei concursu qui semper ab eo denegari potest. Ergo miraculum primi ordinis non excedit divinam Potentiam.

2<sup>o</sup> *Nec dedecet divinam Sapientiam derogare ordini universali.* Proprium sapientiae est media aptare ad finem ; et idcirco, ad divinam Sapientiam spectat providere ut omnia convenienter ordinentur, sive ad fines generales creationis, sive ad fines particulares proprios. Atqui miraculorum etiam primi ordinis patratio :

a) Non obstat finibus creationis in genere, sed e contrario valde illis inservit ; quia, per miracula, supremum Dei dominium in creaturis magis elucet, excitatur nostra erga eum fiducia, manifestatur ejus amicorum sanctitas, et praecipue revelationis factum fit evidens.

b) Neque obstat finibus particularibus propter quos Deus leges naturae universales et constantes esse voluit. Ideo certe id voluit, ut inductioni daretur locus, et homines, creaturis utendo, sibi tuto providere va-

leant. At miracula neutrum impediunt; quia non sunt ordinis universi universa perturbatio, sed suspensio alicujus effectus particularis, in casu particulari tantum; sic v. g. dum ignis parcebat tribus pueris in Babylonis fornace, in aliis locis non cessavit comburere.

3<sup>o</sup> Denique, praefata derogatio, divinam *non destruit Immutabilitatem*, quasi Deus, sic legibus suis derogando, retractaret voluntatem qua ab aeterno illas condidit. Miraculum enim, uti diximus, non est praeter ordinem universalissimum, seu non contingit praeter divinam praeordinationem; sed Deus uno et aeterno actu simul decrevit, et leges statuendas, et afferendas in tempore eisdem derogationes.

Sic igitur respondendum est iis quae opponuntur n<sup>o</sup> 103.

107. *Ad 1.* Non eadem est ratio ordinis moralis ac ordinis physici. Ordo physicus est ordo creaturarum ad invicem; ordo moralis est ordo voluntatis liberae ad Deum. Deus autem ordini voluntatis creatae ad seipsum derogare non potest, quia tunc creaturam eximeret a dependentia essentiali qua ad Creatorem suum refertur, quod prorsus est impossibile.

108. *Ad 2.* Non magis humana providentia impeditur per alicujus legis derogationem in uno casu particulari, ac in regno impeditur ne cives ad normam legum vivant, eo quod uni eorum aliqua dispensatio a principe, pro lege et casu particulari, concessa fuerit.

109. *Ad 3.* Ubi pares sunt rationes, Deus non tenetur semper legibus naturae derogare, quia finem suum multis aliis mediis obtinere potest. Cur enim, volens duos homines aequaliter dispositos convertere

ad fidem, non poterit, unum novo miraculo, alium simplici veterum miraculorum narratione, de veritate revelationis convincere? Insuper, etiamsi semper, ubi pares sunt rationes, ordini universali derogaret, ejus operatio non minus foret ordini physico ab eo statuto derogatoria, quamvis legi cuidam suae Providentiae, in ordine morali, esset consentanea.

110. *Ad 4.* Voluntas divina, instituendo ordinem physicum praesentem, non fuit ut nunquam ei derogetur, sed e contra. Ergo, huic ordini derogando, Deus voluntatem non mutat, sed implet potius.

#### QUAESTIO VI<sup>a</sup>

Utrum religionis alicujus divinitas per miracula rite probetur?

111. *Resp.* Videri potest quod non.

Etenim, 1<sup>o</sup> Demonstratio per miraculum non fit nisi historice constet de facto ipso, quod allegatur tanquam miraculosum. Atqui id videtur impossibile. Illa siquidem facti existentia noscitur testimonio humano. Jam vero testimonium illud non confert nisi certitudinem moralem, quae probabilitatis limites non excedit, nec fidei religiosae potest sufficere.

2<sup>o</sup> Praeterea, judicandum est secundum ea quae communius contingunt. Atqui, saepius evenit testes decipi aut decipere quam fieri derogationes naturae legibus. Prius enim est tantum moraliter impossibile, et ideo quandoque accidit testes aut decipi aut decipere, ut testatur experientia; posterius vero est physice impossibile, et quotidianae observationi contradicit.

leant. At miracula neutrum impediunt; quia non sunt ordinis universi universa perturbatio, sed suspensio alicujus effectus particularis, in casu particulari tantum; sic v. g. dum ignis parcebat tribus pueris in Babylonis fornace, in aliis locis non cessavit comburere.

3<sup>o</sup> Denique, praefata derogatio, divinam *non destruit Immutabilitatem*, quasi Deus, sic legibus suis derogando, retractaret voluntatem qua ab aeterno illas condidit. Miraculum enim, uti diximus, non est praeter ordinem universalissimum, seu non contingit praeter divinam praeordinationem; sed Deus uno et aeterno actu simul decrevit, et leges statuendas, et afferendas in tempore eisdem derogationes.

Sic igitur respondendum est iis quae opponuntur n<sup>o</sup> 103.

107. *Ad 1.* Non eadem est ratio ordinis moralis ac ordinis physici. Ordo physicus est ordo creaturarum ad invicem; ordo moralis est ordo voluntatis liberae ad Deum. Deus autem ordini voluntatis creatae ad seipsum derogare non potest, quia tunc creaturam eximeret a dependentia essentiali qua ad Creatorem suum refertur, quod prorsus est impossibile.

108. *Ad 2.* Non magis humana providentia impeditur per alicujus legis derogationem in uno casu particulari, ac in regno impeditur ne cives ad normam legum vivant, eo quod uni eorum aliqua dispensatio a principe, pro lege et casu particulari, concessa fuerit.

109. *Ad 3.* Ubi pares sunt rationes, Deus non tenetur semper legibus naturae derogare, quia finem suum multis aliis mediis obtinere potest. Cur enim, volens duos homines aequaliter dispositos convertere

ad fidem, non poterit, unum novo miraculo, alium simplici veterum miraculorum narratione, de veritate revelationis convincere? Insuper, etiamsi semper, ubi pares sunt rationes, ordini universali derogaret, ejus operatio non minus foret ordini physico ab eo statuto derogatoria, quamvis legi cuidam suae Providentiae, in ordine morali, esset consentanea.

110. *Ad 4.* Voluntas divina, instituendo ordinem physicum praesentem, non fuit ut nunquam ei derogetur, sed e contra. Ergo, huic ordini derogando, Deus voluntatem non mutat, sed implet potius.

#### QUAESTIO VI<sup>a</sup>

Utrum religionis alicujus divinitas per miracula rite probetur?

111. *Resp.* Videri potest quod non.

Etenim, 1<sup>o</sup> Demonstratio per miraculum non fit nisi historice constet de facto ipso, quod allegatur tanquam miraculosum. Atqui id videtur impossibile. Illa siquidem facti existentia noscitur testimonio humano. Jam vero testimonium illud non confert nisi certitudinem moralem, quae probabilitatis limites non excedit, nec fidei religiosae potest sufficere.

2<sup>o</sup> Praeterea, judicandum est secundum ea quae communius contingunt. Atqui, saepius evenit testes decipi aut decipere quam fieri derogationes naturae legibus. Prius enim est tantum moraliter impossibile, et ideo quandoque accidit testes aut decipi aut decipere, ut testatur experientia; posterius vero est physice impossibile, et quotidianae observationi contradicit.

3° Praeterea, testes qui referunt v. g. mortuos non resurgere, sunt multo numerosiores illis qui referunt talem mortuum, puta : Lazarum, resurrexisse. Sed testes multo numerosiores jus habent ut potius credantur.

5° Praeterea, etiamsi certissime constaret de factis allegatis, necessarium esset, insuper, ut clare ostenderetur illa esse miraculosa, seu ex viribus naturae occultis non proditiisse. Atqui id nemo praestabit, nisi cognoscat quousque se extendunt vires naturae occultae, quae cognitio omnibus est impervia.

5° Praeterea, inter vires naturae occultas, adnumeranda sunt virtus imaginationis, necnon fluidum electricum ac magneticum, quorum effectus hodie in phaenomenis nonnullis recenter observati, praesertim somnambulismi ac hypnotismi, olim ab omnibus veluti miraculosi habiti fuissent, et nunc mere naturales existimantur. Ergo nihil obstat quominus facta, quae passim uti miracula traducuntur, scientiarum progressibus reducantur ad proportionem naturales.

6° Praeterea, ut nulla circa factum miraculosum relinquatur dubitatio, oporteret convenire viros quam plurimos in scientiis physicis peritissimos, qui, et tempus et locum et spectatores et subjectum miraculi determinarent, et imo ejusdem miraculi iterationem, quoties libuerit, possent exigere. Atqui in omnibus factis, quae uti miracula proferri solent, praefatae conditiones nunquam verificantur, nec sperare licet eas unquam verificandas; sed thaumaturgi suo arbitrio elegerunt et locum et tempus et spectatores et subjectum miraculi. Ergo de miraculo patrato nunquam satis constat. Ita Renan, *Vie de Jésus : Introduction.*

7° Praeterea, dato quod semel constiterit facta allegata et revera contigisse, et esse miraculosa, nunquam certi erimus ea esse divinitus patrata. Existunt enim, ipsis Catholicis fatentibus, spiritus creati quorum virtus naturalis in immensum vires naturae physicas, necnon humanam industriam excedit. Atqui id omne quod asseritur miraculosum, hujusmodi agentibus tribuere licet; et, hoc posito, jam immerito affertur tanquam Dei ipsius testimonium.

8° Praeterea, etiamsi aliquod miraculum certo et divinitus patratum fuisset, nunquam evidenter appareret connexio logica inter divinitatem miraculi, et divinitatem religionis in cujus favorem invocatur. Sicut enim Deus cooperatur consecrationi eucharisticae, etiam ex intentione mala a malo sacerdote peractae, quin hanc perversam ministri intentionem approbet, sic, non repugnat eum patrati alicujus miraculi, quod falsae religionis praedicator in sui favorem adduceret, cooperari, quin velit hanc falsam religionem suo testimonio confirmare; quia alios fines legitimos sibi proponere potest.

112. Sed contra est quod Conc. Vatic. sic definivit (*Sess. 3 De fide, can. 4*): « Si quis dixerit... miracula « certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema « sit. »

Ad cujus evidentiam, praenotandum est quid sit veritas miraculi historica, quid philosophica, quid relativa. Constat veritas historica miraculi, quando constat veram esse narrationem facti quod pro miraculo assumitur. Constat veritas philosophica, quando constat illud factum verum esse miraculum, et qui-



dem divinitus patratum, seu : vel a Deo solo, vel ab aliquo agente supra-humano, Deo specialiter mandante et approbante. Constat ejusdem veritas relativa, quando apprehenditur certa connexio inter divinitatem miraculi et divinitatem religionis, eo quod miraculum evidenter appareat habendum esse tanquam Dei ipsius testimonium in alicujus religionis favorem.

113. Quibus positis, dico 1<sup>o</sup>: *Ubi alicujus miraculi constat veritas historica, philosophica et relativa, praestat certum revelationis factae argumentum.*

Quae conclusio a nemine negatur, et facile probatur, tum ex natura facti, tum ex communi sensu.

Prob. 1<sup>o</sup> *Ex natura facti.*

Positis enim praedictis conditionibus, jam Deus ipse testatur veritatem religionis, non formaliter quidem, hanc propriis terminis enuntiando, sed aequivalenter; sicut rex, apponens sigillum suum alicui scripto, eo ipso testificatur scripturam hanc fideliter exprimere proprios suos conceptus, quos alteri patefacere intendit. Atqui nullum esse potest divinum testimonium de re falsa. In homine, prolatio erronea aliquando a formali mendacio excusatur, propter invincibilem ignorantiam, vel defectum advertentiae. At in Deo omniscio et omnia advertente, prolatio erronea esset semper verum mendacium; quod, in Ente summo sancto et veraci, manifestam includit contradictionem.

Prob. 2<sup>o</sup> *Ex communi sensu.*

Adest in omnibus innata propensio ad fidem adhibendam doctrinae divinis miraculis confirmatae; et haec propensio:

a) ita est *universalis*, ut, apud omnes populos,

allegari soleant miracula in gratiam variarum religionum positivarum;

b) ita est *invincibilis*, ut omnes, statim atque agnoverint verum miraculum divinitus factum in favorem alicujus religionis, statim convincantur, et nullus obsequi detrectet nisi, aut negando certitudinem historicam facti allegati, aut in dubium revocando ejus miraculositatem, aut asserendo illud non divinitus esse patratum, sed posse attribui diabolo, aut saltem non fuisse in favorem religionis datum. Jam vero, quomodo Deus, cujuslibet universalis et invincibilis propensionis auctor, talem dedisset, cujus effectus unicus esset nos in errorem inducere?

114. Dico 2<sup>o</sup>: *Certo quandoque constare potest veritas historica miraculi.*

Haec veritas nititur testimonio humano. Testimonium autem humanum, quoties adsunt conditiones in logica requisitae, veram generat certitudinem, etiamsi versetur circa factum miraculosum. Si enim non generaret certitudinem, id proveniret, vel ex eo quod est testimonium humanum, et hoc non, alioquin induceretur scepticismus historicus; vel ex eo quod est de facto miraculoso; nec illud posterius dicere licet.

Etenim, 1<sup>o</sup> miracula sunt in se eventus naturales in certo ordine sibi succedentes; v. g. resurrectio mortui coalescit ex tribus: hic homo vixit, hic homo mortuus est, hic homo nunc vivit. Porro singuli hujusmodi eventus, necnon ordo juxta quem sibi invicem succedunt, tam possunt constare testimonio humano, quam quilibet alius eventus sensibilis et publicus. Ergo miraculositas facti non obstat quin, ex testimonio, eadem

gaudeat certitudine ac eventus naturalis non miraculosus.

Etenim 2<sup>o</sup> miracula sunt facta extraordinaria, quae majori attentione observantur, et quae, ubi in favorem religionis passionibus odiosae fiunt, minus libenter admittuntur. Ergo, si adsint conditiones requisitae, testimonium humanum ea referens majorem merebitur fidem, ac ubi versatur circa alia facta non miraculosa.

**115. Dico 3<sup>o</sup> :** *Certo constare potest aliquod factum esse miraculosum.*

Ibi loquimur de miraculo quoad nos. Hoc autem sensu illud factum dicitur miraculosum, quod nec procedit ex fatali entium creatorum activitate, nec ex activitate libera hominis, sed ex agentis supra-humani interventu manifesto. Atqui possumus quandoque, absque dubio, cognoscere aliquod factum esse hujusmodi.

a) Possumus certo scire illud non provenire ex fatali activitate entium creatorum. Duo enim apud omnes pro exploratis habentur, nempe : 1<sup>o</sup> revera dari hujusmodi activitatem quae, positis iisdem circumstantiis, eosdem invariabiliter producit effectus; est quippe illa fides in legum naturae universalitatem et constantiam, in omnibus hominibus invincibilis, et omnis inductionis principium; 2<sup>o</sup> nos aliquas saltem harumce legum cognoscere; quis enim ignorat v. g. hominem lingua orbatum non posse loqui, mortuum non posse resurgere, aquam non posse solo imperio in vinum converti, quinque parvos panes non posse ad plura hominum millia saturanda sufficere? etc., etc. Unde : posita illa naturae constantia et co-

gnitione, certo aliquando judicare possumus, in talibus circumstantiis, talem effectum esse naturaliter producendum, aut naturaliter non esse producendum. Ergo, quoties effectus naturaliter producendus revera non producitur, aut producitur effectus naturaliter non producendus, pro certo tenendum est id explicari non posse per fatalem creaturae activitatem.

b) Possumus etiam certo scire factum non debere tribui liberae hominis activitati et industriae, scilicet : ubi nullius hominis activitas intervenit, aut intervenit quidem, sed per operationem facto explicando prorsus improportionatam : v. g. si ad brachii extensionem mare dividatur; si solo vocis imperio sol sistat; aut si graviter decumbens, per manus impositionem subito sanetur. Ergo potest quandoque pro certo teneri, nec ex fatali entium creatorum activitate, nec ex libera hominis operatione aliquod factum procedere; ac proinde illud per manifestam alicujus agentis supra-humani interventionem peractum esse; secus daretur effectus sine causa, et hoc sufficit ut constet facti miraculositas.

**116. Dico 4<sup>o</sup> :** *Certo etiam constare potest aliquod miraculum fuisse divinitus patratum.*

Miraculum illud dicitur divinitus patratum, quod vel a Deo solo, vel a spiritu creato supra-humano, sed Deo specialiter mandante et approbante factum est. Porro veritas miraculi sic intellecta quandoque potest esse manifesta.

Haud repugnat equidem Angelos malos aliquos effectus praeter cursum legemque naturae manifeste producere, etiam in confirmationem falsae religionis, ac proinde Deo non mandante nec approbante; sed id

non faciunt nisi Deo permittente. Deus autem, id permittens, simul dabit media deceptionem detegendi aut saltem probabiliter suspicandi, ita ut his miraculis non inducamur in errorem. Attenta enim hac, de qua diximus, innata, universali et invincibili propensione habendi miracula tanquam Dei ipsius testimonium, jam subjaceremus tentationi moraliter insuperabili, si, miraculo in favorem religionis falsae patrato, ejus diabolicam originem nullo signo detegere aut suspicari valeremus. Ergo, deficientibus quibuscumque signis quibus miraculum saltem suspectum appareat, certo judicandum est illud esse divinum; item a fortiori si adsint signa contraria.

117. Signa autem quibus secernuntur miracula divina a diabolicis, alia desumuntur ex substantia operis, alia ex ejus characteribus moralibus.

1º Considerando operis substantiam, affirmandum est uti divinum, omne miraculum quod est evidenter primi ordinis, seu excedens ordinem universalem totius naturae creatae, v. g. mortui resurrectionem.

2º Considerando operis characteres morales, miraculum est diabolicum, quoties doctrina, propter quam confirmandam fit, certo caret notis negativis revelationis, seu est manifeste falsa; aut quando in opere, aliquid inhonesti, aut incongrui, sive in fine, sive in effectibus, sive in mediis, sive in persona thaumaturgi deprehenditur. At, ubi ejusmodi indicia procul absunt, et, e contrario, omnia veritatem, puritatem, sanctitatem spirant; tunc, nisi quis divinam Providentiam neget, contendatque Deum velle hominibus illudere, indubie tenendum est miraculum esse divinum.

118. Dico 5º: *Quandoque certo constare potest*

*miraculum habendum esse tanquam Dei ipsius testimonium in alicujus religionis favorem.*

Ad hoc sufficit ut quandoque miraculum et religio ita ad invicem referantur, ut certo appareat prius esse confirmationem posterioris. Porro haec relatio quandoque clare percipitur, et quidem dupliciter: directe aut indirecte.

1º *Directe*, quoties thaumaturgus expresse Deum invocat ut testem, et in probationem miraculum proferat; et tunc nulla difficultas.

2º *Indirecte*, quoties natura aut circumstantiae miraculi satis ostendunt Deum se exhibere ut testem; ad quod declarandum nonnulla exempla indicare sufficiet; nempe:

a) Ubi miraculum consistit in doctrinae ipsius sublimitate et sanctitate.

b) Ubi, praedicante praecone, super caput ejus coelum aperitur, et splendore miraculoso illum collustrat.

c) Ubi miraculum reperitur in ipsamet portentosa religionis, absque causis naturalibus, imo contra omnes causas naturales, propagatione et conservatione; — aut in fructibus sanctitatis eximiis quos gignit et qui omnem virtutem naturalem transcendunt; — aut in modo quo ejus cultores, divinae Providentiae interventu, proteguntur, vel quo ejus hostes viis prorsus extraordinariis puniuntur, etc..., etc.

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur nº 111.

119. *Ad 1.* Testimonium humanum debitis vestitum conditionibus, non moralem tantummodo, sed et absolutam generat certitudinem, qua excluditur omnis errandi possibilitas.

120. *Ad 2.* Judicando ex communiter contingentibus, potius standum est testimonio humano debitis vestito conditionibus et referente miraculum, quam pronuntiandum, propter observantiam quotidianam, factam non fuisse legibus naturae derogationem. Testimonium enim humanum, positis ponendis, nunquam fallit nec fallere potest; at observatio quotidiana non excludit possibilitatem miraculi, sed solummodo testatur illud non esse adeo frequens.

121. *Ad 3.* Qui asserunt mortuos non resurgere, non contradicunt testibus narrantibus alicujus mortui resurrectionem; quia nec primi testantur talem mortuum non resurrexisse, nec secundi negant legem generalem vi cuius mortui non resurgunt.

122. *Ad 4.* Ut quis iudicio positivo indicare possit omnes effectus naturaliter producibiles, habere debet perfectam virium naturae occultarum notitiam; sed ut iudicio negativo certo pronuntiet talem effectum non posse viribus naturae, etiam occultis, tribui, ipsi sufficit certa legis particularis, cui effectus contradicit, cognitio; quia eo ipso, ob legum naturalium constantiam, concluditur hunc ex nulla causa alia naturali procedere.

123. *Ad 5.* Imaginationis influxus prorsus impertinens est ad explicanda miracula in iis personis patrata quae frigidam imaginationem habent, aut quae de miraculo nequidem cogitant, nec ad explicanda miracula in parvulis, aut extra hominem in rebus inanimatis contingentia, v. g. panum multiplicationem, resurrectionem mortuorum, aquae conversionem in vinum. Insuper, vis illa imaginationis et ipsa suos habet limites. Numquid, v. g. poterit

dare visum caeco a nativitate, vel loquelam lingua orbato?

Phaenomena virium electricarum, magneticarum et etiam hypnotismi quae tantopere jactantur, multiplicibus indiciis apparent naturalia. Etenim, non obtinentur nisi praevis quibusdam operationibus determinatis, determinatas exigunt condiciones naturales, et in operante et in patiente, cum certo ordine et progressu sibi succedunt, arsque illa obtinendi studio et experientia acquiritur, perficitur et aliis transmittitur. At diversae omnino rationis sunt miracula, ut patet.

Demum, inter phaenomena quae objici solent, nonnulla reperire est quae interventum agentis suprahumani aperte supponunt, v. g. loqui lingua ignota, et quae, ex multis indiciis, merito diabolica reputantur.

124. *Ad 6.* Nemo sanus non videt, quam impia et blasphematoria sint quae congerit Renan circa modum cognoscendi miracula. Magna quippe impietas et inaudita blasphemia est affirmare: 1° Deum non posse religionem suam aliquo miraculo confirmare, quin prius praemoneantur et convocentur ad experimentum viri doctissimi; 2° nec posse ad nutum eligere locum, tempus, spectatores et subjectam miraculi; 3° donum patrandi miracula ita ab hominum pendere beneplacito, ut, quoties ipsis libuerit, iterum atque iterum eadem operari debeat thaumaturgus; 4° assensum denique Deo debitum suspendendum esse, donec annuerint viri illi, quos, veluti operationis divinae iudices, inducere non erubescit Renan.

Tandem, etiam historice constat thaumaturgos or-

dinarie proprio suo arbitrio non elegisse tempus, locum, spectatores et subjectum miraculorum quae patrauerunt. Quoties enim aegros ad se occurrentes in tali vel tali indifferenter loco et tempore sanabant!

125. *Ad 7.* Concedimus existere spiritus creatos homini superiores, qui miracula secundi ordinis patrare valeant; sed contendimus dari posse miracula primi ordinis, quae superant omnem virtutem creatam, et non deesse signa quibus diabolicam aut divinam caeterorum miraculorum originem discernamus.

126. *Ad 8.* Deus cooperando consecrationi ex mala intentione peractae, habet fines omnibus notos, ita ut neminem fugiat, Deum, tali cooperatione, perversam ministri intentionem nullatenus approbare. Quilibet enim fidelis optime scit Deum ideo cooperari consecrationi sacrilegae, ut efficacia sacramentalis verbis consecrationis servetur, et Ecclesia bono sacrificii non careat. At ubi miraculum certo divinum fieret in favorem religionis falsae, deficientibus quibuscumque deceptionis signis, ex nullo capite scire possemus Deum religionem approbare nolle. Ergo, tunc, Deus miraculo cooperans, ipse nos in errorem induceret.

QUAESTIO VII<sup>a</sup>

Quid et quotuplex sit prophetia?

127. *Resp. I.* Sensu generaliori, dicitur prophetia omnis cognitio miraculosa, seu, omne miraculum intellectuale; prophetare autem est cognoscere et annuntiare ea quae sunt procul et remota a cognitione hominum, sive futura, sive praeterita, sive praesentia.

Sensu magis stricto, prophetia definitur: *Praedic-*

*tio certa eventus futuri, cujus cognitio naturaliter non habetur.*

Dicitur 1<sup>o</sup> *praedictio*, si enim consisteret tantum in cognitione miraculose habita, sed quae intra mentem occulta remaneret, esset revelatio solummodo, non autem revelationis nota.

Dicitur 2<sup>o</sup> *certa*, alioquin foret aut divinatio aut conjectura. Nemo autem dicitur propheta, quia divinando aut conjecturando verum quid praedixerit.

Dicitur 3<sup>o</sup> *eventus futuri*, quia ad illud objectum restringitur prophetia, secundum strictam significationem.

Dicitur 4<sup>o</sup> *cujus cognitio naturaliter non habetur*, id est, habetur praeter leges quibus regitur humanus intellectus.

Duplici autem modo cognitio eventus futuri obtinetur naturaliter. Primo modo: si eventus ille apprehendatur tanquam determinate praeeexistens in sua causa creata, ex qua proditurus est; sic astronomus praedicit eclipsim. — Secundo modo: si eventus futuri cognitio accipiatur ab alio homine hanc naturaliter aut supernaturaliter habente. Hinc, non esset propheta, qui librum ab aliquo propheta exaratum et caeteris omnibus hominibus ignotum perlegeret, et perlecta divulgaret; nec ille qui in libro prophetico jam noto, per accuratiorem interpretationem, quaedam reperiret vaticinia huc usque nondum apprehensa. — Igitur cognitio futuri, quae neutro ex his duobus modis acquiritur, merito vocatur prophetica, quia fit praeter leges quibus regitur humanus intellectus.

128. *Resp. II.* Duplex distinguitur prophetia; quia su-

pernaturalis cognitio eventus futuri dupliciter contingere potest. Aliquando enim contingit prophetia praeter ordinem universalem omnium intelligentiarum creaturarum; ubi, scilicet, versatur circa futurum aliquod, cujus cognitio certa soli intellectui divino pervia est, et tunc est prophetia *primi ordinis*. Aliquando non superat capacitatem naturalem cujuscumque intellectus creati, et ideo accipi potest ab aliqua intelligentia creata supra-humana, v. g. cognitio cujusdam terrae motus cujus causa, iam existens, ab hominibus tamen penitus ignoratur; et tunc est prophetia *secundi ordinis*.

QUAESTIO VIII<sup>a</sup>

Utrum possibilis sit cognitio prophetica etiam primi ordinis?

129. Resp. Non inquirimus an Deus possit homini revelare eventus futuros a se cognitos, quia id aperte sequitur ex demonstrata possibilitate revelationis. Ergo sufficit adstruere: 1<sup>o</sup> dari in Deo cognitionem omnium futurorum; 2<sup>o</sup> dari eventus futuros quorum cognitio metaphysice certa transcendit capacitatem naturalem cujuscumque intellectus creati, et manifestatio constituit prophetiam *primi ordinis*.

Qui negant in Deo dari cognitionem omnium futurorum, sic ratiocinantur:

1<sup>o</sup> Verum et ens convertuntur; ergo quod non est actu ens, non est actu verum; sed quod non est actu verum non potest terminare intellectionem. Ergo quod non est actu ens non potest cognosci.

2<sup>o</sup> Praeterea, videtur non posse a Deo praecognosci actus liberos, eo quod jam non essent liberi. Nam

praescientia divina est metaphysice infallibilis; atqui si quod Deus praevideat posset non evenire, jam praescientia divina esset fallibilis. Ergo quod Deus praevideat non potest non evenire, seu, evenit necessario, ac proinde non est liberum.

130. Dico 1<sup>o</sup>: Deus certo cognoscit quidquid futurum est.

Prob. 1<sup>o</sup> *ex facto*. Dantur verae prophetiae, ut infra demonstrabitur. Ergo Deus certo ab aeterno cognoscit saltem eventus futuros in hisce veris prophetiis praenuntiatos. Sed hi eventus sunt potissimum actus liberi, quorum praevisioni, ut infra probabitur, transcendit capacitatem cujuscumque intellectus creati; et ideo non est major ratio cur Deus hos praecognoscat et non alios. Ergo omnes novit.

Prob. 2<sup>o</sup> *ex divina Immutabilitate*. Omnia quae fiunt, eo instanti quo fiunt, a Deo ignorari nequeunt; ergo ab aeterno illa cognoscit, secus, ejus scientia acciperet incrementum, nec esset immutabilis.

Prob. 3<sup>o</sup> *ex Infinitate intellectus divini*. Intellectio infinita, qualis est divina, debet se extendere ad id omne quod habet veritatem objectivam. Atqui, ab aeterno futuritio cujuslibet rei futurae est objective vera. Si enim v. g. verum est me nunc loqui, antecedenter et ab aeterno verum erat me nunc esse locuturum.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 129.

131. *Ad 1.* Verum et ens convertuntur re, sed differunt ratione. Nam verum nihil aliud est quam ens prout ordinem dicit ad intellectum. Porro ens nondum actu existens, seu futurum, habet ordinem

ad intellectum divinum, hoc sensu, quod ab eo apprehenditur et repraesentatur, et quamvis nondum existat secundum esse reale et physicum, existit tamen secundum esse intentionale. Aliunde, si quod nondum actu existit non est actu cognoscibile, astronomus non poterit cognoscere eclipsim futuram, quod est absurdum.

132. *Ad 2.* Illa propositio: Si quod Deus praevidit posset non evenire, jam praescientia divina esset fallibilis, distinguenda est sic: tunc praescientia divina esset fallibilis, si quod Deus praevidit posset non evenire, possibilitate excludente necessitatem tum absolutam, tum infallibilitatis, concedo; possibilitate excludente solam necessitatem absolutam, nego.

Porro, necessitas absoluta ea est quae includit ineluctabilem voluntatis determinationem ad unum, et haec repugnat libertati. Necessitas infallibilitatis, seu consequentiae, quoad actus liberos, ea est vi cuius, facta aliqua hypothesi, in qua supponitur libera voluntatis determinatio, jam fieri nequit voluntatem non se libere determinare; et illa necessitas certe non opponitur libertati, sed illam potius exigit. Sic, v. g. posito quod videam Socratem currentem, necesse est Socratem revera currere, sed necessitate infallibilitatis, non absoluta, et ideo, hac non obstante, fieri potest ut Socrates libere currat.

Posita ergo infallibili Dei praevisione de actu libere futuro, necesse est ut actus fiat, sed necessitate infallibilitatis tantum, non absoluta; quia haec praevisio divina supponit liberam futuritionem actus futuri. — Juxta Thomistas, supponit futuritionem liberam hoc sensu, quod Deus hunc actum praevideat in suo de-

creto, vi cuius efficaciter, et praedeterminat voluntatem ad actum, et ita praedeterminat, ut tamen simul voluntas seipsam determinet, et habeat dominium sui actus; efficit quippe Deus et actum et libertatem actus. — Juxta Molinistas autem, illa praevisio supponit futuritionem liberam actus, hoc sensu, quod libera voluntatis determinatio ad actum a Deo non efficiatur, sed praesupponatur futura antecedenter ad illius cognitionem. Quaecumque igitur admittatur sententia, salva remanet libertas, non obstante praevisione infallibili; quinimo praevisio falleretur, si quod Deus praevidet libere futurum, fieret necessario.

133. Dico 2<sup>o</sup>: *Dantur eventus futuri quorum cognitio metaphysice certa transcendit capacitatem naturalem cujuscumque intellectus creati.*

Sunt enim eventus futuri qui in nullis causis creatis existentibus habent esse determinatum, sed, vel a sola Causa increata dependent; v. g. existentia talis hominis; vel pendent a causa creata nondum existente, aut existente quidem, sed quae, utpote libera, est de se indifferens ad talem actum praevisum. Porro tales eventus non possunt certitudine metaphysica praecognosci naturaliter ab ullo intellectu creato.

Etenim, facta contingentia duplici tantum ratione ab intellectu creato naturaliter cognoscuntur, intuitione, scilicet, et discursu; intuitione, quando percipiuntur in suo esse proprio; discursu, quando ex alio facto naturaliter noto eorum existentia eruitur. Jam vero, eventus futuri, de quibus supra, nullo ex his duobus modis ab intellectu creato cognosci queunt.

Non 1<sup>o</sup> *intuitione*; solius quippe Dei est, ratione suae aeternitatis omnia tempora pervadentis, res fu-

turas quascumque in suo esse proprio veluti praesentes conspicere.

Non 2<sup>o</sup> *discursu*, seu, ex alio facto naturaliter noto. Deberent enim illi eventus futuri, cum aliquo facto naturaliter noto habere connexionem metaphysice certam. Atqui nullum est factum naturaliter notum cum quo habeant connexionem metaphysice certam. Eventus enim futurus, vel *a solo* Dei arbitrio pendet, uti v. g. opus Incarnationis, vel pendet a causa creata nondum existente, vel pendet a causa creata existente. In duobus prioribus casibus, thesis nostra per se patet; quia in primo casu, ad cognitionem futuri necessarium foret Dei liberum consilium percipere, quod evidenter superat vires naturales intellectus finiti; in secundo casu, deberet mens noscere decretum divinum causae creatae futuritionem determinans, quod non est magis possibile, absque revelatione speciali.

At non magis, discursu naturali, cognosci queunt actus liberi qui pendent ab aliqua causa creata jam existente. Vel enim, ut aiunt Thomistae, determinatio ad actum liberum procedit ex decreto efficaci divino praedeterminante, et hoc decretum naturaliter soli Deo notum est; vel, ut contendunt Molinistae, illa determinatio, a sola voluntate creata, positis omnibus praerequisitis ad agendum, producit; et haec determinatio, cum sit libera, non habet connexionem metaphysice certam cum voluntate creata, etiam positis omnibus praerequisitis ad agendum munita; ac proinde, quantacumque ponatur illius inclinatio ad actum, nunquam metaphysice repugnat quod ab illo absteat. Ergo nullum datur factum naturaliter co-

gnoscibile, habens cum actu libere futuro connexionem metaphysice certam.

QUAESTIO IX<sup>a</sup>

Utrum et quatenus prophetia sit certissimum revelationis criterium?

134. Resp. Qui negant vim demonstrativam prophetiae, sic ratiocinantur cum Rousseau (*Emile*, l. 3): Quaecumque supponatur praedictio, etiam divinando aut casu fortuito peracta, ejus adimpletio, secundum se non repugnat. Nihil autem vetat id contingere quod, secundum se, non est impossibile. Ergo alicujus praedictionis impletio non probat hanc praedictionem fuisse divinitus factam; ac proinde afferri nequit in probationem.

135. Sed contra dico 1<sup>o</sup>: *Omnis prophetia, divinitus facta in alicujus religionis confirmationem, habet de se, ubi impleta fuerit, vim probandi decretoriam.*

Propositio sic enuntiata a nemine negatur, et aperte sequitur ex dictis. Prophetia enim est verum miraculum intellectuale. Jam vero miraculum divinitus patratum in confirmationem religionis, habet, de se, vim probandi decretoriam, quia Dei ipsius testimonium continet.

Dixi: *ubi impleta fuerit*, et in hoc, prophetia a caeteris miraculis differt. Alia miracula, statim ac patrata fuerunt, certum argumentum subministrant; prophetiae vero, non nisi cum impletae fuerint; quia antea non constat de miraculo intellectuali, aut saltem non ita constat, ut prophetia, ex se sola, vim habeat



demonstrativam. Verum est equidem, prophetiam, quamvis nondum impletam, probari posse divinam per alia miracula, aut alias prophetias jam impletas; sed tunc, ex his aliis miraculis aut prophetiis, potius quam ex ipsamet prophetia nondum impleta, licebit argumentari.

136. Dico 2° : *Prophetia habet etiam vim probandi quoad nos*; id est : de conditionum praerequisitarum verificatione saepe certo constare potest.

1° Constare potest historice factum ipsum praedictionis impletae. Etenim, factam fuisse talem praedictionem, factam fuisse ante eventum, et eventum concordare cum illa, sunt facta historica de se naturalia, et quorum certitudo per testimonium hominum obtineri potest, sicut alterius cujuscumque facti sensibilis.

2° Constare potest hanc praedictionem non esse factam naturaliter, sed supponere interventum alicujus intelligentiae supra-humanae. Nam, si praenuntientur facta a solo Dei arbitrio, vel a voluntate libera creaturarum pendentia; si haec facta sint multiplicia, cum minutissimis circumstantiis descripta; si sint naturalibus causarum secundarum dispositionibus omnino contraria, certe absonum et ridiculum esset praetendere illa, aut naturaliter ab homine fuisse praecognita, aut casu fortuito cum prophetia concordare. Ergo tunc certo constabit intelligentiae supra-humanae interventus.

3° Constare potest prophetiam fuisse divinitus factam. Fatendum est non repugnare, absolute loquendo, quod aliquis spiritus creatus supra-humanus, etiam malus, habeat notitiam cujusdam facti nobis naturali-

ter impervii, sive habeat ex propria sagacitate, sive ex revelatione, et quod hanc notitiam alicui homini communicet, ut ea utatur ad caeteros in falsam religionem inducendos. Sed, facta hac hypothesi, Deus teneretur nobis subministrare signa hunc diabolicum interventum indicantia. Ergo, si haec signa omnino desint, de quibus supra diximus, a fortiori si contraria appareant, pro certo tenendum est prophetiam esse divinam, seu, vel a solo Deo procedere, vel ab alio spiritu supra-humano, Deo specialiter mandante et approbante.

4° Certo demum constare potest prophetiam aliquam hoc fine a Deo datam esse, ut religionis revelatae veritas confirmetur, et quidem id patet eisdem mediis quae jam protulimus, ubi de miraculis.

Ergo ad id quod objicitur n. 134, respondendum :

137. Posita aliqua praedictione alicujus eventus liberi cum minutissimis circumstantiis, illud quod dicimus repugnare, non est praecise quod eventus reipsa contigerit, sed quod praedictio hujusmodi divinando aut casu fortuito facta, eventui prorsus conformis fuerit. Talis siquidem conformitas, ut testatur sensus communis, non magis causae naturali tribui potest, quam efformatio poematis Iliadis fortuito characterum jactui. Quid autem, si multa reperiantur in favorem ejusdem religionis vaticinia sic adamussim impleta?

## DE VERA RELIGIONE

### PARS SECUNDA

#### DE RELIGIONE CHRISTIANA.

138. Religionem catholicam quae, splendidiori luce refulgens, omnium ad se trahit oculos, divinam demonstrant: 1<sup>o</sup> ipsius notae intrinsecae, seu mirabilis excellentia; 2<sup>o</sup> ipsius notae extrinsecae.

Prior demonstratio, quia non applicatur nisi doctrinae Christi, qualis in Ecclesia Romana intelligitur et edocetur, remittenda est ad sequentem tractatum de *vera Ecclesia*. Posterior autem, quadruplici argumentorum genere potissimum continetur: 1<sup>um</sup>, ex factis evangelicis; 2<sup>um</sup>, ex nascentis Christianismi historia; 3<sup>um</sup>, ex mira utriusque Testamenti, novi et veteris, consensione; 4<sup>um</sup>, ex falsitate aliarum religionum positivarum.

Primum argumentum afferri nequit nisi stabilita librorum historicorum novi Testamenti, id est, Evangeliorum et Actuum Apostolorum historica auctoritate; ergo quinque erunt dissertationes.

### DISSERTATIO PRIMA

#### DE AUCTORITATE HISTORICA EVANGELIORUM ET ACTUUM APOSTOLORUM.

139. Postquam Rationalistarum placita circa praedictorum librorum auctoritatem exposuerimus, demons-

trandum erit, eos libros esse genuinos, substantialiter integros, et veraces; ex quo patebit adversariorum systemata omni carere fundamento. Sint igitur quaestiones quinque.

(Vide D. Wallon : *De la croyance due à l'Évangile. Vie de Notre-Seigneur J.-C. ; Introduction.* — DD. Meignan : *Les Évangiles et la critique au XIX<sup>e</sup> siècle.* — De Valroger : *Introduction sur le nouveau Testament.* — H. Perreye, apud : *le Correspondant* : mai et octobre 1859.)

#### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quid sentiant Rationalistae de auctoritate historica Evangeliorum et Actuum Apostolorum?

140. Resp. Nonnihil praenotandum est circa auctoritatem libri historicam.

Haec auctoritas in eo consistit, quod vera sint quae in eo narrantur. At illa veritas maxime pendet ex scientia et veracitate auctoris; ideoque, ad hanc veritatem demonstrandam, maxime refert cognoscere libri auctorem, aut saltem epocham in qua scriptus est. Nihil tamen nobis prodesset cognoscere auctorem vera scripsisse, nisi constaret simul ejus librum fideliter ad nos pervenisse, seu talem qualis fuit ab auctore exaratus. Ergo, priusquam alicujus libri auctoritas historica stabiliatur, oportet ostendere: 1<sup>o</sup> eum esse *authenticum*, seu potius, *genuinum*, id est, hunc habere auctorem cui adscribi solet; vel, si auctor ignoretur, ea aetate scriptum esse ad quam refertur; liber autem non genuinus dicitur *spurius*, seu, *suppositivus*; 2<sup>o</sup> eum esse *integrum*, seu, neque per addi-

S. Hieronymus, ut ipse testatur (*contra Helvidium, c. 16*) non afficiunt codices graecos, sed versiones latinas, et non sunt nisi adnotationes declarativae, desumptae ex aliis Evangeliiis; unde fuerunt leves, et brevi detectae et expunctae.

157. *Ad 3.* Critici historici obijciunt graves rationes contra facti allegati veritatem. At, posito quod Anastasius tentaverit corruptionem Evangelii, hanc certe non perfecit, quia ob numerum ingentem codicum tunc in mundo existentium, erat impossibilis. De caetero, sunt sacrorum codicum et Patrum exemplaria Anastasio multo antiquiora, quae cum codicibus recentioribus perfecte concordant.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Utrum libri Evangeliorum et Actuum Apostolorum sint veraces?

158. *Resp.* Videri potest quod non:

Etenim: 1<sup>o</sup> Evangelistae circa multa sibi contradicunt. Sic v. g. eadem non est Christi genealogia apud Sanctum Matthaeum et apud Sanctum Lucam. Item, juxta tres Evangelistas, Christus manducavit Pascha prima die azymorum, et juxta sanctum Joannem, ante diem festum Paschae, etc.

2<sup>o</sup> Praeterea, Evangelium S. Joannis nimium a tribus aliis differt; exhibet enim doctrinam subtiliorem, et sermones Christi ab eo relati majori sublimitate se commendant.

159. *Sed contra dico 1<sup>o</sup>: Scriptores sacros circa facta, majoris saltem momenti, quae in Evangeliiis*

*et Actibus Apostolorum narrantur, repugnat fuisse deceptos.*

Illa enim repugnantia est evidens, si spectetur conditio sive rerum narratarum, sive narrantium, sive narrationis ipsius.

1<sup>o</sup> Quae narrantur sunt maximi momenti, tum in se, tum in suis consecrariis; sunt insuper cognitu facilima, quia sensibus obvia et plerumque publica, habentiaque testes numerosissimos.

2<sup>o</sup> Narratores sunt numero plures, sunt sani mente ut ostendunt eorum scripta, sunt coevi, id est: aut oculati, aut eodem tempore et loco viventes quibus facta narrata contigerunt, et insuper scripserunt, viventibus et approbantibus iis qui facta propriis oculis viderant.

3<sup>o</sup> Narrationes ipsae sunt assertivae et concordantes. Sunt assertivae, seu absque ulla haesitatione; non enim dicunt scriptores: *nobis visum est*, sed simpliciter affirmant hoc vel illud evenisse. Sunt etiam eorum narrationes perfecte concordantes, saltem circa substantiam factorum majoris momenti, et nullus unquam eorum adversus quemquam aliorum reclamavit. At praesertim illarum miranda videtur concordia, in referendo sublimissimum perfectionis exemplar quod in Christo relucet.

Jam vero, talium factorum, a talibus hominibus, narrationes tales invicte probant narratores non fuisse deceptos. Si enim decepti fuissent, dicendum esset illos, aut ex insania, aut ex nimia credulitate, aut ex fanatismo, suae imaginationis foetus pro factis realibus accepisse. Sed, nec eximia sapientia, qua se commendant, siuit eos habere tanquam insanos, nec

eorum tarditas ad credendum facit eos suspectos nimiae credulitatis, neque eos fanatici accusare permittunt styli simplicitas, indolis uniformitas, ac mentis insignis tranquillitas. Insuper, etiamsi daretur illos aut insaniam, aut nimiam credulitatem, aut caecum fanaticum abreptos fuisse, prorsus fuit impossibile quod eodem modo hallucinarentur, atque secum in iisdem illusionibus consentientes haberent testes innumeros, eorum quibus dicuntur peracta facta, in Evangeliiis et Actibus Apostolorum consignata. Ergo.

Diximus in thesi: *circa facta maioris sallem momenti*; quia in iis potissimum verificantur conditiones ad testimonii veracitatem requisitae, et id plane sufficit demonstrationi catholicae. Quoad caetera autem facta minoris momenti, quae non nisi paucos habuerunt testes, aut ex aliorum paucorum testimonio referuntur, narratio evangelica, sicut quaelibet alia, in se spectata, nonnunquam solam dat probabilitatem. At, semel probata divinitate religionis catholicae, facili negotio progredimur ad statuendam scriptorum Evangelicorum inspirationem, divinamque ideo suorum librorum auctoritatem, indeque concludimus illos in omnibus quae narrant credendos esse.

160. Dico 2<sup>o</sup>: *Auctores Evangeliorum et Actuum Apostolorum, circa facta quae narrant, noluerunt decipere.*

Illorum enim sinceritas, tum in personis ipsis, tum in eorumdem scriptis apparet evidens:

1<sup>o</sup> *Considerando personas ipsas*, supponere non licet eos voluisse decipere. Etenim:

a) Erant plebei, rudes, et simplices. Atqui repugnat viros huiusmodi iniisse consilium decipiendi Iudaeos

et Gentiles, totumque adducendi humanum genus ad amplectendam novam religionem, tantopere praepiudiciis et cupiditatibus infensam. Tale quippe propositum viros etiam eruditissimos et potentissimos deterrisset; quanto magis Apostolos!

b) Omnes fatentur illos fuisse in sua vita irreprehensibiles. Atqui talem ordiri machinationem solis sceleratissimis competit.

c) Nemo gratis mentitur. Sed Apostoli nullum sui mendacii, nec a Deo, nec ab hominibus, nec in praesenti, nec in futura vita, emolumentum sperare poterant.

d) Insuper, ad tanti facinoris executionem, debuerunt patriam, amicos, parentes deserere; longis et salebrosis itineribus se devovere; famem, sitim, frigus, opprobria, maledicta, verbera, carceres, tormenta et mortem perpeti. Jam vero, si nemo gratis mentitur, quanto minus ubi tanta sibi ex mendacio mala impendunt! Ergo 1<sup>o</sup> *considerando personas ipsas...*, etc.

2<sup>o</sup> *Considerando eorum scripta admitti nequit eos voluisse decipere.*

Et hoc multipliciter constat:

a) Impostor quos vult decipere non terret, ipsis proponendo doctrinam praepreconceptis opinionibus et cupiditatibus adversam. Atqui tamen sic fecissent scriptores sacri.

b) Impostor qui falsam narrationem concinnat, supponit facta in remota regione et remotis temporibus peracta; ea verbis exprimit generalioribus, et sedulo tacet circumstantias particulares, nec testes, nec monumenta invocat quibus sua fraus facile detegatur. Atqui tamen contrarium faciunt Evangelistae.

c) Impostor in narrando falsa, ab illis se abstinere quae ipsi probrosa essent, et vim sui testimonii labefactarent. Sed scriptores sacri ea candide referunt, quae nata sunt de illis sinistram apud legentes opinionem gignere.

d) Impostor haud narrat ea quae vergunt in dedecus eorum quos sibi conciliare intendit, et qui exinde magis exacerbarentur. At scriptores novi Testamenti res hujusmodi multas ob oculos ponunt, nempe: quae patefaciunt Pharisaeorum, Scribarum, Sacerdotum, plebis Judaicae, Gentilium superbiam, ingratitude, avaritiam, et crudelitatem.

e) Impostor falsa proferens, ea callide ordinat, artificiosis implectit ambagibus, subdolis roborat argumentis. Atqui, e contrario, Evangelistae utuntur stylo simplicissimo, eventus quantumvis extraordinarios, sine emphasi exponunt, ab omni philosophica aut critica disquisitione cavent, ita ut nescires an Christi potius quam Judaeorum partes sequantur.

f) Demum, iidem in fere omnibus reperiuntur concordantes, et in quibusdam apparenter dissentiunt. Exinde autem remouent a se suspicionem malae machinationis. Vel enim ad fallendum consilium inierunt inter se, vel non. Si prius: quomodo has apparentes contradictiones non vitarunt? Si posterius: quomodo eorum in tam multis consensio explicabitur?

**161. Dico 3<sup>o</sup>:** *Auctores Evangeliorum et Actuum Apostolorum, in factis quae narrant, saltem majoris momenti, non potuissent decipere.*

Ad decipiendum enim in hujusmodi factis, tres necessariae fuissent conditiones, quarum nulla est possibilis.

1<sup>a</sup> *conditio necessaria* erat mutua conspiratio, non solum Evangelistarum, sed et omnium scriptorum novi Testamenti, omnium etiam Apostolorum et discipulorum qui Christum comitabantur, imo et tot hominum qui supponuntur dicta Christi propriis auribus, et gesta propriis oculis percepisse, seu eorum omnium qui decipi non poterant, et a quibus necessarium erat obtinere ut, saltem non reclamando, fraudi voluntarie patrocinerentur; et haec conspiratio perseverare debuit usque ad singulorum conspirantium mortem. Porro impossibilis est tam unanimes et tam diuturna conspiratio, inter tot personas diversas, et pro consilio ita nefando, difficili, et periculoso.

2<sup>a</sup> *conditio necessaria* erat, ut scriptores illi, viribus naturalibus sui ingenii, Christi vitam, indolem et doctrinam excogitarent et uniformiter exprimerent. Jam vero talis exemplaris et talis doctrinae inventio naturaliter erat impossibilis: « L'inventeur, ait Rousseau, en serait plus étonnant que le héros. »

3<sup>a</sup> *conditio necessaria* erat, Judaeis et Gentilibus qui postea conversi sunt, persuadere ea esse fide dignissima quae continentur in Evangelio. At quomodo id potuerit obtineri, cum agatur de factis maximi momenti, splendidis, facillimis cognitu, omnium admirationem et attentionem ex se provocantibus, et quae supponebantur recenter coram ingenti multitudine testium adhuc viventium peracta?

**162. Dico 4<sup>o</sup>:** *Multa sunt facta et testimonia quae narrationes Evangeliorum et Actuum Apostolorum mirum in modum confirmant.*

Sunt autem sequentia:

1<sup>o</sup> *Existentiâ ipsa societatis Christianae.*

Etenim, est factum patens et etiamnum perseverans, orbem universum, relictis idolorum superstitionibus, ad religionem Christianam transiisse. Unde: vel miracula Christi et Apostolorum vera sunt, et causam obtinemus; vel falsa, et tunc universi orbis conversio, absque miraculis peracta, est ipsa miraculum creditu multo difficilius.

Insuper, ab exordio societatis Christianae celebrata sunt festa Paschatis, Pentecostes, Epiphaniae, Nativitatis, Annuntiationis...; viguit mos publice scripta Apostolorum recitandi; frequens fuit signi crucis usurpatio, oblatio sacrificii Missae, necnon communionis receptio..., etc. Porro haec monumenta, factis ipsis quorum memoriam exhibent coaeva, luculentissimum subministrant testimonium illius fidei quae, omni tempore, libris novi Testamenti habita est.

2° *Confessio saltem tacita adversariorum.*

Etenim, ex nullo antiquo documento ostendi potest Apostolos, dum verbis et scriptis dicta et facta Christi publice annuntiarent, de falsitate testimonii unquam accusatos fuisse, quamvis eorum praedicationem adversarii omni modo prohibere studuerint.

Praeterea, apostatae cum a paganis interrogarentur, ut Plinius refert, nunquam aliquid protulerunt quod historicae Evangeliorum veritati noceret, quamvis hanc denegare plurimum ipsorum interesset, ut suam excusarent ignaviam, et paganorum favorem sibi conciliarent. Demum, haeretici primaevae aetatis Ecclesiae facta Evangelica variis modis explicabant, sed ea non negabant aut in dubium revocabant. Ita Ebionitae, Cerinthiani, Valentiniani et alii passim Gnostici.

3° *Concordantia cum veteribus scriptoribus.*

1° Sub Augusto Imperatore totius orbis censum, cujus Lucas meminit, praescriptum fuisse colligitur ex Tacito, Suetonio, Diono Cassio.

2° Sidus quod Christi nativitatem illustravit memorat Chalcidus philosophus Platonius tertii saeculi.

3° Puerorum Innocentium caedem velut rem omnibus notam refert Macrobius (*Saturnal.* l. 2, c. 4).

4° Parentes Jesu ipsi fuga consuluisse ac secessisse in Egyptum, Celsus atque Judaei Christo exprobrant, eumque accusant quod ibi magicas artes didicerit, quibus falsa patravit miracula.

5° Phlegon, Adriani Imperatoris libertus, mortuus anno 156, asserit Christum multa praedixisse, praesertim circa Judaeorum cladem, quae revera contigerunt; stupendam solis defectionem et ingentem terrae motum memorat locum habuisse eo anno quo Christus mortuus est. De eadem eclipsi loquitur Thalys, auctor Graecus primi saeculi. Tertullianus autem necnon Lucianus, presbyter et martyr, Romanos remittunt ad annales publicos hunc naturae casum referentes.

6° Innumeros aegros a Christo sanatos confitentur Celsus, Hierocles, Julianus. Hierocles qui Alexandriae praecerat anno 303, in libro *Philalethes*, miraculis Christi opponit miracula Apollonii Tyanensis; Julianus Christianis insultat eo quod Christi prodigia, in vico Bethsaidae, patrata fuerint coram caecis et claudis.

7° Tacitus, Celsus, Julianus narrant, ex sententia Pilati Judaeae praefecti, Christum fuisse cruci affixum.

8° Ex Lampridio, qui in saeculo IV floruit, Tiberius voluit Christum inter deos reponere, propter ingentem

famam, et renuit Senatus. Eadem fuit mens imperatorum Adriani et Alexandri quibus resisterunt oraculorum consultores.

4<sup>o</sup> *Testimonium Josephi Flavii.*

Judaeus ille scriptor, lib. 18, *Antiq. Jud.* c. 3. commemorans ea quae sub Pontio Pilato acta sunt, haec scribit: « Eo etiam tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui verum cum voluptate accipiunt, multosque Judaeos, multos etiam gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus, quem cum Pilatus ab hominum nostrorum primis delatum crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt qui primum amaverant. Apparuit autem eis tertia die redivivus, divinis vatibus et haec et mille alia de eo miranda effatis. Atque ab eo denominata Christianorum natio usque ad hunc diem. »

Equidem, ante Eusebium, nullus hunc textum citavit contra Judaeos et Gentiles; nec id mirum: nullus enim tunc negabat veracitatem Evangeliorum in his verbis confirmatam. Cum autem Eusebius primus aggressus sit veritatem Evangelii profanis demonstrare testimoniis, hunc locum usurpavit, et deinceps multi alii scriptores ecclesiastici allegarunt; nec ulla usque ad saeculum XVI controversia mota est de ejus authenticitate. Si ergo hodie in quibusdam exemplaribus consideratur, id voluntariae omissioni tribuendum est. Ergo.

Sic igitur respondendum ad quae opponuntur n. 158.

163. *Ad I.* Contradictiones allegatae, etiamsi verae essent, non infirmarent veritatem historicam factorum circa quae scriptores sacri omnino concordant.

Porro concordant circa omnia facta majoris momenti, eorumque discrepantiae non sunt nisi accidentales.

At illae etiam discrepantiae nullam involvunt contradictionem; quia optime conciliari possunt, et, de facto, per Scripturae sacrae interpretes facile conciliantur. Multae inde proveniunt quod, unus aliquod factum aut certam alicujus facti circumstantiam refert, dum alius idem factum, vel eandem circumstantiam tacens, alia facta similia, aut alias ejusdem facti circumstantias enarrat. De caetero, ne diutius in his exponendis immoremur, sufficiat unum aut alterum conciliandi modum ex auctoribus probatis proponere, circa duas discrepantias in objectione indicatas.

Sic a) ut concilientur duae genealogiae Christi, unam inter plures alias seligemus explicationem certe probabilem, quae sic se habet: Joseph erat filius Jacobi per generationem, filius autem Heli per affinitatem, quia Maria, sponsa S. Joseph, erat filia Heli, cujus nomen bebraice idem est ac Heliacim, seu Joachim. Hinc habemus apud Matthaeum generationem S. Joseph, apud S. Lucam generationem Mariae. Reponunt equidem nonnulli exinde sequi Mariam, ac proinde Christum, non descendere a David per Salomonem, sed per Nathan, quod promissioni David factae de filio Salomonis contradicit. Sed notandum est in utraque genealogia reperiri Salathiel, qui descendit ex Salomone per carnalem generationem juxta S. Matthaeum. Revera, apud S. Lucam Salathiel dicitur filius Ner, qui descendit a David per Nathan; sed ideo dicitur filius Ner, quia filiam ejus unicam desponsaverat, sicut Joseph dicitur filius Heli.

b) Ut concilietur S. Joannes cum aliis circa diem

qua Christus manducavit Pascha, duplex fieri potest hypothesis: Juxta primam, dicendo Christum manducasse Pascha primo die azymorum, tres priores Evangelistae loquuntur de die religioso qui computabatur a primis vespèris; et S. Joannes, dicendo eum manducasse ante diem festum Paschae, loquitur de die naturali qui incipit a media nocte. Si autem Judaei, juxta S. Joannem non introierint in praetorium Pilati, *ut manducarent Pascha*, per illud pascha intelliguntur cibi paschales, seu hostiae pacificae, quae per septem dies immolabantur, et quas immundi non poterant manducare. — In secunda hypothesisi, quoties dies Paschae incideret die Veneris, tunc, ne duo concurrerent dies quibus abstinendum esset ab operibus servilibus, et praesertim a mortuis sepeliendis, transferebatur festum in sabbatum sequens. Hac tamen licentia religiosi Judaei non utebantur, nec Christus uti voluit. Hinc Christus, juxta litteram legis, agnum occidit primo die azymorum; sed attento more apud Judaeos passim recepto, id fecit ante diem festum Paschae; et sic omnia optime cohaerent.

164. *Ad 2.* Inter Evangelium S. Joannis et caetera Evangelia, nullum reperitur discrimen quoad Christi indolem et doctrinam. Aliae autem differentiae sufficientissime explicantur, non tantum ex speciali S. Joannis ingenio, sed et sine quem sibi in scribendo proposuit. Voluit enim: 1° ea memorare quae caeteri Evangelistae silentio praeterierant. Sic factum est, v. g. ut de Eucharistiae institutione nihil dicat, sed late prosequatur sermonem Christi in quo promittitur haec institutio, illumque quem post coenam habuit; 2° voluit praesertim horum haereticorum impudentiam

retundere, qui Christi divinitatem passim negabant. Hinc est quod his specialiter insistat quae illud dogma in majori luce ponunt v. g. miraculis in quibus magis relucet Christi perfectiones, et praesertim sermonibus quos habuit in urbe Jerusalem prope templum, et direxit ad legis doctores, sacerdotes, et nobiliores viros, quando uteretur praestantiori dicendi modo, et sublimiora suae doctrinae capita evolveret.

QUAESTIO V<sup>a</sup>.

Quid igitur sentiendum sit de placitis Rationalistarum circa auctoritatem historicam novi Testamenti?

165. *Resp. Dico 1°: In impugnando veritatem historicam novi Testamenti, Rationalistae nituntur principiis falsis.*

Duobus enim nituntur principiis fundamentalibus: 1<sup>um</sup> est: Quidquid miraculum sapit a spiritu scientifico alienum est, et ideo rejiciendum. 2<sup>um</sup> est: Auctoritas historica alicujus libri, ope criteriorum intrinsecorum potius quam extrinsecorum, dijudicanda est. Atqui utrumque principium falsum est.

1<sup>um</sup> principium falsum est, ut patet: vel enim fides in miraculis ideo a spiritu scientifico aliena dicitur, quia miraculum est impossibile, et falsitas principii patet ex probata miraculi possibilitate; vel quia miraculum, quamvis sit possibile, *a priori* judicandum est non esse verum; et talis conclusio est omnino illegitima, ut patet. Quoties enim factum aliquod est possibile, testimonium affirmans ejus realitatem rejici nequit, nisi ponderatis motivis quibus de testimonii valore pronuntiare liceat.



2<sup>um</sup> autem principium et sensum communem laedit, et est periculis plenum.

1<sup>o</sup> *Laedit sensum communem.* Nam origo alicujus libri est factum historicum, quod testimonio multo magis quam ratiocinio detegitur. At cognita libri origine, alia quaestio: an scilicet ejus scriptor sit deceptor aut deceptus, certe, juxta sensum communem, melius elucidari nequit, quam examinando, utrum adsint vel non conditiones in logica requisitae ad testimonii valorem, et hae conditiones sunt criteria extrinseca.

2<sup>o</sup> *Idem principium est periculis plenum.* Ex illo enim fit hominem rationis suae individuae placitis plus aequo indulgentem, sibi arbitrarias praestituere regulas, quarum ope, modo unum factum, modo aliud, absque motivo sufficienti, respuet. Et cum, insuper, pauci reperiantur in eorundem factorum juxta criteria interna aestimatione concordēs, hinc innumerae orientur controversiae circa fidem eidem libro tribuendam, et mox praevalebit pyrrhonismus historicus universalis. Et revera, quot jam opiniones apud Rationalistas pullularunt in determinanda auctoritate historica novi Testamenti!

166. Dico 2<sup>o</sup>: *Methodus Rationalistarum, in impugnando auctoritatem historicam novi Testamenti, non est scientifica.*

Quicumque enim scientifica uti methodo gloriatur, debet factis, quae scientifice perscrutari aggressus est, causam assignare idoneam, cum scientia sit cognitio rerum per causas. Christianismus autem est factum sane omnium maximum, ideoque habere debet causam perspicuam. Ergo Rationalistis qui illud scientificae inquisitioni submittere contendunt, onus incumbit

illius causam idoneam assignandi. At, si illis credatur, tanti facti causa reponenda est in hallucinatione, aut in machinatione fraudulenta, aut in poeticis fictionibus. Quas causas esse facto explicando idoneas, nemo sanus sibi persuadebit, qui tantisper Christianismi characteres eximios, mirabilem conservationem, ac in moribus privatis et publicis influxum coi sideret.

167. Dico 3<sup>o</sup>: *Specialim repugnat systema mythicum.*

Repugnat, scilicet, tum in criteriis a Straussio assignatis ad mythos discernendos, tum in eorundem applicatione Evangelii facta.

1<sup>o</sup> *Repugnat in criteriis assignatis ad discernendos mythos.*

Primum criterium, ut vidimus, est: illud factum esse mythicum, quod legibus naturae derogat; cujus criterii falsitas jam patet.

Secundum criterium est: illud factum esse mythicum, circa quod dantur narrationes inter se contradictoriae. Porro illud est falsum. Nam plures narrationes possunt in facti substantia concordare; aliae igitur contradictiones nihil probant contra veritatem facti substantialem. Aliunde, etiam posita contradictione substantiali, optime fieri potest, ut una ex his narrationibus demonstretur vera.

Tertium criterium est: adesse mythos quando narratio est poetica et narrator entusiasta. Porro id falsum est; quia facta, in se mirabilia, possunt veraciter stylo poetico et cum entusiasmo narrari, v. g. cruciades.

Quartum criterium est: illud factum esse mythicum quod cum vulgatis opinionibus concordat. Sed illud etiam falsum est; quia conformitas facti narrati cum

opinionibus vulgo receptis, reddit e contra ejus realitatem historicam verisimiliorem; communiter enim ea eveniunt quae his opinionibus consonant. Ergo systema mythicum repugnat in suorum criteriorum assignatione.

2<sup>o</sup> *Repugnat etiam in eorundem criteriorum applicatione Evangelii facta.*

Straussius enim, ut haec criteria Evangelii applicet, contendit, sed non probat, haec Evangelia longe post Apostolos conscripta esse. At, etiam dato conscripta fuisse post Apostolos, impossibile est facta quae in his referuntur esse mythica; et hoc constat duplici argumento.

*Argumentum primum* : Ad mythi efformationem requiruntur, et tempus satis diuturnum, et ideae mytho consentaneae. Atqui, pro mythorum evangelicorum efformatione defuit utraque conditio. Defuit tempus sufficiens : nam, ex ipso Straussio, Evangelia in fine secundi saeculi exarata fuere; ex altera autem parte, vigente primo saeculo, seu viventibus Apostolis, efformari non potuerunt mythi evangelici. Super sunt ergo quinquaginta, aut ad summum, centum anni; quod tempus, ad mythos evangelicos tam sublimes efformandos, est prorsus insufficiens. Ergo defuit tempus. Sed et defuerunt ideae hisce mythis consentaneae, cum religio catholica Judaeorum et Gentilium praejudiciis penitus adversaretur.

*Argumentum secundum* : Ex quatuor criteriis a Straussio assignatis, si primum excipias, cujus falsitas jam est satis probata, nullum est quod conveniat Evangeliiis. Etenim 1<sup>o</sup> varia Evangelia concordant in multis; in caeteris vero, quae sunt accidentalia, non

discordant nisi apparenter tantum; 2<sup>o</sup> in his non deprehenditur stylus poeticus aut fanaticum redolens; 3<sup>o</sup> idea demum Messiana vulgo recepta, longe diversa erat ab ea quam Evangelia exhibent. Ergo....

168. De sententia Eichhorn circa proto-Evangelium, jam satis supra dictum est. Opinio autem Baur speciali non indiget confutatione, quia, ex dictis de auctoritate historica Evangeliorum, sufficienter reprobat. De caetero, omnes vident illam esse mere gratuitam, et, ex praeeconcepto desiderio penitus evertendi Christianismi divinam originem, arbitrarie fuisse confictam.

## DISSERTATIO SECUNDA

DE FACTIS QUAE IN LIBRIS HISTORICIS NOVI TESTAMENTI CONTINENTUR, ET DIVINAM CHRISTI MISSIONEM OSTENDUNT

169. Nunc deveniendum est ad notas in iis libris contentas quorum auctoritatem adstruximus. Sunt autem illae notae : insoles Christi eximia, miracula in Novo Testamento narrata, resurrectio Salvatoris, necnon prophetiae ab eo editae. Unde quaeruntur quatuor :

### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Utrum ex mirabili Christi indole probetur Religionis ab eo institutae divinitas?

(Vide Brugère : *De vera relig.*, n. 73. — Knoll : *Theol. dog. fundam.*, §§ 120, 121, 122. — Bacuez et Vigouroux : *Manuel biblique*, t. 3, n. 472.)

Resp. Affirmative ex sequentibus assertionibus :

opinionibus vulgo receptis, reddit e contra ejus realitatem historicam verisimiliorem; communiter enim ea eveniunt quae his opinionibus consonant. Ergo systema mythicum repugnat in suorum criteriorum assignatione.

2<sup>o</sup> *Repugnat etiam in eorundem criteriorum applicatione Evangelii facta.*

Straussius enim, ut haec criteria Evangelii applicet, contendit, sed non probat, haec Evangelia longe post Apostolos conscripta esse. At, etiam dato conscripta fuisse post Apostolos, impossibile est facta quae in his referuntur esse mythica; et hoc constat duplici argumento.

*Argumentum primum* : Ad mythi efformationem requiruntur, et tempus satis diuturnum, et ideae mytho consentaneae. Atqui, pro mythorum evangelicorum efformatione defuit utraque conditio. Defuit tempus sufficiens : nam, ex ipso Straussio, Evangelia in fine secundi saeculi exarata fuere; ex altera autem parte, vigente primo saeculo, seu viventibus Apostolis, efformari non potuerunt mythi evangelici. Super sunt ergo quinquaginta, aut ad summum, centum anni; quod tempus, ad mythos evangelicos tam sublimes efformandos, est prorsus insufficiens. Ergo defuit tempus. Sed et defuerunt ideae hisce mythis consentaneae, cum religio catholica Judaeorum et Gentilium praejudiciis penitus adversaretur.

*Argumentum secundum* : Ex quatuor criteriis a Straussio assignatis, si primum excipias, cujus falsitas jam est satis probata, nullum est quod conveniat Evangelii. Etenim 1<sup>o</sup> varia Evangelia concordant in multis; in caeteris vero, quae sunt accidentalia, non

discordant nisi apparenter tantum; 2<sup>o</sup> in his non deprehenditur stylus poeticus aut fanaticum redolens; 3<sup>o</sup> idea demum Messiana vulgo recepta, longe diversa erat ab ea quam Evangelia exhibent. Ergo....

168. De sententia Eichhorn circa proto-Evangelium, jam satis supra dictum est. Opinio autem Baur speciali non indiget confutatione, quia, ex dictis de auctoritate historica Evangeliorum, sufficienter reprobat. De caetero, omnes vident illam esse mere gratuitam, et, ex praconcepto desiderio penitus evertendi Christianismi divinam originem, arbitrarie fuisse confictam.

## DISSERTATIO SECUNDA

DE FACTIS QUAE IN LIBRIS HISTORICIS NOVI TESTAMENTI CONTINENTUR, ET DIVINAM CHRISTI MISSIONEM OSTENDUNT

169. Nunc deveniendum est ad notas in iis libris contentas quorum auctoritatem adstruximus. Sunt autem illae notae : insoles Christi eximia, miracula in Novo Testamento narrata, resurrectio Salvatoris, necnon prophetiae ab eo editae. Unde quaeruntur quatuor :

### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Utrum ex mirabili Christi indole probetur Religionis ab eo institutae divinitas?

(Vide Brugère : *De vera relig.*, n. 73. — Knoll : *Theol. dog. fundam.*, §§ 120, 121, 122. — Bacuez et Vigouroux : *Manuel biblique*, t. 3, n. 472.)

Resp. Affirmative ex sequentibus assertionibus :

170. Dico 1° : *Elucet in persona Christi sapientia sublimis.*

Id satis patebit ex dicendis circa doctrinae catholicae excellentiam. Nunc autem haec sapientia considerari potest. 1° in sententiis quas protulit, 2° in parabolis quas excogitavit, 3° in suis responsis ad insidiosas quaestiones, 4° in toto dicendi genere.

1° *In sententiis*, quae ita sunt *verae*, ut mens, iis auditis, statim acquiescat; ita *novae*, ut cujusque admirationem rapiant; ita *profundae*, ut ruminatae nunquam exhauriantur; ita *pulchrae*, ut a memoria non excidant; ita *clarae*, ut omnes eas apprehendant. Quasdam tantum citabimus: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur* (Matth. XVI, 26)? — *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis* (Matth. VI, 33). — *Ubi thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit* (Luc. XII, 34). — *Ex abundantia cordis os loquitur* (Matth. XII, 34).

2° *In parabolis*. Parabola Christi omnes profanorum auctorum apologos superant gravitate, utilitate et sanctitate. Et insuper id mirum continent, quod sint simul, et theologicae, et propheticae, et morales. Quatenus *theologicae*, nos potissimum edocent regni coelorum his in terris institutionem, propagationem et fructus. Quatenus *propheticae*, futuram Judaeorum reprobationem et Gentilium conversionem fere omnes annuntiant. Quatenus *morales*, memorant dispositiones ad Redemptionis beneficia percipienda necessarias. Sic v. g. parabola filii prodigi: ut theologica, mysterium justificationis et convivii eucharistici exhibet;

ut prophetica, reditum gentilitatis et Synagogae invidiam; ut moralis, viam conversionis et poenitentiae.

3° *In responsis*. Quae responsa patefaciunt: 1° miram animi tranquillitatem, quae insidiosis interrogationibus nunquam perturbatur; 2° stupendam perspicaciam in prava loquentium intentione detegenda; 3° singulare acumen ad breves et claras solutiones inveniendas; 4° eximiam solertiam ad confundendos adversarios, ita ut nihil replicent, sed rubore afficiantur.

4° *In toto dicendi genere*, quod reperitur familiare, humile, apertum, sincerum, ab omni aestu nimioque impetu alienum, et tamen vehemens et forte.

171. Dico 2° : *Elucet in persona Christi eximium magnanimitatis decus.*

Pensatur alicujus magnanimitas ex tribus: 1° finis propositi altitudine; magnanimus enim magna cogitat; 2° mediorum adhibitorum sublimitate; 3° fortitudine executionis. Jam vero:

1° Christus opus inter omnia opera cogitabilia praestantissimum pro fine habuit, videlicet: mundum universum ab errore idololatriae ad Dei unius cultum, ab horrenda corruptione ad morum puritatem, a religionum multiplicitate ad Ecclesiam unam reducere, omnesque homines in eandem quasi familiam colligere.

2° Media a Christo adhibita divina prorsus apparent. Nec enim vim externam, aut temporalem auctoritatem appetivit, nec naturalem doctrinae facilitatem, aut subtilitatem disputationis, aut humanae eloquentiae praestigium, aut terrestrium promissionem in sui

adjutorium vocavit, sed sola crucis stultitia homines ad se alliciendos decrevit.

3° Nec minus stupenda apparet in executione fortitudo. Ad suum enim opus perficiendum intrepide, secure, fiducialiter incessit; nec ob ingruentes procellas ab incœpto deflexit; quinimo, omnia sibi per crucis ignominiam subjicienda esse credidit et asseruit: *si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (Joan. XII, 32).

172. Dico 3°: *Elucet in persona Christi sanctitas perfectissima*, qua, videlicet, omnia officia, sive erga Deum Patrem, sive erga caeteros homines, sive erga seipsum, fidelissime implevit.

1° *Officia erga Deum*: *Meus cibus est*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus* (Joan. IV, 34). *In his quae Patris mei sunt, oportet me esse* (Luc. II, 49). Et revera, non videtur aliud in omnibus suis dictis et gestis quaesivisse. Quid de zelo domus Dei? quid de continua oratione in qua etiam saepius pernoctabat?

2° *Officia erga caeteros homines*: Longius certe esset in medium proferre innumeras ejus charitatis testimonias, tum sermonibus, tum factis exhibitas. Haec quippe charitas fuit universalis, neminem excludens, sed specialius ad pusillos, debiles, pauperes et praesertim peccatores propensa; fuit operativa et efflax, omnibus cujuscumque generis miseris opitulando; fuit invicta et constans, quam nec importunitates, nec persecutiones, etiam atrocissimae, frangere aut minuere potuerunt; fuit sui diffusiva, cum nos ad omnes homines, quantumvis extraneos aut inimicos, diligendos, potenter et feliciter, ex-

citaverit. Hinc nullum certe unquam inventum est cordi Christi in charitate erga suos aequiparandum.

3° *Officia erga semetipsum*: Nihil siquidem, in ejus verbis aut gestis, minus rectum aut minus prudens reprehenditur; sed omnia apparent justa, circumspecta, congrua et ad suos fines sapienter ordinata. Relucet in eo abnegatio proprii interesse totalis et indeficiens. Per triginta annos absconditus manet, dies suos in summa egestate, humilique obedientia traducens; durante vita publica, nihil mirabile operatur, nisi propter hominum utilitatem; motus omnes suos ita componit, ut nulli caeco ac inordinato impetu abreptus videatur, sed semper sibi constans ac placidus etiam in vitiorum correptionibus; sui penitus immemor, pauperrime vivit, emendicatis se sustentat, nec habet ubi caput reclinet. At potissimum in suae crudelis passionis decursu, incredibile est quam ingenua mentis nobilitate, quantaque cum patientia, mansuetudine, et aequanimitate se gesserit usque ad finem. Christus ergo omnia officia sua erga Deum, erga caeteros homines, erga semetipsum fidelissime adimplevit.

173. Dico 4° *Christus, qualis exhibetur in Evangelio, dicendus est totius perfectionis, in ordine morali, exemplar pulcherrimum*

Tria, ut supra diximus, ad rationem pulchri requiruntur, nempe: integritas, ordo conveniens partium, et claritas. Atqui, sub hoc triplici respectu, Christus est, in ordine morali, exemplar superans id omne quod cogitari potest.

I. *Est exemplar pulcherrimum ratione integritatis.*

Illud dicitur integrum, cui nihil deest eorum quae ipsi conveniunt. Sed talis integritas certe Christo tribuenda est.

1° Non tantum fuit ab omni culpa immunis, et confidenter dicere potuit inimicis : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (Joann., VIII, 46) ; sed insuper, liber invenitur ab hisce defectibus, quantumvis indeliberatis, quos, etiam apud consummatae sanctitatis viros, identidem reperire necessarium est.

2° Christus nulla caruit virtute ; quinimo, dum inter caeteros justos, alius una, alter alia virtute singulariter praestat, et, ob naturae debilitatem, alicujus virtutis exercitium exercitio alterius nonnunquam praejudicare videatur, Christus aequaliter excellit in omni genere virtutum, atque per omnium complexionem, ejus sanctitas definienda est.

II. *Est exemplar pulcherrimum ratione proportionis et harmoniae, quam ipsius dotes servant ad invicem.*

Illae enim dotes, justo ac mirabili temperamento, in unum quasi concentum conspirant. Sic conveniunt simul in eo contemplatio et actio, flagrantia zeli et discretio prudens, peccati detestatio et peccantis amor, sapientia sublimis et mira simplicitas, aequalitas animi et exquisita sensibilitas, austeritas et gratia, decor majestatis et conversationis jucunda familiaritas ; ejus compassio virilis est, liberalitas circumspecta, gravitas sine durezza, modestia sine affectatione, humilitas sine pusillanimitate, dignitas sine arrogantia, fortitudo sine ostentatione, firmitas sine obstinatione, in omnibus demum, vel a minimo excessu et defectu alienus, virtutis medium inviolabiliter tenet.

III. *Est exemplar pulcherrimum ratione claritatis.*

Et hoc patet ex duobus :

1° Splendore suo omnes creaturarum perfectiones obtenebrat. Christus enim passim spectatur veluti perfectionis cujuscumque typus atque mensura, qui et ipse nulla alia creata perfectione mensuratur. Et ideo, caeteros eo majores aestimamus, quo minus videntur ab eo recedere, ut in nullius mentem unquam veniat hunc aliquando coaequandum fore.

Et, quod mirabilius est, talis fuit Christus ab initio et in toto vitae decursu. Viri quidem, etiam praestantissimi, ad summum sanctitatis ipsis possibilis apicem non nisi gradatim ascendunt, et in difficilioribus adjunctis quadam indigent animi praeparatione, ut seipsis fortiores evadant. Christus vero non habet virtutem proprio labore partam et auctam, sed semper apparet illa instructus, quasi ex ipso fontaliter procederet, et, omni data occasione, cum pari facilitate, quidquid in perfectione exercenda magis arduum excogitari potest, incunctanter et sine animi haesitatione et conatu, aggreditur et absolvit.

2° Cum tantus sit splendor ille sanctitatis a Christo procedens, omnibus tamen sese accessibilem et imitabilem praebet. Etenim illud exemplar : 1° accommodatur naturae humanae, secundum se consideratae, quia in eo divinae perfectiones sub forma humanitatis manifestantur, quasi ad imaginem et similitudinem nostram factae ; 2° accommodatur omnibus omnium locorum et temporum populis. Quamvis enim Christus gentis et aetatis suae mores referat, ratione tamen perfectionis intellectualis et moralis, illum omnes, ad

usque mundi finem, habere debent veluti coevum et concivem, in quo hominis, ut ita dicam, idealis typus exhibetur; 3° accommodatur denique diversis humanae vitae conditionibus et statibus, eo quod communem in exterioribus agendi modum tenuerit, multisque fuerit tribulationibus impetitus, sicut ple-  
rorumque vita obnoxia esse solet.

**174. Dico 5 :** *Indoles Christi supra descripta invicte probat religionis ab eo institutae divinitatem.*

*Prob. 1°.* Christus has eximias dotes ex nullis naturalibus causis haurire potuit : nec ex sua gente, nec ex sua familia, nec ex sua exteriori professione ; illas igitur ex Spiritu sancti extraordinario influxu accepit. Sed tales dotes ad hunc unice finem ordinavit ut suam apud nos religionem institueret. Ergo, si falsa sit haec religio, a Spiritu sancto decepti sumus.

*Prob. 2°.* Christus de semetipso testimonium dicens, ea protulit quae, si non sint a Dei legato, imo ab homine Deo dicta, sunt certe verba hominis vel delirantis et insanientis, vel monstruose et incredibiliter superbientis. Sint in exemplum sequentia ; *Quis ea vobis arguet me de peccato?* (Joan., VIII, 46). — *Antequam Abraham fieret, ego sum* (Joan. VIII, 58). — *Ego sum via, et veritas et vita* (Joan. XIV, 6). — *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (Joan. XII, 32). — *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet* (Joan. XI, 25). — *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt* (Matth. XXIV, 35). — *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus caeli* (Marc. XIV, 62). — *Ego et Pater unum*

*sumus* (Joan. X, 30). — *Ego sum panis vivus qui de caelo descendi ; qui manducat me, et ipse vivet propter me* (Joan. VI, 51, 58). — *Aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalent adversus eam* (Matt. XVI, 18). — *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, (Matt. XXVIII, 20), etc., et sexcenta alia quae hic referre non vacat, ita ut etiam spectata sola testimonii magnificentia, merito dici potuit : *nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo* (Joan. VII, 46) :

Unde sic conficitur argumentum : si Christus non est Dei legatus, imo et Deus, vel, talia proferendo, cum bona fide credidit se verum dicere, et satis irrideri non potest ejus dementia ; vel erat in mala fide, et tunc est impostor, omnium qui unquam fuerunt sceleratissimus. Atqui haec utraque hypothesis ejus indoli, qualem supra descripsimus, aperte repugnat. (Vide *Manuel biblique de Vigouroux*, t. 3, n° 472 — Hurter : *Theol. gen.*, n° 89, 81.)

QUAESTIO II<sup>a</sup>

Utrum miracula in libris historicis novi Testamenti narrata divinitatem religionis catholicae certo demonstrent.

**175. Resp.** Affirmative.

Ad cujus evidentiam, primo summatim revocanda sunt praecipua prodigia hujusmodi. Quia autem ordinarentur ad patefaciendam divinitatis virtutem, cui omnes obediunt creaturae, hinc in omnibus creaturarum generibus patrata fuisse legitur, videlicet :

1° *In rebus inanimatis*, v. g. stellae apparitio, aqua mutata in vinum, tempestatum sedatio instan-

tanea, ambulatio Christi et Petri supra fluctus maris, multiplicatio panum, sol obtenebratus... etc...

2° *In corporibus aegrotantium*, nempe : innumera-  
bilium infirmorum subita et perfecta sanatio.

3° *In animabus*, per inferiorum virium immuta-  
tionem ; nempe, quando in medio eum occidere volen-  
tium securus transibat, aut vendentes et ementes  
solus de templo ejiciebat, aut unico verbo Apostolos  
sibi devinciebat, aut dicendo simpliciter : *Ego sum*,  
turbas satellitum prosternebat.

4° *In mortuis suscitatis*. Tres numerantur, quo-  
rum unus jam deferebatur, alter jam erat quatri-  
duanus et foetens. Plura alia mortuorum corpora  
dicuntur surrexisse post ejus mortem et apparuisse  
multis. Quibus adde Moysen et Eliam qui visi sunt in  
monte Thabor.

5° *Ex parte Angelorum*. Angelica apparitio facta  
est Zachariae, Mariae ac Josepho ; visa est turba An-  
gelorum, auditusque eorum concentus in Bethlehem ;  
Angeli Christo in deserto ministraverunt, et unus  
eorum hunc in horto agonizantem confortavit.

6° *In spiritibus malignis*, quos Christus multoties  
solo imperio ejiciebat, et qui ipsi reddebant testi-  
monium.

7° *In proprio Christi corpore* ; dum, scilicet, in  
deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus  
nihil manducavit, in monte Thabor transfiguratum  
est, et praesertim redivivum de sepulcro gloriose  
exivit.

Insuper, Christus hanc miracula patranda facultatem  
Apostolis communicavit.

Nam 1°, Christo vivente, legimus Apostolos, et multos

sanasse aegrotos et daemonia fugasse. 2°, Christo  
mortuo, hanc praerogativam Apostoli cum ingenti  
fructu exercuerunt, uti patet ex Actibus a S. Luca  
scriptis. Sic, sola umbra Petri aegrotantes liberabat,  
et ipse Tabitham suscitavit ; sic, sudaria B. Pauli cura-  
bant infirmos, et ipse adolescentem ad vitam revo-  
cavit... etc. etc.

Jam vero, nihil deest ut ex hisce factis legitime  
concludatur religionis catholicae divinitas.

1° Haec facta esse historice certa patet ex disser-  
tatione praecedenti.

2° Haec esse vera miracula evidentissimum est.  
Multa enim superant vires omnes naturales creatas,  
v. g. multiplicatio panum, mutatio aquae in vinum,  
transfiguratio, et praesertim mortuorum suscitationes.  
Caetera vero, nec per naturae vires, nec per indus-  
triam humanam explicari queunt. Nam, vel nullis  
mediis externis contigerunt, videlicet : ubi solo nutu,  
solo vocis imperio fierent, aut super longe absentes ;  
vel media erant omnino improporcionata, nempe :  
sola manuum impositio, solus fimbriae contactus,  
linitio oculorum caeci nati ex luto, etc...

3° Ea miracula esse divinae missionis Christi argu-  
menta dubium non est. Nam, quia eo praecise tem-  
pore facta sunt, quo Christus novam praedicabat reli-  
gionem, omnes illa accipere debuerunt veluti divinum  
testimonium. Insuper, multa ad id ex sua natura ordi-  
nabantur, v. g. stella Magos ducens ad praeseptum,  
concentus Angelorum in Bethlehem, vox e coelo de-  
lapsa : *Hic est Filius meus dilectus...*, *Ipsium audite*.  
Item prodigia, Christo ultimum suspirium exhalante,  
patrata. Denique, saepius Christus operum suorum



testimonium expresse invocat, ut videre est apud Luc. vii. 19... 28, Joan. x, 24, 25; v, 17, 36; xi, 42; xiv, 11, 12. — Nec minus liquet Apostolos hac miracula patrandi potestate usos fuisse ut discipulos sibi copularent.

4° Ultimo, in hisce miraculis nullum reperiri signum diabolici interventus, sed omnia sanctitatem spirare, probatione non indiget. Ergo.

QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum divina Christi missio invicte ex ejus resurrectione probetur?

176. Resp. Videri potest quod non.

1° Etenim, narratio evangelica asserit Christum jam in cruce mortuum fuisse quando fuit tumulatum. Sed realitas mortis Christi super crucem negari potest. Mors siquidem per crucifixionem longiorem requirit moram ac aliquot horarum. Potius igitur dicendum est Christum animo derelictum fuisse, in illa animi defectione traditum Apostolis et in sepulcro repositum, loci frigiditate recuperasse sensuum suorum usum. Ita quidam Germaniae critici, ut Paulus, Dam, et alii.

2° Praeterea, Christus narratur apparuisse, non Judaeis et inimicis, sed amicis sibi devotissimis, et primo mulieribus quae certe ad credendum erant magis proclives. Atqui, si revera resurrexisset, cum finis tanti miraculi erat adversarios confundere et convincere, illis potius se redivivum ostendere debuisset.

3° Praeterea, legimus Christum januis clausis ve-

nisse, et ex Apostolorum oculis evanuisse. Atqui hoc suspicionem ingerit corporis phantastici.

4° Praeterea, evangelicae narrationes circa factum illud inter se non concordant. Ergo probabile est testes praetensos, aut deceptos aut deceptores fuisse.

*Sed contra*, quia, ex omnium confesso, haec resurrectio sit factum divinum et divinae Christi missionis demonstrativum, tuto et fidenter pronuntiamus: Christus vere surrexit a mortuis, ergo ipsius religio est divina. Factum autem resurrectionis duobus factis successivis constat: 1° Christus revera mortuus est in cruce, 2° Christus revera vitam amissam recuperavit. Igitur:

177. Dico 1°: *Christus revera mortuus est in cruce.*

Hoc evidenter probant 1° testium auctoritas, 2° naturalis moriendi necessitas, 4° totius antiquitatis silentium.

1° *Testium auctoritas* certos nos facit Christum in cruce mortuum fuisse. Id enim testantur ii omnes qui illud factum attentius examinare potuerunt et debuerunt, videlicet:

a) Discipuli ac piae mulieres, qui certe curarunt ne eorum Dominus tam dilectus vivus tumularetur.

b) Milites qui, hac de causa, ejus crura non fregerunt, et qui talibus factis verificandis erant assuefacti.

c) Centurio quem Pilatus accersitum de morte Christi juridice interrogavit, et qui, ratione officii, debuit rem maturius expendere.

d) Judaei denique, qui custodes circa sepulcrum posuerunt, non omittentes sane investigare an vere

mortuus esset Christus, et qui, de caetero, nunquam vel leve dubium de hac re moverunt.

2° *Naturalis moriendi necessitas* idem probat.

a) Supplicium crucis, post agoniam horti et flagellationem, plus quam sufficiens fuit ad inducendam necessitatem mortis.

b) Vulnus lateris per militis lanceam, quod tantum fuit ut in illud Thomas manum inferre potuerit, debuit, se solo, ut fatentur medici, ei vitam eripere.

c) Nec potuisset vitare suffocationem mortiferam ex aromatibus quibus ejus corpus fuit involutum, et quorum libras centum, teste Joanne (xix, 39), Nicodemus attulerat. Tanta enim copia, in sepulcro, tribus diebus et noctibus recondita, et homini sensibus destituta imposita, eum diu vivere non permisisset.

3° *Silentium totius antiquitatis*. Si Christus non est mortuus ex supplicio crucis, dicendum est ipsum e sepulcro custodito et obsignato evasisse, aliquamdiu vixisse, et postea realiter fuisse defunctum. Quomodo igitur fieri potuerit totam silere antiquitatem de gestis Christi sic ad lucem reducis, de ejus curatione quae sollicitudine ac prolixo tempore indiguisset, necnon de reliqua ejus vita, ac tandem de morte finali? Quomodo nullus omnino de his ad posteros perlatus fuerit rumor, cum a discipulis suis Christus adeo coleretur, diligeretur, adoraretur? Qua ratione factum est, nulli unquam mortalium tale de morte Christi dubium venisse in mentem, nisi quibusdam nostrae aetatis incredulis? Ergo...

178 Dico 2°: *Christus revera vitam recuperavit.*

Ad cujus evidentiam, quatuor afferuntur probationes: 1° veracitas testium, 2° fides primorum creden-

tium, 3° confessio tacita Judaeorum adversantium, 4° impossibilitas alio modo explicandi corporis Christi a sepulcro absentiam.

I<sup>a</sup> probatio: *Testium veracitas.*

Testes enim qui referunt Christum resurrexisse, nec decepti nec deceptores fuerunt.

1° *Non fuerunt decepti*. Nam: a.) Erant multi, videlicet, ex B. Paulo (1 Cor. xv, 6), plus quam quingenti. b.) Non erant ad credendum proclives; Apostoli enim nec mulieribus, nec discipulis Emmaus, nec primo aspectui crediderunt; et, inter eos, Thomas non prius assensit quin digitos in locum clavorum, et manum in latus misisset. c.) Christus iteratis vicibus se exhibuit, locutus est, manducavit, se tangi et palpari voluit. Atqui repugnat in talibus circumstantiis testes resurrectionis fuisse deceptos.

2° *Non fuerunt deceptores*. Tam nefandae enim machinationi obstant: a.) conditio testium qui sinceri ac pii constanter se praebuerunt, et insuper erant timidi, rudes, illitterati; b.) defectus motivi; nihil siquidem ex sua fraude sperare poterant, nec a Christo, nec ab hominibus, nec a Deo; quinimo, omnia et in praesenti saeculo et in futuro erant ab eis timenda; c.) impossibilitas fabulam confingendi, divulgandi et persuadendi; ad hoc quippe necessaria fuisset omnium testium conspiratio ita unanimes et constans, ut eorum nullus unquam secretum proderet, sed, non obstantibus et conscientiae remorsu, et persecutionibus et tormentis, adusque mortem in hujuscemodi impio consilio persisterent; quae omnia moraliter sunt impossibilia.

**II<sup>a</sup> probatio : Fides primorum credentium.**

Innumeri homines qui, sive ex Judaeis, sive ex gentibus, ab initio religioni christianae dederunt nomen, habuerunt resurrectionis factum pro certo et inconcusso. Atqui, nisi Christus revera resurrexisset, hanc resurrectionem pro certa et inconcussa non habuissent.

*Constat major.* Etenim, hi omnes ad Christianismum naturaliter non alliciebantur; et ideo praevisio tantum maturo examine conversi sunt. At illud examen potissimum instituebatur circa Christi resurrectionem, quae tunc solebat passim allegari veluti praecipuum credibilitatis motivum. Ergo, hi quibus illa resurrectio non omnino certa visa est, Christianismum non amplexati sunt.

*Constat minor.* Nam, viventibus adhuc illis qui assererebant se propriis oculis Christum redivivum conspexisse, praesto aderat multiplex medium factum resurrectionis feliciter perpendendi, ita ut, posita ejus falsitate, falsitatis hujus indicia saltem probabilia apparuissent, et factum habitum non fuisset ut inconcussum.

**III<sup>a</sup> probatio : Tacita Judaeorum adversantium confessio.**

Si Judaei vere credidissent Christum non resurrexisse, debuissent, vel ejus corpus, post tres dies, adhuc mortuum ostendere; vel corpore non invento, instituere inquisitionem juridicam, tum adversus Apostolos, ut adigerentur corpus sublatum restituere, tum adversus milites ob infidelem custodiam plecten-

dos. Ad haec tenebantur, non tantum gloriae Dei promovendae causa, sed etiam ad propriam religionem vindicandam, necnon ad proprium honorem servandum, ne, scilicet, tanquam impii et deicidae traducerentur. Atqui non ita se gesserunt; sed conati sunt rem silentio tegere; nec ausi sunt Apostolos interficere, aut in vinculis retinere; sed eis denuntiarunt ne Christum amplius praedicarent; qua agendi ratione, clare ostenderunt se nihil solidi potuisse resurrectionis veritati opponere.

**IV<sup>a</sup> probatio : Impossibilitas aliter explicandi quomodo Christi corpus a sepulcro abfuerit.**

Risu sane dignum est aliquorum effugium dicentium corpus Christi terrae motu absorptum fuisse, et propterea discipulos credidisse hunc esse redivivum. Nam, 1<sup>o</sup> vestigia talis absorptionis Judaeos non effugissent, et tamen nemo unquam, usque ad praesentem diem, hujusmodi hypothesim somniavit; 2<sup>o</sup> nec explicant qui talia effutiunt, lintheaminorum et sudarii praesentiam, ac multo minus subsequentes Christi apparitiones.

Unica igitur superest via evadendi, nempe : asserere corpus Christi per ejus discipulos fuisse ablatum. Atqui talis ablatio omni ex parte repugnat. Nam facta fuisset aut vi, aut seductione, aut callida fraude; et nullum ex his est tantisper probabile.

1<sup>o</sup> Non ablatum est corpus *per vim*; quia 1<sup>o</sup> obstabat operis periculum, ex una parte, et, ex altera, discipulorum ignavia qua magistrum suum in horto dereliquerunt; 3<sup>o</sup> haec ablatio statim omnibus comperta fuisset, et jam nemo credidisset resurrectioni.

2<sup>o</sup> Non ablatum est corpus *per seductionem*, vi

ejus corrupti fuissent milites custodientes sepulcrum. Milites enim ab Apostolis omni gratia destitutis nihil sperare poterant, sed potius a Judaeis copiosam fidelis custodiae expectabant mercedem. E contra, fraudi consentientibus multa mala imminebant; imo, ex legis militaris tunc vigentis disciplina, ultimo devovebantur supplicio. De caetero, si hos seductos fuisse credidissent principes sacerdotum, quare coram iudice non appellaverunt?

3<sup>o</sup> Non ablatum est corpus *per callidam fraudem*. Quali enim fraude? An dormientibus satellitibus? Sed numquid verisimile est, hac ipsa nocte qua ablatio timenda erat, dormisse milites, et omnes dormisse, ne uno excepto; et tam gravi sopore fuisse correptos, ut strepitus huic ablationi perficiendae necessarius nullum expergefaceret? Insuper, in hac festinata ablatione, numquid raptores tam sedulo a corpore amovissent sudarium ac linteamina, quae dein seposita inventa sunt? Ergo non dormientibus. Utrum vigilantibus? Ergo, effossa humo, ad monumentum viam sibi aperuerunt, et tanti laboris nec fragor nec vestigia eos prodiderunt. Quis autem sanae mentis haec omnia sibi persuadebit?

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n<sup>o</sup> 176.

179. *Ad 1.* De veritate mortis Christi per testimonium hominum iudicandum est, quia est factum maximi momenti et cognitu facile. Ergo, si testes competentes in eo concordent, illorum testimonium omni medicinali observationi debet praevalere. Insuper, non qualemcumque crucifixionem passus est Christus, sed eam quae agoniae, sanguineo sudori, flagellationi et

tormento coronae spineae supervenit. Demum, ut diximus, lanceae transfixio et centum librae unguentorum quibus circumvolutum est corpus, necessariam ei mortem intulissent.

180. *Ad 2.* Inimici Christi indigni erant qui hunc redivivum propriis inspicerent oculis; nec id erat necessarium ut, si veritatem recto corde inquisissent, tandem convincerentur.

181. *Ad 3.* Corpus Christi, post resurrectionem, dotibus corporis gloriosi fruebatur; hinc erat subtile et ad arbitrium animae evanescebat. Sed tamen sufficienter se praebuit videndum, audiendum et palpandum.

182. *Ad 4.* Non omnes Evangelistae easdem apparitiones, nec earundem apparitionum easdem circumstantias referunt, et ideo facile illos conciliant Scripturarum interpretes. Quibus adde eos concordare circa facti ipsius substantiam, et hoc ad scopum a nobis intentum plane sufficit.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Utrum religionis christianae divinitas ex prophetiis  
a Christo prolatis evincatur?

183. Resp. Affirmative.

Christus enim edidit prophetias certo impletas, vere divinas, et in divinae suae missionis confirmationem.

1<sup>o</sup> *Christus edidit prophetias certo impletas.*

a) *Circa seipsum.* Ex Matth. xvi, 21; xxi, 17. Marco, x, 33. praenuntiavit quod pateretur in Jerusalem, traderetur gentibus, dein illuderetur, flagella-

retur, conspueretur et crucifigeretur, et demum tertia die resurgeret; quae omnia adamussim impleta sunt.

Sola superest difficultas, quod Christus, Luc. xviii, 33, praedixerit se tribus diebus et tribus noctibus remansurum in corde terrae, priusquam resurgeret, quod non videtur verificatum.

At respondendum est Christum dixisse etiam se tertia die resurrecturum. Porro, si tribus integris diebus atque noctibus sepultus mansisset, non nisi quarta die potuisset resurgere. Locutus est ergo de tribus diebus et noctibus non integris. Hoc autem sensu certe remansit in corde terrae tribus diebus, seu: ultima parte diei veneris, integra die sabbati, et primo instanti diei dominicae; singulis autem hisce diebus respondet sua nox, videlicet: pars noctis quae incipit labente die veneris, integra nox sabbati a media nocte ad mediam noctem, et pars noctis quae praecedit lucem diei dominicae.

b) *Circa discipulos.* Christus vaticinatus est trinam Petri negationem locum habituram ipsa nocte passionis, et ante secundum galli cantum, (Marc. xiv, 30.) — proditionem Judae, (Joan. xii, 21, 26.) — effusionem Spiritus Sancti, (Act. i, 5.) — magnas suis discipulis impendentes persecutiones, (Matth. x, 17..., 22) — miracula ab eis patranda, (Marc. xvi, 17) et quod fierent piscatores hominum (Math. iv, 19.). Quae omnia impleta sunt.

c) *Circa suam religionem,* prophetavit: eam per universum orbem propagandam; (Act. i, 8; Luc. xxiv, 46.) — a portis inferi eam nunquam fore superandam, eo quod immobiliter fundaretur supra Petrum, ejusque successores; (Math. xvi, 18) — eos omnes con-

fringendos qui supra petram hanc caderent, et contendendos super quos caderet (Math. xxi, 44). Porro, ex his tribus, primum jamdiu contigit, secundum videmus quotidie magis ac magis verificari, tertium constat ex funesto persecutorum exitu.

d) *Circa Judaeos.* Christus urbis Jerusalem et gentis Mosaicae excidium proxime futurum descripsit, (Matth. xxiv, Marc. xiii; Luc. xix, xxi) indicans etiam circumstantias quae illud praecedere, comitari et sequi debebant, et haec omnia ad litteram impleta esse cognoscimus ex testimonio Taciti et Josephi. Ergo.

2° *Christus edidit prophetias certo divinas.*

Etenim, earum concordantia cum eventu, nec naturali prophetantis sagacitate, nec fortuito casu, nec diabolico interventu explicari potest; siquidem referuntur ad eventus multiplices, et ad minutas quandoque circumstantias; qui eventus ex sola Dei voluntate aut libero hominum arbitrio pendebant; et aliunde, nullum in hisce vaticiniis reperire est signum quo de eorum divina origine dubitare liceat.

3° *Christus edidit prophetias quae divinam suam missionem confirmant.*

Nam, 1° probant saltem Christum fuisse Spiritu sancto plenum; ergo non esse impostorem, nec delirum; ergo esse credendum ubi affirmat se divinitus missum fuisse.

2° Oracula Christi spectantia ipsius resurrectionem, discipulorum miracula, Ecclesiae suae universalitatem et indefectibilitatem, Judaeorum cladem in infidelitatis suae poenam, certe intimius connectuntur cum veritate religionis quam praedicabat.

DISSERTATIO TERTIA

DE NOTIS DIVINITATIS QUAE IN HISTORIA CHRISTIANISMI  
NASCENTIS REFULGENT.

184. Divinitas Christianismi nascentis duobus potissimum factis splendidius se prodit, nempe : 1° mundi conversione per religionis Christi miraculosam propagationem ; 2° martyribus qui vitam inter supplicia profuderunt pro sua fide servanda. Duae igitur erunt quaestiones.

QUAESTIO I<sup>a</sup>

Utrum religio catholica divina probetur ex ejus  
mirabili propagatione ?

185. Resp. Videri potest quod non.

Etenim, 1° Ut infra videbimus, contendunt Catholici doctrinam evangelicam eximia commendari excellentia, ac praesertim optime esse omnibus legitimis naturae humanae aspirationibus consentaneam. Sed, hoc posito, mirabilis ejus propagatio naturaliter explicatur, nec invocari debet tanquam novum ac speciale veritatis argumentum.

2° Praeterea, principium auctoritatis docentis, ab Ecclesia sapienter proclamatum, facili negotio debuit primum simplices fideles captivare ac detinere ; cui si addatur jucunditas per honorum communitatem et exercitium charitatis mutuae procurata, multi naturaliter ad Catholicismum allecti sunt. Quibus vis ingens accessit ex Christianorum assertionem omnem spem salutis aliter sentientibus adimi, credentibus

autem baptizatisque, et concedi veniam peccatorum, et aeternam polliceri felicitatem.

3° Praeterea, ex una parte, divina Providentia ex eo commendatur quod vias jam a longo tempore praeparaverat institutioni religionis catholicae ; et ex alia, jactitatur hanc religionem non potuisse naturaliter propagari, quia omnia ipsi erant contraria. Sed talis argumentandi ratio involvit contradictionem.

4° Praeterea, multae assignari queunt circumstantiae valde praedicationi evangelicae favorabiles, videlicet : vanitas Polytheismi passim agnita, appetitus novae et melioris religionis, magnae alicujus renovationis expectatio, demum status mundi politicus uni domino subjectus, quo factum est ut fama longe lateque propagaretur catholicae religionis.

5° Praeterea, ingens ac celeris fuit propagatio Buddhismi, Mahumetismi, necnon Protestantismi ; neque tamen dicitur miraculosa. Ergo neque propagatio Catholicismi talis dicenda est.

186. Sed contra dico : *Religio catholica probatur divina ex sua mirabili propagatione.*

Etenim, religio catholica celerrime per universum orbem propagata fuit. Atqui illud factum explicari non potest nisi divina origine religionis sic propagatae. Ergo.

*Constat major* : seu factum propagationis celeritatis.

Testantur siquidem varia primitivae Ecclesiae monumenta hanc jam, exeunte saeculo primo, universum Romanum imperium invasisse. Quosdam tantum appellabimus auctores sive ecclesiasticos, sive ethnicos.

Inter auctores ecclesiasticos audiamus :

1° Sanctum Clementem, in 1<sup>a</sup> ad Corinthios epistola dicentem : « Hisce viris (Petro et Paulo) aggregata est « multitudo ingens electorum, qui multa martyria et « tormenta sustinuerunt, nobisque præclara exempla « facti sunt. »

2° Sanctum Ignatium martyrem ad Philadelphios scribentem : « Ecclesiam Christi a terrae fine usque « ad finem dilatata esse. »

3° Sanctum Justinum qui medio saeculo secundo testatur : « Nullum esse genus hominum, sive barbarorum, sive Graecorum, sive etiam aliorum omnium, « quocumque appellantur nomine, sive in plaustris « degentium, vel domo carentium, inter quos non « fiant preces et gratiarum actiones Patri et Creatori « omnium per nomen Jesu Christi crucifixi. »

4° Sanctum Irenaeum qui in Catalogo Ecclesiarum enumerat Germaniam, Galliam, Hispaniam, Aegyptum, Lybiam eodem lumine fidei illustratas, et pari omnium concordia.

5° Tertullianum qui in Apologetico, c. 37, sic se habet : « Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, « urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, « castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, « forum, sola vobis relinquimus templa. » Idem luculenter exprimit adv. Judaeos, c. 7.

Inter auctores ethnicos, audiamus :

1° Tacitum (annal. l. 15, c. 44), dicentem, Neronis temporibus : « ingentem Christianorum multitudinem « inventam fuisse. »

2° Senecam, qui Christianos cum Judaeis confundens sic scribit, uti refert sanctus Augustinus (de civit. Dei lib. 6 c. 11 n. 36) : « Cum interim usque eo convaluit

« consuetudo sceleratissimae gentis, ut per omnes jam « terras recepta sit; victi victoribus leges dederunt. »

3° Plinium Juniorem, Asiae proconsulem, qui mandat ad Trajanum (lib. 10, ep. 97) : « Visa est mihi res « digna consultatione, maxime propter periclitantium « numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, « utriusque sexus etiam vocantur in periculum et « vocabuntur. Neque civitates tantum, sed vicos etiam « atque agros, christianae superstitionis contagio pervagata est...; prope jam desolata templa deorum, « et solemnia diu intermissa. » Ergo constat major.

*Constat minor* : seu praefatum factum explicari non posse nisi divina origine Catholicismi.

Nam haec propagatio nulli causae naturali adscribi potest, sed virtuti divinae tantum.

1. *Nulli rationi naturali adscribi potest.*

Naturalis enim causa alia dari nequit, nisi quod Catholicismi praedicatores adhibuerint huic propagationi procurandae, media obstaculis superandis naturaliter proportionata. Jam vero haec prorsus deest. Ad cujus evidentiam pensanda sunt, ex una parte, obices vincendi, et, ex alia parte, media adhibita. Difficultates superandae aliae fuerunt intrinsecae, aliae extrinsecae.

1° Difficultates intrinsecae oriebantur :

a) Ex persona Christi qui proponebatur uti Deus adorandus, et qui tamen simul et natione Judaeus erat, et tanquam malefactor fuerat crucifixus. Sed nulla gens tam erat despecta ac Judaica; nullum supplicium supplicio crucis ignominiosius reputabatur.

b) Ex dogmatibus speculativis, quae erant rationi impervia et creditu maxime ardua, nempe : Trinitas,

Incarnatio, peccatum originale, Eucharistia, carnis resurrectio, etc., etc.

c) Ex parte practica religionis, quae omnibus passionibus bellum indicit; nam, ut advertit S. Augustinus (de vera Relig. c. 3 et seq.), « dicitur avaris : « nolite vobis condere thesauros de terra...; dicitur « luxuriosis : qui seminat in carne, de carne metet « corruptionem; qui seminat in spiritu, de spiritu « metet vitam aeternam; dicitur superbis : qui se « exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur; « dicitur iracundis : accepisti alapam, para alteram « maxillam; dicitur discordiosis : diligite inimicos « vestros; dicitur superstitiosis : regnum Dei intra vos « est; dicitur curiosis : nolite quaerere quae videntur « sed quae non videntur; quae enim videntur tempo- « ralia sunt, quae autem non videntur aeterna sunt. « Postremo omnibus dicitur : nolite diligere mundum, « neque quae in mundo sunt, quoniam omne quod in « mundo est, concupiscentia carnis est, et concupi- « scentia oculorum, et ambitio saeculi. »

2° Difficultates extrinsecae oriebantur :

a) Generatim, ex adhaesione tenaci hominum erroribus inveteratis, quos a patribus tanquam haereditatem acceperunt. Ex hac fit vel unius hominis corrupti emendationem valde operosam esse; quanto magis conversionem omnium gentium!

b) Speciatim, ex indole Judaeorum, qui ritibus Moisaicis erant addictissimi, praeconceptis imbuebantur opinionibus de temporali Messia, et quibus summopere displicere debuit, et hunc uti Deum agnoscere quem turpiter necaverant, et cum Gentilibus quos aversabantur admittere consortium.

c) Speciatim etiam, ex gentilium indole, qui artibus scientisque florentes, superbia mentis plurimum laborabant, et lugenda praesertim morum corruptione; et ideo stultitiam Crucis abhorrebant, et religionem novam, mysteriis refertam, passionibus valde contrariam, et ortam ex Judaeorum gente sibi maxime odiosa, ultra quod dici potest abhorrebant.

d) Speciatim demum, ex indole procerum et potentium, scilicet : sacerdotum gentilium, quorum auctoritas et sustentatio ab idolorum cultu pendebant; philosophorum, quorum mentes offendebantur doctrina suum captum superante et suis placitis contradicente; Romanorum denique Imperatorum, qui antiquam idololatriam cum imperii prosperitate conjunctam censebant, et sibi jus et honorem sacerdotii conservare cupiebant.

Ad praefatas autem difficultates superandas, quae nam adhibuerunt media Evangelii praecones?

1° Erant numero pauci, rudes, illitterati, et ob originem Judaicam cunctis despecti.

2° Eorum arma, non carnalia, sed spiritualia, nempe : paupertas, mansuetudo et simplicitas.

3° Argumenta quibus utebantur, non erant naturaliter animis convincendis apta. Doctrinam enim suam tam asperam dissimulare aut emollire noluerunt; sectatoribus suis nullum pro hac vita emolumentum temporale pollicebantur, sed ignominiam potius, aerumnas, et supplicia praenuntiabant.

4° Ratio agendi erga eos quos evangelizabant captationem haud sapiebat. Difficillimos quippe se in novis asseclis suscipiendis praeberunt, eosque duris subjecerunt experimentis; disciplinam instituerunt



rigidissimam, nempe : vigilias, austeritates, confessiones publicas, onerosas poenitentias iis etiam impositas qui, suppliciiis victi, fidem exterius tantum negaverant.

Jam vero, cuique evidentissimum est nullam dari naturalem proportionem inter hujusmodi media, et gravissimas quas modo enumeravimus difficultates. Ergo Catholicismi propagationem nulli naturali causae adscribere licet.

II. *Haec igitur propagatio divinae tantum virtuti est adjudicanda.*

Et hoc propter tria :

1° Quia Apostoli, nisi certis rationibus pro comperto habuissent se esse divinitus missos, nunquam ausi fuissent tantum opus aggredi. Agebatur enim de conversione omnium gentium, seu, de disseminandis doctrina et legibus Christi apud omnes gentes, ita ut totius generis humani mores ad normam pietatis et sanctitatis componerentur. Atqui, quod homines pauci, debiles, pauperes, illitterati, de hujusmodi opere cogitaverint, prorsus incredibile est, et multo magis impossibile quod illud exsequi intrepide et confidenter tentaverint, de sua divina missione incerti.

2° Quia conversio mundi non potuit alio motivo determinari quam certa et evidenti veritatis apprehensione; nihil siquidem humanum ad catholicam religionem amplectendam alliciebat, sed potius omnia huic professioni repugnabant, videlicet : aut indifferentia religiosa, aut superstitionum amor, aut pro- pensio ad res terrenas et sensibiles voluptates, aut cultus erga familiam, aut nationales traditiones, aut naturalis apprehensio ignominiarum, carcerum, spo-

liationum aliorumque suppliciorum quae Christianis passim impendebant. Ergo non nisi evidentia victi jugo colla dederunt. Quanam autem via convicti fuere? Via cunctis aperta videtur constitisse in miraculorum fulgore, et quidem miraculorum de quorum veritate tum historica, tum philosophica, tum relativa non erat dubitandi locus.

3° Quia demum Deus gratia sua supernaturaliter corda hominum et collustravit et subjugavit. Miracula equidem sufficere poterant ut inexcusabiles fierint increduli; at, nisi simul praesto adfuisset interior et efficax Spiritus sancti motio, etiam signis praeclarissimis homines adducti non fuissent ad professionem fidei tantopere naturae corruptae onerosam. Adest itaque verum ordinis moralis miraculum divinitus in favorem Catholicismi patratum.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 185.

187. *Ad 1.* Quamvis excellentia intrinseca doctrinae christianae sit argumentum efficax veritatis, per hanc tamen solam mira ejus propagatio non satis explicaretur, sive quia tale motivum ab omnibus saltem rudibus non statim clare apparet; sive quia, hac non obstante, remanebant naturaliter insuperabiles difficultates quas supra indicavimus, et quae debuerunt impedire, quin pulchritudinem religionis passionibus tam infensae, et nondum ad praxim reductae perciperent Pagani et Judaei.

188. *Ad 2.* Nullus practice experitur practicam utilitatem principii auctoritatis docentes, necnon charitatis mutuae et communitatis bonorum jucunditatem, neque sibi peccatorum veniam aeternamque

felicitatem sperare potest, nisi prius et credat, et peccata sincere detestetur eisque vitandis allaboret, et religionis catholicae praecepta impleat. At his omnibus plurimum obstat, praeter impedimenta extrinseca jam in thesi allata, difficultas, et se subjiciendi auctoritatis docentis magisterio, et bonorum cupiditatem frenandi, et charitatis mutuae operibus se tradendi, et de peccatis poenitentiam agendi.

189. *Ad 3.* Verum est, ex una parte, Deum sua providentia causas secundas aptasse ad seminis evangelici diffusionem et germinationem; et ex altera, remansisse difficultates supra dictas. Et revera, testatur historia quanto conatu ab omnibus impugnata et debellata fuerit Apostolorum praedicatio, ita ut, absque divinae Providentiae miraculoso interventu, nunquam praevaluisset.

190. *Ad 4.* — Neque vanitas Polytheismi passim agnita, nec appetitus novae religionis, nec magnae alicujus renovationis in orbe expectatio, efficere potuerunt ut religio catholica naturaliter placeret. Status autem mundi politicus solam praedicandi, non persuadendi facilitatem praebuit; quinimo, ex hac politica unitate sequebatur majori potentia praeditos esse imperatores, ad christianos ubique terrarum vexandos.

191. *Ad 5.* Magna adest disparitas inter Catholicismum ac religiones in exemplum adductas. Illae siquidem, nec extrinsecis nec intrinsecis quas indicavimus difficultatibus erant obnoxiae, et in sui patrociniis plurima adjumenta naturaliter efficacissima adhibuerunt. Nam naturae corruptae blandiebantur, et omnis generis subsidiis affluebant, et principum

protectione, imo et armorum vi propagatae fuerunt, neque tot persecutiones passae sunt.

#### QUAESTIO II<sup>a</sup>

Utrum religio catholica divina probetur ex suis martyribus?

192. *Resp.* Videri potest quod non.

Etenim, 1<sup>o</sup> Omnes religiones suos habuerunt martyres. Ergo, vel omnes sunt verae, vel martyrium nihil probat.

2<sup>o</sup> Praeterea, afferuntur in probationem potissimum martyres priorum saeculorum. Atqui non religionis causa trucidati sunt, sed quia traducebantur veluti seditiosi et pacis publicae perturbatores, aut aliis criminibus horrendis inquinati.

3<sup>o</sup> Praeterea, mors juste inflictia nihil probat in favorem religionis. At Romani Imperatores debito politico tenebantur urgere legum civilium observantiam, et huic debito obtemperarunt exigendo, sub poena mortis, ne subditi sui Christiani fierent.

193. *Sed contra dico: Religio catholica, divina probatur ex suis martyribus.*

Ad cujus evidentiam 1<sup>o</sup> factum ipsum de quo agitur cum suis circumstantiis exponendum est, 2<sup>o</sup> ostendendum qua ratione ex hoc facto evincatur thesis.

#### I. Expositio facti martyrum.

1<sup>o</sup> *Martyres qui pro fide catholica passi sunt fuerunt innumeri.*

In quatuor primis saeculis innumeros fuisse constat veteribus Patribus, scriptoribus ethnicis, edictis imperatorum, martyrum actis, apologistarum libellis

supplicibus, orationibus ad martyres directis, monumentisque in eorum memoriam erectis. Nec in imperio Romano tantum, sed et apud Persas, aliosque populos idololatrias numerantur ad minus circiter decem millia millium.

2° *Martyres fuerunt omnis aetatis et conditionis.*

Id constat iisdem ac supra documentis : fuerunt, scilicet, viri et mulieres, pueri et senes, puellae delicatae, nobiles et plebei, docti et rudes, servi et liberi, principes et subditi etc..., et insuper in variis orbis terrarum regionibus.

3° *Supplicia atrocissima fuerunt.*

Ut narrant historici fide dignissimi, ad martyres cruciandos adhibuerunt persecutores quidquid crudelius imaginabantur : tauros aeneos candentes, ferreas laminas, faces, sarmenta, pectines ferreos, equuleos, forcipes, rotarum varia genera, torcularia, nervos, cruces, compedes, ungulas, plumbata, uncas, lebetes, sartagine, craticulas, dentes bestiarum, aliaque innumera quorum simplex repraesentatio nata est cuique etiam fortissimo horrorem injicere.

4° *Constantia martyrum fuit admirabilis.*

Nam, 1° fuit in omnibus invicta ; quia, quibuscumque suppliciis non obstantibus, et oblata eis libertate, si velint apostatare, fidem intrepide adusque finem confessi sunt ; 2° multi ad cruciatus properabant, et seipsos persecutoribus offerebant, magnum reputantes lucrum pro sua fide pati et mori ; 3° saepe patiebantur taciti, hilares, gratias agentes ; 4° semper manebant tranquilli, modesti, et erga iudices et tortores blandi ac benigni.

5° *Martyrum confessionem nonnunquam plurima condecorarunt miracula.*

Haec prodigia, in eorum actis relata, non fuerunt in dubium revocata ab ethnicis, qui ea potius magiae tribuebant. Sic, saepe e manibus tortorum aut suppliciorum instrumentis eripiebantur ; ferae non audebant eos attingere, sed eorum pedes lambebant ; sensus doloris auferebatur ; post acerbissimos cruciatus perfectae restituebantur sanitati ; ad eorum vocem templa et statuae deorum corruebant ; vel, his patientibus, audiebantur concentus angelici, aut iudices repentina morte plectebantur..., etc.

6° *Saepe saepius Ethnici martyrum spectaculo conversi sunt.*

Clamabant enim adstantes : *magnus est Deus Christianorum!* et multi admiratione victi, etiam inter tortores, se Christianos profitebantur et ad martyrium accingebant. Unde praevaluit adagium : *Sanguis martyrum semen Christianorum.*

## II. Argumentum ex martyrum facto deductum.

Duplex est : directum et indirectum.

I. *Argumentum directum.* Argumentum illud eruitur ex facto martyrum, quatenus miraculum includente, et hoc quidem est triplex :

1° Ratio miraculi relucet ex ipsamet intrepiditate quae naturaliter explicari nequit, videlicet : nec viribus ordinariis naturae, nec stupiditate, nec fanaticismo.

a) Non viribus ordinariis naturae. Natura enim a violentis cruciatibus maxime abhorret, ut videre est quotidie in cruentis operationibus chirurgicis, licet cum omni possibili lenitate fiant.

b) Non stupiditate. Multi enim inter martyres docti et exculi fuerunt ; ipsa insuper sapientissima responsa

quibus martyres etiam pueri, rudes, feminae, iudices confundebant, satis ostendunt eos non fuisse stupidos. De caetero, unde tanta hebetudo mentis ut, optione data inter delicias et supplicia, libertatem et carcerem, vitam et mortem, discernendi fuissent incapaces, et, caeco prorsus modo, dura pro amoenis elegissent?

c) Non fanaticismo. Id probant: 1° quies et tranquillitas quam inter acerbissimos dolores prae se ferebant; 2° doctrina sanctissima quam non solum profitebantur, sed saepe etiam solidis rationibus confirmabant; 3° amor quo inimicos suos complectebantur, preces quas pro illis fundebant, aliaque beneficia quae identidem suis tortoribus praestabant.

Ergo illa intrepiditas est verum ordinis moralis miraculum; et quia nullum in eo reperitur signum diabolici interventus, sed omnia divinam pietatem spirant, et evidenter eo tendit ut religionem catholicam confirmet, concluditur divinitas Catholicismi.

2° Ratio miraculi reperitur insuper in tot Gentilium conversione ex martyrum patientium spectaculo orta. Naturaliter enim tantorum tormentorum conspectus debuisset ipsos credentes a fide christiana deterrere, et hunc finem sibi persecutores proposuerunt. Quanto minus Gentiles nondum credentes, potuerunt horum suppliciorum visu excitari ad credendum et ad similiter patiendum! Ergo reperitur in hac conversione verum miraculum, quod clare liquet esse divinum et in favorem religionis christianae.

3° Ratio demum miraculi evidenter agnoscenda est in factis stupendis supra memoratis, quibus Deus martyrum passiones quandoque illustrabat, et quae magiae aut daemone tribuere foret evidenter absonum.

II. *Argumentum indirectum* eruitur ex facto martyrum, quatenus est testimonium.

Tanta enim intrepiditas arguit martyres pro certissimo tenuisse, aliam sibi non superesse viam ab aeterna damnatione se liberandi, et aeternam acquirendi felicitatem, quam horrendissimos cruciatus mortemque acerbissimam pro fide servanda tolerare. Atqui, convictio tam immobilis et invicta tribuenda non est nisi evidendae motivorum credibilitatis. Secus, dicendum esset, vel martyres causam fidei tam acriter amplexatos fuisse sine praevio et maturo examine, vel, hoc examine praehabito, falsis aut dubiis motivis fuisse deceptos.

Primum nimis est absurdum; at posterius non minus repugnat. Non enim haec credibilitatis motiva consistebant in subtilibus et metaphysicis argumentis, sed nitentur miraculis, seu factis obviis, splendidis, cognitu facillimis, quae, aut ipsimet martyres viderant, aut audierant ab oculatis testibus fide dignissimis, et qui testimonium suum proprio sanguine sigillaverant. Jam vero, si haec facta non fuissent vera, necessario paulisper attendenti apparuissent aut falsa aut saltem dubia; ac proinde non potuissent tantam fidem generare.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 192.

194. *Ad 1.* In aliarum religionum martyribus, non reperiuntur conditiones quae martyrum christianorum constantiam condecorant, et ipsi vim probandi invictam conferunt, sive quatenus habet rationem miraculi, sive quatenus rationem habet testimonii. Non enim illi alii martyres sunt pro singulis religionibus innu-

meri, omnium locorum, omnisque conditionis, nec iisdem virtutibus emicuerunt, nec ab omni superbiae, fanatici et furoris inquinamento alieni; nec vitam ad testificanda facta publica, obvia, splendida, profundebant; nec iisdem prodigiis eorum passiones nobilitatae fuerunt; nec eorum sanguis dici potest evasisse novorum sectatorum semen.

195. *Ad 2.* Passi sunt nostri martyres in odium religionis christianae, quam nonnulli persecutores falso et imprudenter existimabant perversam et crudelem. At id non impedit quin revera pro causa fidei interierint, illi qui hanc deserendo facile potuissent se a suppliciis et morte liberare. De caetero, multis documentis constat, nullum in prioribus seculis aliud crimen saepius imputatum fidelibus fuisse, quam esse Christianos.

196. *Ad 3.* Non datur debitum politicum urgendi obligationem legis iniquae; secus, jam actum erit de omni libertate et justitia, et populi principum ludibrio permittentur.

#### DISSERTATIO QUARTA

DE NOTA DIVINITATIS QUAE INVENITUR IN MIRABILI UTRIVSQUE  
NOVI ET VETERIS TESTAMENTI CONSENSIONE.

197. *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in secula*, ait B. Paulus (Hebr. XIII, 8). Hinc, ipsius religio, secundum varios status quos successive habuit, omnia tempora implet. Et ideo restat ut divinam ejus originem evincamus ex veteri Testamento, quatenus no-

vum ei perfecte consonat. Ad quod, postquam breviter librorum Moysis historicam auctoritatem statuerimus, in illis ostendemus duas religiones, primaevam scilicet, atque Judaeam, divinitus fuisse institutas tanquam christianae propheticas atque praefigurativas; quae novem quaestionibus absolventur.

#### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quomodo compendiose demonstrari valeat librorum Moysis, seu Pentateuchi, auctoritas historica?

(Vide Knoll, *Theol. gen.*, §§ 75. 78. — Vigouroux, *Manuel biblique*, t. I, 1<sup>o</sup> partie, sect. 1, chap. 1, art. 3.)

198. *Resp.* Illam quaestionem, quae locupletius versari solet in Scripturae sacrae lectionibus, sic paucis absolvemus.

*Dico 1<sup>o</sup> : Pentateuchus est genuinum ipsius Moysis opus.* Est contra Hobbes, Spinosam et nonnullos seculi XVIII Deistas; item contra plures hodiernos et scholis Germanicis criticos, quibus nuper se adjunxit ex Anglicanis doctor Colenso.

*Prob. 1<sup>o</sup> : Argumento praescriptionis.*

Existit quippe a multis seculis gens Hebraica, quae longissimo tempore Palaestinam occupavit, gaudens fortissima et invariabili constitutione politica, religionem profitens innumeris et valde implexis legibus atque caeremoniis refertam. Haec autem natio semper credit se habuisse primum legislatorem Moysem, a quo accepit Pentateuchum, ubi propria historia, necnon suus codex civilis et religiosus integre continentur. Talis fides est universalis, constans et publica

apud Judaeos, conformisque unanimi et immemorabili caeterorum persuasioni, quam secuti sunt sine difficultate antiquitatis scriptores, etiam pagani; nec unquam ante modernos Deistas, ulla circa hujusmodi factum orta est controversia. Jam vero, exinde Pentateuchi authenticitas tum positivo tum negativo argumento concluditur.

1° *Positivo* quidem; eo quod evidenter illa authenticitas cum praedicta traditione connectitur.

Sane respublica et religio Judaica aliquem habuit fundatorem ac legislatorem maxima praeditum sapientia. Talem autem fundatorem ac legislatorem gens Hebraica nec ignorare nec oblivisci potuit. Sed, si ille fundator ac legislator alius fuit ac Moyses, dicendum est gentem hebraicam, eum a quo acceperit existentiam socialem ac leges aut ignorasse aut oblitam esse.

Insuper, ille fundator ac legislator, quicumque fuerit, certe ea quae pertinent ad gentis suae constitutionem civilem et religiosam conscribere non omisit. Legislatio siquidem Mosaica tot constat ordinationibus et observantiis, ut tam fideliter ac firmiter conservari non potuisset, nisi libro eas complexus fuisset legislator; secus ille insipientissime egisset, et rempublicam admodum labilem et caducam instituisset. At repugnat omnino talem librum, temporum decursu perisse, et non, e contrario, cum omni studio apud suos asservatum fuisse.

Et sic explicatur, et non aliter, traditio illa constans, universalis et immemorabilis de Pentateuchi conscriptione per Moysen facta. Ergo, ex hac traditione, positive concluditur Pentateuchi authenticitas.

2° *Negativo* etiam argumento concluditur. Etenim,

tanta est praefatae traditionis antiquitas, universalitas, constantia, ut nullus esse possit huic contradicendi locus, nisi maximi ponderis afferantur probationes in contrarium, et explicetur qua ratione Pentateuchus confectus et evulgatus fuerit. Atqui prorsus desunt et illae probationes et illa explicatio.

Adversariorum argumenta *ab extrinseco* nulla sunt; quae autem *ab intrinseco* allegant, vel sunt principia evidenter falsa, v. g. miraculorum impossibilitas; vel animadversiones nullius momenti, quae, scilicet, referuntur ad nonnullas Pentateuchi particulas, quarum recentior insertio facillime intelligitur, aliquid elucidandi aut complendi causa.

Insuper, ubi extra Moysen Pentateuchi confectio- nem conantur explicare, non afferunt nisi hypotheses mere gratuitas, et inter se haud concordēs, quod satis indicat eas temere et leviter excogitatas fuisse.

*Prob. II° : Suppositionis impossibilitate.*

199. Ad hanc suppositionem, duo fuissent necessaria : 1° ut Pentateuchus qualis nunc habetur, ab alio auctore, Moysē longe recentiori, juxta Deistas et criticos, conscriptus esset; 2° ut ab universa gente constanter admissus fuisset tanquam genuinum opus Moysis. Sed utrumque impossibile est.

I. *Impossibilis fuit Pentateuchi, qualis existit, conscriptio ab auctore Moysis aetate longe recentiori.*

Cujus impossibilitatis duplex ratio est, nempe : libri argumentum et stylus.

*Prima impossibilitatis ratio* est argumentum libri. (Vide cursum compl. Script. t. 4, p. 19, 20.)

a) In libro Geneseos, gentium antiquissimarum

origines, imperiorum omnium incunabula, urbium exordia, regionum situs, moresque populorum ita describuntur, ut omnia probatissimis veteris historiae monumentis optime quadrent, quinimo iis magnam afferant lucem. Sed aliquis scriptor Moysis aetate longe recentior, procul dubio in plurimis inveniretur antiquioribus documentis contradicens, et nonnulla ex aetatis suae moribus in primorum hominum historiam inconsulte transtulisset.

b) Multa in Pentateucho narrantur de Ægypto et illius gentis opibus, potentia et consuetudinibus, quae in Herodoto, Diodoro Siculo, caeterisque rerum veterum scriptoribus mirabiliter confirmantur. At frustra ab auctore, qui apud hujusmodi populos non fuisset versatissimus, praedicta conformitas speraretur.

c) Auctor Pentateuchi, in referendo res quae Judaeos spectant, hunc ordinem servat, qui non alium quam gentis Hebraicae ducem ac legislatorem sapit. Unde enim tanta diligentia in memorandis et variis Israelitarum castrametationibus, et familiarum genealogiis, et tabernaculi constructione, et vestium pontificalium forma ac sacrificiorum ritibus? Sane id facile potuit Moyses, cum hisce omnibus, vel interfuerit vel praefuerit; et insuper id fuit utilissimum: quia, ubi nova instituitur religio multiplici ritu onusta, necesse est describi caeremonias, necnon facta omnia quae cum illa institutione conjuncta sunt, posterisque exemplo et argumento esse debent. Sed, tempore longe posteriori, ac vigente jam religione Mosaica, tot exiguas rerum circumstantias describere difficillimum fuit, et imo parum conveniens, utpote nec legentibus jucundum, nec operis scopo inserviens.

d) Demum observare juvat in Pentateucho, leges non certo quodam ordine et sub certis capitibus distribui, sed simpliciter enuntiari factis permixtas, et prout variis temporibus et in variis rerum adjunctis latae fuerunt. Et revera ad finem sibi propositum, Moyses non indigebat artificiosis transitionibus, aut scholiis, aut argumentis; sed, narrando facta coram omnibus patrata, et a coaevis in dubium non revocata, cordi habuit ut eorum memoria ad posteros transiret, et Israelitae ad legis custodiam his incitarentur. Hinc frequentes illas repetitiones, vehementes interpellationes atque exhortationes, imo et objurgationes, quae ex ipsa narratione quasi sponte erumpere videntur. Atqui hic procedendi modus non potuisset convenire scriptori Judaeo multum recentiori, qui leges majoribus suis datas referre, et in unum corpus redigere voluisset.

200. *Secunda impossibilitatis causa est stylus, seu dicendi ratio grammaticalis Pentateuchi propria.*

Pentateuchus enim non continet voces extraneas, praeter Ægyptiacas, atque, in Genesi, quasdam radices Chaldaicas. Insuper, in eo desunt multae loquendi formulae Moysis temporibus recentiores, et quae in posterioribus Judaeorum libris occurrunt. E contra, continet Pentateuchus nonnulla pervetusta verba, quae post Moysen in desuetudinem abierunt, et alibi non reperiuntur.

Jam vero, vix concipitur alium auctorem Moysen longe recentiorem, vocabula externa unice ab Ægypto et Chaldaea mutuasse, nec aliquando adhibuisse quasdam loquendi formas suo tempore usurpatas, et tot usurpasse jam tunc antiquatas. Ergo, tum stylus, tum

argumentum Pentateuchi obstant ne a scriptore Moyse recentiori conscriptus fuerit.

201. 11. *Repugnat universam Judaeorum gentem constanter admisisse, tanquam genuinum Moysis opus, Pentateuchum ab alio conscriptum.*

1<sup>a</sup> *Repugnantia* sumitur ex gravitate rei. Pentateuchus est liber ritualis, codex legum, genealogiarum instrumentum, haereditatum tabula, divinae adoptionis monumentum et pignus, et idcirco omnium Judaeorum maxime intererat de illius Mosaica origine certiores fieri. Ergo error apud eos non praevaluisset, saltem constanter et universaliter.

2<sup>a</sup> *Repugnantia* oritur ex populi Judaici indole. Legislatio enim Pentateuchi non est ad imaginem gentis hebraicae concinnata, neque idearum apud eam obtinentium expressio, sed potius ejus praejudiciis ac propensionibus vehementer adversa. Insuper, auctor Pentateuchi Judaeis imponit innumeras et molestissimas observantias, eorum scelera et ingratitude dure exprobrat, multiplicesque rebelliones late describit. Atqui repugnat Judaeos talem legislationem, tales observantias, oburgationes et narrationes veluti a Moyse scriptas accepisse, nisi evidentia coactos.

3<sup>a</sup> *Repugnantia* desumitur ex publico et quotidiano usu. Supponit aperte Pentateuchus illius usum fuisse ab initio publicum ac quotidianum; illius textum quovis septennio in lectione solemniter ab omnibus audientibus esse, et multoties interea privatim legendum, meditandum ac transcribendum. Ergone judaei industria alicujus hominis, hunc textum prima vice longe post Moysem evulgantis, credere potuerint illum a

Moyse tempore sic notum et usurpatum fuisse, dum hunc antea penitus ignorassent?

4<sup>a</sup> *Repugnantia* provenit ex divisionibus inter eos ortis, qui simul in admittendo Pentateucho uti genuinum Moysis opus consenserunt.

Etenim, non modo a tempore Roboami dissensio exarsit inter Israelem et Judam, sed sub Judicibus jam vigeat hujus discordiae semen inter septentrionales ac meridionales Judaeos. Cum ergo utraque pars Moysem ut suum legislatorem maxime veneraretur, si apud alterutram apparuisset Pentateuchus suppositus, altera statim reclamasset, nec suppositioni consensisset.

Item, nullus ignorat Samaritanis Judaeos fuisse infensissimos; et tamen Judaei et Samaritani Pentateuchum substantialiter eundem habent. Cum ergo, nec Samaritani a Judaeis, nec Judaei a Samaritanis Pentateuchum suppositum potuerint accipere, concludendum est, nec apud Judaeos primum, nec apud Samaritanos suppositionem fuisse efficaciter tentatam.

5<sup>a</sup> *Repugnantia* exurgit ex omnium aliorum veteri Testamenti librorum cum Pentateucho connexiones. In omnibus, siquidem, caeteris libris, quos Judaeorum canon complectitur, vix ulla est pagina quae possit a Pentateucho separata consistere. Frequentissime enim invocant Moysem ejusque legem, praecepta civilia et ritualia, factaque ac prodigia ab eo relata. Qui ergo Pentateuchum confinxisset, debuisset etiam confingere aut saltem notabiliter adulterare omnes veteris Testamenti libros jam evulgatos, et tanta cum solertia, ut Judaei fraudem non adverterent ac deciperentur. Sed quid magis repugnans?



202. Dico 2° : *Pentateuchus nullam subiit mutationem substantialem.*

Constat 1° *fide publica, unanimi et constanti Judaeorum.*

Omnibus temporibus, Judaei unanimiter et aperte professi sunt, et Moysen Pentateuchum scripsisse, et seipsum illud idem opus substantialiter incorruptum habere, nec quidquam alicujus momenti huic aut additum aut detractum esse. Atqui tam valet Judaeorum fides pro substantiali Pentateuchi integritate, quam pro ejusdem authenticitate.

Constat 2° *impossibilitate adulterationis substantialis.* Huic enim adulterationi multa obstant.

*Obstat 1°* immensa Pentateuchi exemplariorum ac citationum multitudo. Erant haec exemplaria quasi in infinitum, temporum decursu, multiplicata, sive apud Judaeos, sive apud Samaritanos, sive apud Gentiles. Sunt etiam innumerae Pentateuchi citationes, tum in aliis veteris Testamenti libris, tum in Josephi Flavii atque Philonis operibus. Attamen, et illa exemplaria, et illae citationes inter se substantialiter concordant; variantes enim notatae prorsus sunt accidentales, et scriptorum inadvertentia aliisve de causis, facile explicantur. Ergo, si in aliquo substantialiter adulteratus fuerit Pentateuchus, adulteratio illa facta est, et in omnibus exemplaribus tunc existentibus, et in omnibus textuum adulteratorum citationibus quas jam habebant alii libri tunc vulgati, quod evidenter impossibile fuit.

*Obstat 2°* summa veneratio et usus quotidianus Pentateuchi apud Judaeos. Moyses sane sollicitè curaverat de suorum librorum integritate assicuranda,

jubendo ipsum autographum in arca servari (Deut. xxxi, 26), severe prohibendo ne quis suis libris aliquid addere aut demere praesumeret (Deut. iv, 2; xxi, 32). Pro Legis custodia specialis tribus Levi per reliquas tribus distributa est. Lectio denique Legis, et privata Israelitis, iudicibus, Levitis ipsisque regibus (Deut. xviii, 18; Paralip. xvii, 9.), et publica singulis septenniis est commendata. Non agitur ergo de libro obscuro, facile adulterationibus obnoxio, sed de libro publico, qui in omnium manibus versabatur, et ab omnibus impensissime colebatur. Juxta Josephum, tanta erat Judaeorum erga libros suos observantia, ut litteras et vocabula omnia numeraverint, et quoties, quo ordine, qua serie in Scripturis eadem vox repetebatur attente consideraverint. Quis autem persuadebit potuisse aliquem horum librorum exemplaria vitiare substantialiter, quin Judaei passim, et fraudem adverterint, et adversus tale facinus reclamaverint? Quanto minus potuissent impostoris fraudem adjuvare, et factas textus corruptiones in suos codices admittere!

*Obstat 3°* animorum discordia, quae non sinebat substantialem Pentateuchi adulterationem efficaciter tentari. Etenim, si illam tentasset aliquis de regno Judae, reclamassent illi qui erant de regno Israelis, et vice versa; si aliquis Samaritanus, gens Hebraica id non tulisset, et vice versa; a fortiori Samaritani et Judaei gentilem falsarium totis viribus repulissent.

Constat 3° : *consideratione eorum quae in Pentateucho continentur.*

Continentur in Pentateucho actuali multa genti, et familiarum principibus, et sacerdotibus probrosa, necnon praecepta valde gravia, propter quae Judaei fre-

quenter conquerebantur sibi durum et intolerabile jugum impositum fuisse. Atqui, si quae factae fuissent a Judaeis adulterationes notabiles, praedicta non mansissent intacta, sed, aut sublata, aut mutata fuissent. Idem dicendum de his quae in Pentateucho Gentilismo et gentibus contrariantur et quae pariter expuncta aut vitata essent, si aliquis ex Gentilibus Pentateuchum corrumpere conatus esset.

**203. Dico 3<sup>o</sup> :** *In referendis factis ipsis contemporaneis, Moyses fuit scriptor veracissimus.*

Etenim, circa hujusmodi facta, quae in quatuor posterioribus Pentateuchi libris referuntur, Moyses, nec decipi potuit, nec voluit decipere, nec decipere potuisset etiamsi voluisset.

*1<sup>o</sup> Circa praedicta facta Moyses decipi non potuit.*

Illa siquidem facta, aut a Moyse ipso patrata sunt, aut sub ejus oculis contigerunt, et aliunde sunt omnibus obvia, publica et maximi momenti. Sed, posito Moysem circa talia facta deceptum fuisse, jam de omni certitudine historica actum est.

*2<sup>o</sup> Circa praedicta facta Moyses non voluit decipere.*

Nam 1<sup>o</sup> qui caeteros falsis narrationibus decipere intendit, refert potius facta remota, in angulo peracta, et nunquam serio subjecta examini. At Moyses narrat facta praesentia, coram frequentissimo populo patrata, et quae omnium attentionem sua gravitate provocare debuerunt.

2<sup>o</sup> Qui vult decipere, non designat loca, tempora,

circumstantias, testes quorum ope mendacium facilij negotio detegitur. Moyses autem loca, familias, personas, tempora minutatim describit, universamque gentem tanquam horum factorum testem fidenter et saepius invocat, his aut similibus verbis: *Oculi vestri viderunt quae fecit Dominus... Fecit tibi haec magna et terribilia quae viderunt oculi tui... vos vidistis universa quae fecit Dominus in terra Aegypti* (Deut. IV, 3, 9, 12; X, 21; XI, 7; XXIX, 2).

3<sup>o</sup> Deceptor quos vult in errorem inducere non offendit, sed e contra variis artibus sibi conatur devincere. Moyses autem, nedum Judaeis blandiretur, multa memorat eis quam maxime probrosa: varias scilicet rebelliones et idololatrias; eos vehementibus insequitur objurgationibus, multoties vocans *populum durae cervicis et incircumcisae mentis*; durissimum denique eis jugum imponit, et gravissimas eis comminatur poenas.

4<sup>o</sup> Moyses volendo decipere hunc sibi proposuisset finem, nempe: instituere falsam religionem. At tanta impietas a Moysis indole prorsus aliena est. Etenim:

a) Dicendi genus ab impostore usurpatum consuevit esse artificiosum, captiosum et implexum; sermo autem Moysis est candidus, ingenuus et simplex.

b) Impostor, quo efficacius sibi aliorum conciliet fidem, proprios defectus aut suorum delicta prudenti tegit silentio. Moyses non sic: proprias culpas confitetur, Aaronis fratris sui, necnon Mariae sororis suae murmuraciones narrat, Nabad et Abiud nepotum suorum peccata et luctuosam sortem non tacet.

c) Impostor non apparet ab omni proprii commodi studio vacuus; Moyses autem, in omnibus suis scriptis

ac gestis, solam Dei gloriam et populi felicitatem spirare videtur, et nullibi legitur divitias exquisivisse et habuisse, filiosque suos divites et honoratos reliquisse.

d) Demum, quo pacto impostor, religionem ita excellentem ac sanctitatis fructibus feracem, potuisset instituire?

3<sup>o</sup> *Moyses, etiam dato quod voluisset, certe non potuisset decipere.*

Ad hoc enim unum ex duobus fuisset necessarium, nempe : vel Judaeos sibi coevos de facto decipere, vel eos adducere ut secum in fraudem conspirarent, et errorem posteris transmitterent. Jam vero utrumque repugnat : Prius quidem, quia immensa multitudo decipi non potuit circa facta sensibilia, publica, maximi momenti, et saepe ipsi probrosa et onerosa. Posterius non est minus absurdum : quis enim credit tot hominum millia connaturalem omnibus veritatis amorem simul exuisse, ac fraudulento consilio conspirasse ut impostorem adjuvarent, qui plurima in ipsorum dedecus enarrat, et ipsis gravissimas imponit leges?

204. Dico 4<sup>o</sup> : *Vera sunt etiam facta quae in libro Geneseos narrantur.*

Sane, Moyses facta in Genesi contenta, non veluti meras poetici ingenii fictiones profert, non haesitando aut conjiciendo proponit, sed eodem modo ac res in aliis libris posterioribus memoratas, veluti facta certissima evolvit, ac proinde intendit narrationes vere historicas conscribere.

Quinimo, hasce narrationes, simul et quatuor subse-

quentes libros, Judaeis indistincte cum sua religione dedit; et Judaei, ex sua parte, eadem fide, eodem religionis sensu, omnia haec Moysis scripta susceperunt.

Et revera, omnes hi libri quid unum efformant, et Genesis non est nisi verum prooemium eorum quae subsequuntur ; siquidem, facta pleraque in Genesi relata ordinantur ad hunc finem, ut religio primaeva religionis judaicae praeparatoria confirmetur, et demonstraretur peculiaris erga populum electum Dei Providentia.

Quibus positis, sponte sequitur, id omne quod Moysen ut auctorem quatuor posteriorum Pentateuchi librorum commendat, hunc pariter commendare ut Geneseos scriptorem. Si ergo, uti facile constat ex iis quae, vivente Moyse, contigerunt, certum est eum fuisse in sua religione promulganda Dei legatum, non magis dubitandum est eum, etiam in scribendo Genesim, nomine Dei fuisse locutum, ac proinde illi omnino esse credendum.

Ergo, si quae sint in Genesi naturaliter non cognoscibilia, dicendum est Moysen ea accepisse per revelationem, aut ipsi, utpote frequens cum Deo commercium habenti, aut alicui e patriarchis anterioribus datam.

Insuper, Moyses plurima haurire potuit sive a traditione orali, tunc ob longam patriarcharum vitam plurimum valente, sive a canticis, monumentis, et scriptis quae interdum citat. (Vide Brugère : *de Relig.*, p. 239.)

Difficultates adversus auctoritatem historicam Pentateuchi, quas hic discutere longius foret, solvendas

remittimus, tum ad sacrae Scripturae praelectiones, tum ad tractatum de creatione.

QUAESTIO II<sup>a</sup>

Quaenam fuerint, juxta Pentateuchum, religionis mosaicae oeconomia et notae?

205. Resp. Ad. I. Religionis mosaicae oeconomia reperitur in quatuor posterioribus Pentateuchi libris: Exodi, Levitici, Numerorum et Deuteronomii; et quatuor constat partibus: dogmatica, morali, caeremoniali et judiciali.

I. Pars dogmatica. Complectitur veritates religiosas speculativas ab initio patriarchis revelatas, de quibus infra, ubi de religione patriarchali seu primaeva, et specialiter futuram humani generis reparationem per Messiam venturum.

Id unum addere juvat: Moysen nullibi sanctionem alterius vitae verbis expressis proponere. Nec mirum: foedus enim Deum inter et gentem judaicam temporali sanctione consecrabatur; quae sanctio, utpote sola revelatione cognoscibilis, debuit solemniter et clare enuntiari, eo magis quod per hanc divinitas legis Mosaicae demonstrabatur.

Attamen, dogma immortalitatis animae Judaeis, sicut et caeteris gentibus, certe erat notissimum. Cujus fidei luculentia habemus in veteri Testamento testimonia: Sic Daniel (xii, 2) aperte loquitur de finali resurrectione; apud Tobiam (ii, 18) legitur: *Filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus quam Deus daturus est iis qui fidem suam nunquam mutant ab eo*; apud Eccl. (xii, 1... 7); memento

*Creatoris in diebus juventutis tuae... antequam revertatur puteis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum*; apud Job (xix, 25): *In novissimo die de terra surrecturus sum*; apud Deut. (xviii, 11) prohibentur Judaei veritatem a mortuis quaerere; porro non poterant de hoc cogitare qui mortuos credidissent nullo modo vivere.

II. Pars moralis. In ea promulgatur Decalogus, explicantur varia singulorum officia erga Deum, proximum et semetipsos.

III. Pars caeremonialis. Constat praeceptis positivis cultum divinum ordinantibus. Quae praecepta, vel respiciunt rationem in cultu servandam, nempe: ritus ac caeremonias, instrumenta, vasa, utensilia, sacrificiorum species et formas, festa, sabbati observationem; vel referuntur ad sacerdotium quo cultus promovetur, seu, ad ministrorum gradus et officia multiplicia.

IV. Pars judicialis. Est collectio legum spectantium regimen politicum ac civile gentis. Solius autem Dei erat supremum duces eligere, leges ferre, graviores controversias, responsis a propitiatorio datis, dirimere. Hinc regimen gentis Israeliticae politicum haud immerito vocatur *theocratia*.

206. Resp. ad II. Insigniores notae quibus divina patefit Mosaismi origo, sequentibus conclusionibus breviter indicantur:

Dico. 1<sup>o</sup>: *Eximia religionis mosaicae excellentia est certum divinae originis argumentum.*

Prob. Religio mosaica, non tantum suorum dogmatum ac praeceptorum complexione in inmensum superat quaelibet omnium, etiam sapientissimorum

philosophorum systemata, sed suis insuper legibus caeremonialibus ac civilibus, perfectissime congruit fini propter quem fuerat instituta. Ille finis erat Judaeos constituere in gentem singularem ab omnibus aliis segregatam, apud quam integra servaretur primaeva revelatio, et foedus novum praefiguraretur. Quam autem perfecte huic fini obtinendo religio mosaica attemperata fuerit, longius foret per partes ostendere; sed hoc unico facto satis demonstratur, videlicet: populus judaicus, per saecula quindecim, fidei legum suarum observatione, inter omnes alios, praeclarissimus evasit, quin unquam necessarium fuerit hisce legibus aliquid mutare, detrahere aut addere; cum tamen nulla citari possit gens quae sua instituta frequenter emendare non debuerit.

Atqui, haec tanta religionis excellentia non habet naturalem causam. Moyses enim educatus fuerat apud Aegyptios, quorum religio erat absurda, legislatio informis, moribus adversa, et crudelitatem redolens; ea vivebat aetate, qua universus orbis innumeris erroribus et vitiis foedatus jacebat; demum caruit tribus ad legum positivarum codicem conficiendum maxime necessariis, videlicet: experientia longo tempore et variis tentaminibus parta, scientia locorum in quibus gens sua debebat degere, et tempore sufficienti ad accuratam legislationis descriptionem. Subito quippe et quasi invitus populo praeficitur; post duos menses legem promulgat, illamque inter operosa itinera, uno, ut ita dicam, jactu evolvit atque perficit, sine ulla haesitatione et cunctatione. Porro haec certe superant vim causarum naturalium.

207. Dico. 2<sup>o</sup>: *Religionis mosaicae institutio,*

*constitutio et sanctio, divinam ejus demonstrant originem.*

Prob. 1.<sup>a</sup> pars, de *institutione.*

Moyses, omni humana ope destitutus, reluctantibus imo Aegyptiis, innumeram Judaeorum multitudinem eo adduxit, ut ex Aegypto egrederentur, et in deserto horribili et arido, per quadraginta annos errabundi manerent, ea spe ducti, quod regione quadam ipsis ignota aliquando, vi armorum potirentur, et in ea tandem pacifice habitarent. Interea autem, concivium suorum animos blanditiis sibi conciliare non curavit, sed e contrario, ipsis proposuit doctrinam erroribus, praejudiciis, terrenisque affectibus, quae suo cum Aegyptiis commercio hauserant, penitus adversam; eos adstrinxit legi rituali multiplicibus observationibus multum onerosae, gravissimisque sancitae poenis; demum adversus murmuratores et delinquentes saepe immisericorditer saeviit, et nonnunquam ingentem eorum numerum morti devovit. Atqui hujusmodi incoeptum, cum talibus mediis, solo Dei interventu consummatum est.

Prob. 2.<sup>a</sup> pars, de *constitutione.*

Illa constitutio erat, ut dictum est, theocratia; ex quo sequebatur leges numerosissimas ac minutissimas, utpote a Deo datas, nunquam humano nutu abrogari aut mutari potuisse, non obstante saeculorum lapsu. Atqui, nisi Moyses certis indicis cognovisset se divinitus afflatum, insipientissime egisset sic procedendo; quia legislatio omnis variabilibus temporum adjunctis accommodari debet. Sed Moysen veluti legislatorem insipientissimum habere non licet.

Prob. 3.<sup>a</sup> pars, de *sanctione.*

Moyses, Dei nomine, praenuntiat prosperitatem temporalem Judaeis, si fideliter observent legem, mala autem temporalia, si praevaricentur. Sed nisi Deum habuerit talis sanctionis sponsorem, imprudentissimus fuit, et ejus imprudentia brevi, ex eventu, coram omnibus debuit esse manifesta.

Ut autem ad particularia descendamus, nonne, seclusa certa Dei inspiratione, ausus fuisset, legem de non serendo et metendo singulis annis sabbaticis sancire, promissione fertilitatis trium annorum pro anno sabbaticum praecedente? item, sancire legem singulis masculis datam ad locum tabernaculi quotannis ter veniendi, promissione praeservationis ab omni hostili incurso, durante hujusmodi peregrinatione?

208. Dico 3°: *Religio mosaica miraculis confirmata est.*

Crebrissima enim facta evidenter miraculosa apud veteres Judaeos patrata sunt, v. g. prodigia in transitu maris Rubri, aut in deserto, aut in ingressu terrae promissae, aut sequentibus saeculis, ac praesertim temporibus Eliae. Quae certo confirmant legem mosaicam: vel enim per ea Moyses suam divinam delegationem comprobavit, vel clare ostendunt gentem hebraicam a Deo specialiter esse electam, vel erant remunerationes pro legis accurata impletione, aut castigationes violatoribus ejusdem inflictas.

209. Dico 4°: *Religio mosaica veris prophetiis illustrata est.*

Etenim, 1° impleta est prophetia qua, in libro Geneseos, XV et XVIII, promittitur Abrahamo, jam aetate propecto, semen sicut stellas coeli multiplicandum, ex quo semine egredientur reges, quod annis quadrin-

gentis peregrinum erit in terra aliena, ubi servituti durae subjicietur, sed quod inde eductum possidebit omnem regionem, a flumine Aegypti usque ad fluvium magnum Euphratem.

2° Impleta est prophetia qua Jacob (Gen. XLIX) morti proximus, Judae, licet inter filios non primogenito, specialem pollicitus est principatum usque ad Messiae adventum.

3° Impleta est prophetia qua Moyses (Num. XIV.) praenuntiavit omnes Israelitas a viginti annis et supra, praeter Caleb et Josue, in deserto morituros; caeteros autem, post annos quadraginta, ingressuros terram Chanaan.

4° Impletae sunt prophetiae, Ahiae de schismate decem tribuum, necnon Oseae et Amos de destruendo regno Israelis.

5° Impletae sunt prophetiae Isaiae, Jeremiae, Danielis et aliorum, circa fata regni Judae, nempe: captivitatem Babylonicam, ejus durationem, Judaeorum restitutionem per Cyrum proprio nomine designatum, urbis ac templi restorationem, ultimamque totius reipublicae israeliticae cladem.

6° Impleta sunt oracula prophetarum circa aliarum gentium fata, scilicet: Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, Graecorum, Romanorum, Idumaeorum, Tyrorum, Aegyptiorum, Moabitarum.... etc. Memoratu autem speciatim digna sunt vaticinia Isaiae de Babylonis subita elevatione et interitu repentino, necnon Danielis, de quatuor magnis imperiis sibi succedentibus.

Illae omnes prophetiae evidenter divinae sunt, et religionem mosaicam demonstrant.

QUAESTIO III<sup>a</sup>

Quae fuerint, juxta *Genesim*, primaevae religionis origo, oeconomia et notae?

210. Resp. ad 1. Liber *Geneseos* aperte supponit primos homines cum Deo conversatos esse, ab eoque didicisse quale servitium illi exhiberent. Quae primaeva revelatio certe necessaria fuit, ratione finis ultimi supernaturalis, ad quem homines destinatos fuisse novimus ex christianae religionis documentis. Sed et valde congrua probatur, etiam ad finem ultimum mere naturalem assequendum. Si enim homo debuisset proprio labore religionem naturalem invenire, ergo, durante inquisitione praefata, non potuisset suam vitam ad finem debitum recte ordinare, quod divinam Providentiam non decet. Quapropter conveniens fuit ut homo, ab initio, acceperit dogmata et praecepta legis naturalis, extra proprium laborem, seu, per extraordinariam Dei communicationem, sive ope cujusdam infusionis, sive revelatione proprie dicta.

De caetero, hanc suppositionem confirmant traditiones religiosae populorum de *aetate quadam aurea*, qua durante, Deus seipsum hominibus manifestavit. Assentiunt veteres philosophi, etiam praestantissimi, uti Plato, Aristoteles, Cicero, Socrates, qui pluries declarant, in materia religionis, illa dogmata esse optima, quae antiquiora, eo quod primi homines Deo essent propinquiores. Insuper, apud omnes populos, quaedam fuerunt dogmata communia, per solam rationem non demonstrabilia; v. g. 1<sup>o</sup> hominem a primo innocentiae statu defecisse, et tamen posse cum Deo

reconciliari, 2<sup>o</sup> utilitas sacrificii ad Deum placandum, in quo sacrificio, aliqua victima innocens, loco rei, juguletur, ut partim igne comburatur, partim mandeducetur a populo, etc. Qua autem ratione fieri potuerit has veritates apud omnes moraliter gentes praevaluisse, nisi quia a primaeva revelatione cunctis communi ortum ducerent?

211. Resp. ad 2. Religionis primaevae oeconomiam reperire est in libro *Geneseos*; quae constat dogmatibus, praeceptis et cultu.

I. *Dogmata religionis primaevae.*

Alia sunt de se naturalia, alia supernaturalia.

1<sup>o</sup> *Dogmata naturalia* ad sequentia revocantur:

- a) Deus unus, Creator, Dominus, Legislator, Providus, Vindex et Remunerator.
- b) Homo ad imaginem Dei conditus, immortalis quoad animam, liber, dominator naturae et animantium, Deoque subjectus.
- c) Matrimonium, tanquam omnis familiae et societatis civilis fundamentum.

2<sup>o</sup> *Dogmata supernaturalia* sunt:

- a) Destinatio hominis ad finem supernaturalem, Deum nempe intuitivum videndum.
- b) Gratia sanctificans collata primis parentibus, cum donis variis ad originalem integritatem pertinentibus.
- c) Totius humani generis ruina per lapsum Adami.
- d) Foedus reconciliationis per futurum Messiam.

II. *Praecepta religionis primaevae.*

Praeter praecepta legis naturalis, datae sunt hominibus leges positivae, videlicet:

a) Prohibitio edendi de fructu arboris scientiae boni et mali; quae prohibitio directa est ad protoparentes.

b) Prohibitio quae ante diluvium, ex probabiliore sententia, viguit, plures simul habendi uxores, simulque lex indissolubilitatis matrimonialis.

c) Prohibitio facta Noe ejusque filiis carnem cum sanguine manducandi.

### III. *Cultus sub religione primaeva.*

Praeter illa quae sola ratio naturalis praescribit circa cultum internum, externum et publicum Deo debitum, tria praecipiebantur :

a) Observatio religiosa sabbati, quae in Genesi innuitur saltem, quando Deus dicitur diei septimo benedixisse. Unde legimus in Decalogo : *Memento ut diem sabbati sanctifices* (Ex. xx, 8); quod verbum *memento* anteriorem sabbati sanctificationem supponit.

b) Ritus sacrificiorum cruentorum ad expianda peccata.

c) Ritus quidam externus ad infantes a peccato originali abluendos, licet de eo mentio non habeatur expressa in Scripturis.

Non aderat autem tunc determinatus ordo ministrorum pro cultu externo, et munus sacerdotale ad patresfamilias, jure quasi naturali, devolvebatur.

212. Resp. ad 3.

1<sup>o</sup> Religio primaeva non caruit notis extrinsecis, ut videre est in Pentateucho. Sunt autem praesertim :

a) Varias theophanias, seu, miraculosas Dei aut Angelorum apparitiones factas tum Adamo, tum patriarchis, et quibus homines in religionis primaevae observatione magis ac magis confirmabantur.

b) Nonnulla facta maxime conspicua, evidenter divina, et cum eadem religione evidentem habentia connexionem, nempe : subita totius naturae, post lapsum, in pejus conversio; poena Caino fratricidae inflata; inundatio orbis per diluvium; stupenda Noe suorumque cum animantibus conservatio; incendium Sodomae aliarumque vicinarum civitatum, etc. Quot autem alia contigerunt in Pentateucho non memorata!

c) Varias prophetias, scilicet : de morte aliisque lugendis effectibus Adae praevaricationem secuturis, — de futuro diluvio, — de aquis diluvii in posterum non reversuris. At multa alia oracula edi potuerunt, de quibus Scriptura silet, et quae tamen subobscurè innuere videtur, dum de Sapientia aeterna haec habet : *per nationes ad animas sanctas se transfert; amicos Dei et prophetas constituit* (Sap. vii, 27).

2<sup>o</sup> Religio primaeva sua etiam propria excellentia, necnon suis effectibus se commendavit.

Nam nihil nisi Deo dignum ac praecipuis hominum tunc degentium necessitatibus accommodatum continet. Quomodo autem homines, tunc in vitae corporalis subsidiis sibi procurandis maxime occupati, religionem ita perfectam, sine Deo revelante, habere potuissent?

Varia insuper dogmata ac praecipua sola ratione non cognoscibilia, et tamen apud varias gentes communiter recepta, subministrabant novum argumentum primaevae revelationis primis parentibus factae.

Quibus adde miram hujusmodi religionis efficaciam ad homines sanctificandos. Dederunt enim nunquam satis miranda heroicae virtutis specimina : Abel,



Henoch, Noe, Abraham, Melchisedech, Isaac, Jacob, Joseph, Job, et multi sane alii quos Deus curavit suscitandos, licet eorum memoria perierit.

3<sup>o</sup> Religionis primaevae divinitatem divinitas legis mosaicae omnibus manifesta comprobavit.

Judaei sane religionis primaevae capita in sua lege fideliter asservabant, eaque asserebant divinitus tradita. Ergo, quidquid caeteris gentibus evidenter designabat populum Judaicum veluti populum Dei selectum, debuit religionem primaevam commendare.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Quomodo, ex praedictis, evincatur omnium librorum veteris Testamenti auctoritas historica?

213. Resp. Loquimur de solis libris qui in catalogo Judaeorum, post solutam captivitatem inserti sunt; ac proinde non movemus quaestionem de libris Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici et duobus Macchabaeorum.

Jam vero praefati libri: 1<sup>o</sup> sunt *authentici*, id est, sunt auctoris cujus nomen prae se ferunt, vel, si nulli certo auctori tribuantur, saltem ad ea tempora referendi sunt quibus scripti dicuntur; 2<sup>o</sup> sunt *integri substantialiter*, seu, nullam subierunt adulterationem in rebus essentialibus, vel gravioris momenti; 3<sup>o</sup> sunt *veraces* quoad facta historica, saltem praecipua, in illis enarrata.

Et haec omnia probantur triplici argumento: 1<sup>o</sup> ex paritate cum Pentateucho, cujus auctoritatem historicam vindicavimus; 2<sup>o</sup> ex superius probata divinitate

mosaicae religionis; 3<sup>o</sup> ex testimonio librorum novi Testamenti.

**Argumentum I<sup>um</sup> ex paritate cum Pentateucho.**

214. Quae enim supra attulimus in favorem Pentateuchi, omnibus libris canonem Judaeorum constituentibus applicantur.

1<sup>o</sup> Invocavimus in favorem Pentateuchi fidem Judaeorum. At pariter Judaei fide unanimi, constanti et publica semper tenuerunt caeteros libros in canone contentos, et esse authenticos, et esse substantialiter integros, et esse veraces quoad facta historica majoris momenti in eis relata; cui traditioni nihil clari et certi unquam increduli opponere potuerunt. Atqui haec Judaeorum traditio universalis, constans et publica de horumce librorum authenticitate non concipitur, si fuerint suppositi; nec de eorum integritate substantiali, si fuerint adulterati substantialiter; nec de eorum veracitate circa facta majoris momenti quae memorant, si haec fuerint bona aut mala fide conficta.

2<sup>o</sup> Invocavimus in favorem Pentateuchi impossibilitatem suppositionis, aut adulterationis substantialis, aut erroris historici, alicujus momenti saltem. Atqui triplex eadem impossibilitas pro caeteris libris militat.

Illi siquidem libri sunt in magno pretio habiti, cum in partem religionis venerint, constituentque regulam agendi communem. Facta quae narrant sunt sensibilia, obvia, publica, magni momenti, ad totius gentis historiam pertinentia, cum nationis integrae statu et fati intime connexa. Insuper, ii libri praepiudiciis ac passionibus Judaeorum non favent ob multa quae con-

tinent ipsis probrosa et onerosa. Illorum exemplaria innumerabilia fuerunt et ubique diffusa, versiones multiplices, nempe : graeca, chaldaica, syriaca, Aquilae, Symmachi, Theodotionis..., necnon citationes quam plurimae in caeteris Sacrae Scripturae libris, operibusque Patrum, quin ulla substantialis variatio deprehendatur in variis hisce exemplaribus atque citationibus. Gens autem judaica summo honore hos libros sacros, sicut et Pentateuchum semper prosecuta est, et mirum in modum fuit sollicita ut servarentur, et legerentur et explicarentur. Scriptorum indoles non spirat nisi simplicitatem, pietatem et eximiam sapientiam. Demum, et res dictae et ordo dicendi et stylus, optime inter se et cum auctorum indole et ingenio, necnon cum temporis et loci circumstantiis consonant.

Atqui, his omnibus positis, non magis pro hujusmodi libris quam pro Pentateucho, possibilis fuit aut suppositio, aut adulteratio substantialis, aut error historicus majoris momenti.

a) *Non suppositio* : secus impostor debuisset librum suppositum ita perfecte conficere, ut omnes haberet authenticitatis notas intrinsecas; et insuper toti nationi persuadere ut in canonem librorum sacrorum susciperet opus, de quo nihil antea cognovisset; quod utrumque impossibile est.

b) *Non adulteratio substantialis*; secus corruptor debuisset similiter adulterare omnia exemplaria jam evulgata, omnes versiones, necnon omnes textuum adulteratorum citationes jam factas; et id quidem facere Judaeis insciis, aut non reclamantibus; et haec plane repugnant.

c) *Nec error historicus majoris momenti*, secus auctores a quibus facta referuntur, aut fuissent decepti, aut voluissent decipere, quod utrumque, et naturae factorum et scriptorum indoli, et universae gentis dispositionibus aperte contradicit.

**Argumentum II<sup>um</sup> ex divinitate mosaicae religionis jam probata.**

215. Libri enim omnes, qui Judaeorum canonem constituunt, erant simul pars religionis mosaicae. Unde eorum auctoritas historica cum religionis ad quam pertinebant divinitate indivulse connectitur. Et revera, eo tendunt, ut hanc religionem confirmet, clarius explicent, ad memoriam revocent, sanctionibus muniant, et Judaeorum animi et mores illa magis ac magis imbuantur.

**Argumentum III<sup>um</sup> ex librorum novi Testamenti testimonio.**

216. Sane, in Evangeliiis supponitur auctoritas historica Pentateuchi, cujus varii libri passim citantur : liber quidem Geneseos, apud Matth. (xxiv, 38, 29), ubi Christus loquitur de diluvio et arca; item (xix, 4) ubi de matrimonio Adami et Evae; liber Exodi apud Marcum (xii, 26) ubi refert verba Dei ad Moysen in ardenti rubo; liber Levitici, apud Matth. (viii, 4), ubi mandat leproso sanato offerre munus a Moyse praescriptum; liber Numerorum, apud Joannem (iii, 14), ubi sermonem habet de serpente aeneo, quem in deserto exaltavit Moyses; liber denique Deuteronomii, apud Matth. (xix, 8), ubi de libello repudii facit mentionem.

Sed insuper, Christus omnes generatim veteris Testamenti libros commendat dicendo : *Scrutamini Scripturas... Illae sunt quae testimonium perhibent de me.* (Joan. v, 39). Item, in historia mali divitis, exhibet Abraham sic loquentem de hujus divitis fratribus : *Habent Moysen et prophetas, audiant illos* (Luc. xvi, 29). Item, in colloquio cum discipulis Emmaus, *incipiens a Moysse et prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de seipso erant* (Luc. xxiv, 27). Item, apparens Apostolis dixit : *Haec sunt verba quae locutus sum ad vos..., quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysis, et prophetis et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas* (Luc. xxiv, 14).

Jam vero, sub nomine Scripturarum, tunc intelligebatur collectio librorum ex quibus conflabatur canon Judaeorum; sub nomine Moysis, designabantur omnes libri Pentateuchi; sub nomine Prophetarum, omnes libri prophetici.

Nonnunquam etiam, occasione data, Christus memorat varia facta quae in veteri Testamento extra Pentateuchum narrantur. Sic, apud Matth. (xii, 39, 42), sermonem habet de Jonae in ventre ceti deglutitione, de ejus praedicatione, de poenitentia Ninivitarum, de regina Sabae venientis ad Salomonem; apud Lucam (iv, 25, 27), de vidua ad quam Elias missus est, de Naaman quem mundavit Eliseus.

Porro haec omnia satis aperte ostendunt Christum existimasse omnes veteris Testamenti libros, qui suo tempore tanquam sacri habebantur, esse monumenta fide dignissima. Illud autem testimonium, ob Christi

sapientiam et sanctitatem, tot et tantis illustratas miraculis, habet certe robur invictum.

QUAESTIO V<sup>a</sup>

Utrum duo Testamenta in eo consentiant, quod adventus Messiae in novo Testamento descriptus, in veteri praenuntiatus fuerit?

217. Resp. Videri potest quod non.

Etenim, verba Scripturae de liberatore futuro, non sunt vaticinia proprie dicta, sed tantum quaedam populi vota, et desideria liberationis, quae ex Judaeorum animis inter pericula et calamitates prodierunt, et formam propheticam induerunt. Ita Rationalistae.

218. Sed contra dico 1<sup>o</sup> : *Temporibus nativitatis Christi viguit, apud Judaeos praesertim, expectatio Messiae.*

Per Messiam hic intelligimus aliquem singularem Dei legatum et prophetam, inter omnes alios longe praestantissimum, et qui mitti debuit ad gentis Judaicae, necnon universalem generis humani instaurationem; qualis fuit certe Christus, ex probatis.

Atqui, hujus Messiae expectationem viguisse, praesertim apud Judaeos, temporibus Christi, constat documentis tum evangelicis, tum profanis.

1<sup>o</sup> Constat *documentis evangelicis.*

Testatur siquidem Evangelium hanc viguisse, et apud insigniores justos, et apud doctores, et apud plebem.

a) *Apud insigniores justos nationis judaicae; ut patet ex cantico Zachariae (Luc. i, 68... 78); — ex Simeone sene qui responsum acceperat a Spiritu*

Sed insuper, Christus omnes generatim veteris Testamenti libros commendat dicendo : *Scrutamini Scripturas... Illae sunt quae testimonium perhibent de me.* (Joan. v, 39). Item, in historia mali divitis, exhibet Abraham sic loquentem de hujus divitis fratribus : *Habent Moysen et prophetas, audiant illos* (Luc. xvi, 29). Item, in colloquio cum discipulis Emmaus, *incipiens a Moysse et prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de seipso erant* (Luc. xxiv, 27). Item, apparens Apostolis dixit : *Haec sunt verba quae locutus sum ad vos..., quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysis, et prophetis et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas* (Luc. xxiv, 14).

Jam vero, sub nomine Scripturarum, tunc intelligebatur collectio librorum ex quibus conflabatur canon Judaeorum; sub nomine Moysis, designabantur omnes libri Pentateuchi; sub nomine Prophetarum, omnes libri prophetici.

Nonnunquam etiam, occasione data, Christus memorat varia facta quae in veteri Testamento extra Pentateuchum narrantur. Sic, apud Matth. (xii, 39, 42), sermonem habet de Jonae in ventre ceti deglutitione, de ejus praedicatione, de poenitentia Ninivitarum, de regina Sabae venientis ad Salomonem; apud Lucam (iv, 25, 27), de vidua ad quam Elias missus est, de Naaman quem mundavit Eliseus.

Porro haec omnia satis aperte ostendunt Christum existimasse omnes veteris Testamenti libros, qui suo tempore tanquam sacri habebantur, esse monumenta fide dignissima. Illud autem testimonium, ob Christi

sapientiam et sanctitatem, tot et tantis illustratas miraculis, habet certe robur invictum.

QUAESTIO V<sup>a</sup>

Utrum duo Testamenta in eo consentiant, quod adventus Messiae in novo Testamento descriptus, in veteri praenuntiatus fuerit?

217. Resp. Videri potest quod non.

Etenim, verba Scripturae de liberatore futuro, non sunt vaticinia proprie dicta, sed tantum quaedam populi vota, et desideria liberationis, quae ex Judaeorum animis inter pericula et calamitates prodierunt, et formam propheticam induerunt. Ita Rationalistae.

218. Sed contra dico 1<sup>o</sup> : *Temporibus nativitatis Christi viguit, apud Judaeos praesertim, expectatio Messiae.*

Per Messiam hic intelligimus aliquem singularem Dei legatum et prophetam, inter omnes alios longe praestantissimum, et qui mitti debuit ad gentis Judaicae, necnon universalem generis humani instaurationem; qualis fuit certe Christus, ex probatis.

Atqui, hujus Messiae expectationem viguisse, praesertim apud Judaeos, temporibus Christi, constat documentis tum evangelicis, tum profanis.

1<sup>o</sup> Constat *documentis evangelicis.*

Testatur siquidem Evangelium hanc viguisse, et apud insigniores justos, et apud doctores, et apud plebem.

a) *Apud insigniores justos nationis judaicae; ut patet ex cantico Zachariae (Luc. i, 68... 78); — ex Simeone sene qui responsum acceperat a Spiritu*

sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini (Luc. II, 26), et qui, in suo cantico, loquitur de Christo tanquam de salutari quod Deus paraverat, ut esset lumen gentium et gloria Israelis (ibid. 30, 31, 32); — ex Anna prophetissa quae (ib. 38) de Christo loquebatur omnibus qui expectabant redemptionem Israel; — ex discipulis Joannis Christum interrogantibus: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* (Matth. XI, 3.).

b) Apud doctiores Judaeos, videlicet: principes sacerdotum et scribas, qui Herodi sciscitanti ubi Christus nasceretur? respondent locum nativitatis ex Michaea indicando (Matth. II, 5); item Phariseos quos Jesus sic interrogat: *quid vobis videtur de Christo? cujus filius est?* (Matth. XXII, 42.)

c) Apud plebem, ut patet: ex legationibus Judaeorum ad Joannem petentium an esset Christus; (Joan. I, 18... 26) — ex conclamatione populi post panes multiplicatos: *quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum* (Joan. VI, 14), et alia occasione: *Christus, cum venerit, numquid plura signa faciet quam hic facit?* (Joan. VII, 31) — et ex Judaeorum responso: *nos audivimus ex lege quia Christus manet in aeternum.* (Ib. XII, 34.) Ergo constat thesis documentis evangelicis.

2º Constat documentis profanis.

Ipsi Talmudistae hanc Judaeorum expectationem testantur. Insuper, factio Herodianorum narratur exinde duxisse originem, quod Herodem uti Messiam haberent, quia tempora Messiae impleta existimabant. Quibus addendum est sic aptissime explicari cur tot pseudomessiae Judaeorum turbas tunc excitaverint;

non enim haec tentassent et obtinuissent, nisi altas in concivium mentibus radices egisset praefata expectatio. Demum, certum est primos Evangelii praedicatores hanc ideam messianam invocasse, et non sine fructu.

Dixi: praesertim apud Judaeos. Externas enim gentes haec eadem expectatio invaserat. Invaserat certe Samaritanos, uti liquet verbo mulieris Samaritanae ad Christum: *Scio quia Messias venit* (Joan. IV, 25), et ad incolas Sichar de Christo: *numquid ipse est Christus?* (ib. 29.). Quoad caeteros populos, habemus testimonium Suetonii (De Vespasiano. 4), Taciti (Hist. lib. 5, c. 13), Virgilii in quarta ecloga, et Ciceronis (Lib. 2, de Divinatione). Academia Calcutensis refert quod initio aerae vulgaris, apud Indos, obtinuerit traditio de Messia venturo. Notum est etiam imperii Sinensis ducem Min-Ti, circa annum 65 aerae christianae, ad Occidentem misisse legatos qui quaererent Sanctum.

219. Dico 2º: *Expectatio illa Messiae ortum habuit ex vaticiniis veteris Testamenti.*

Prob. 1º *constanti gentis Judaicae testimonio.*

Judaei enim nullam aliam suae expectationis originem unquam allegaverunt. Unde ad Herodis quaesitum ubi Christus nasceretur, sacerdotes et scribae citant verba Michaeae; et Zacharias, in suo cantico, laudans Deum de adventu Messiae, ait: *Sicut locutus est per os sanctorum qui a saeculo sunt prophetarum ejus.* (Luc I, 70). Imo in Talmude, tract. Sanhedrin, cap. Chelek, diserte legitur: *Omnes prophetae non vaticinati sunt, nisi de « diebus Messiae », et Maimonides, interpretans tredecim fidei articulos, sic super 2ºº*

loquitur : « Mendacem facit totam Scripturam qui  
« negat articulum de adventu Messiae. »

Denique, Apostoli aliique Evangelii praedicatores  
confidenter, adversus Judaeos, attulerunt veteris Testa-  
menti oracula, contententes ea in Christo impleta  
esse, neque Judaei aliquando responderunt hujusmodi  
vaticinia non dari.

Prob. 2<sup>o</sup> *conspeditione librorum veteris Testa-  
menti.*

Illos enim ubique futurum Messiam personare luce  
clarius est. Sic, post Adae lapsum sermo fit de semine  
mulieris caput serpentis contrituro ; dein, de semine  
Abrahamae, et Isaac, in quo omnes gentes sunt benedi-  
cendae ; dein a Jacob memoratur ille qui mittendus  
est, et erit expectatio gentium ; dein, annuntiat  
Moyses Prophetam singulariter sibi similem, sane in  
nova lege promulganda. In sexcentis autem aliis locis,  
promittitur et describitur foedus novum sub aliquo  
duce magnificentissimis titulis decorato, etc.

Prob. 3<sup>o</sup> *ipsamet expectatione Messiae.*

Spes enim tanti beneficii a sola liberrima Dei gratia  
pendentis, tam late diffundi haud potuisset, nec ita  
radicari, nec tamdiu conservari, nisi divino promisso  
maxime claro et noto niteretur. At illud promissum  
non videtur aliud esse posse nisi quod in veteri legitur  
Testamento.

Sic igitur respondendum ad id quod objicitur n. 217.

220. Explicatio Rationalistarum est omnino insuffi-  
ciens. Nam 1<sup>o</sup> nonnulla oracula circa Messiam prae-  
cesserunt Judaeorum tribulationes ; 2<sup>o</sup> plura eorum  
annuntiant futuram Messiae passionem, populi rejec-  
tionem, urbis templique eversionem, quae certe non

erant in votis Judaeorum ; 3<sup>o</sup> cureadem non reperian-  
tur apud caeteras gentes multoties etiam calamitatibus  
oppressas ? 4<sup>o</sup> cur Judaei, tantopere a pluribus saecu-  
lis afflicti, hujusmodi vaticiniis nunc careant ? 5<sup>o</sup> de-  
mum, quo fortuito casu praelaudata oracula in Christo  
adamussim impleta sint ?

QUAESTIO VI<sup>a</sup>

Utrum duo Testamenta consentiant ratione temporis  
quo Christus advenit ?

(Vide Huet : *Demonst. Evang.*, Migne t. v. — Hooke :  
*Tract. de relig.*, Migne curs. th. t. 3. — Legrand :  
*De Incarn.*, Migne curs. th. t. 9. — Wallon : *Vie  
de N.-S. J.-C.*, p. 410. — *Science catholique*,  
juillet 1891, p. 759.)

221. Dico 1<sup>o</sup> : *Tempus quo Christus advenit prae-  
nuntiatum est in oraculo Jacobaeo.*

Jacob jamjam moriturus sic Judam alloquitur :  
*Juda, te laudabunt fratres tui.... Non auferetur  
sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec  
veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio  
gentium* (Gen. XLIX, 8, 9, 10). Illud oraculum esse  
messianum eruitur ex antiquissima Judaeorum tradi-  
tione, et ex recentioribus necnon vetustioribus rabbi-  
nis. Constat etiam ex ipso textu : nam revera Messias  
seu Christus est per antonomasiam ille *qui mittendus  
est*, et fuit objectum expectationis gentium.

Atqui praefatum oraculum in Christo impletum est.  
Per *sceptrum* ibi communiter intelligitur auctoritas  
tribus constitutiva, qua Judaei tribus efformare debuit

communitatem ab aliis separatam, habentem proprios usus propriosque principes. Jam vero, dum aliae tribus, tempore captivitatis, permixtae fuerint, sola tribus Juda servavit suam autonomiam usque ad Christi tempora. Cui autonomiae grave vulnus inflictum est, quando Judaeorum regnum translatum est in Herodem Ascalonitem alienigenam; erat siquidem Herodes genere Idumaeus; penitus vero interiiit auctoritas tribus constitutiva, in ultima reipublicae clade sub Tito, ut omnes norunt.

**222. Dico 2<sup>o</sup>:** *Tempus adventus Christi praenuntiatum est apud Danielelem.*

In oraculo enim Danielis (IX, 24... 27), agitur de Messia, siquidem ille cujus praedicitur adventus vocatur Christus, Dux, Sanctus sanctorum. Insuper, post illius adventum, consummabitur praevericatio, finem accipiet peccatum, delebitur iniquitas, adducetur justitia sempiterna, implebitur visio et prophetia, novum cum multis pactum confirmabitur, deficiet hostia et sacrificium Judaeorum. Denique, propter praedicti ducis negationem et occisionem, poenas luet gens Judaica multo majores iis omnibus quas solverunt interfectores Prophetarum; nam, non tantum civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, sed finis ejus erit vastitas, et post finem belli statuta desolatio, et in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem desolatio perseverabit. Atqui haec omnia non nisi Messiae, seu Christo, conveniunt. Ergo oraculum illud est certo messianum.

Jam vero tempus quod in illo assignatur optime concordat cum tempore in quo Christus apparuit.

Etenim, 1<sup>o</sup> Judaicae gentis reprobatio, eversio civitatis et templi, praecise locum habuerunt paulo post Christi occisionem uti dicitur in Daniele.

2<sup>o</sup> Praeterea, juxta idem oraculum: *Ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt... et in dimidio hebdomadis deficiet hostia*, scilicet per sacrificium Crucis. (Dan. ix, 25. 27.) Certe ibi agitur non de hebdomadibus dierum, quia tantillum tempus omnibus annuntiatibus haud poterat sufficere, sed de hebdomadibus annorum, quarum mentio fit in Levit. xxx. 8. Ergo, ab edicto ut iterum aedificetur Jerusalem usque ad Christi occisionem, effluere debuerunt hebdomades annorum sexaginta novem cum dimidio hebdomadis, id est anni 487.

At quodnam sit edictum illud a quo numerantur anni? Non est edictum Cyri, nec edictum Darii, quae duo edicta non urbis, sed templi solius instaurationem respiciunt. Praeter haec autem, non remanent nisi duo edicta Artaxercis Longimani, unum editum septimo sui regni anno, aliud vigesimo. Inter auctores non constat utrum Daniel loquatur de primo an de secundo, sicut nec de anno quo Artaxerces regnare coepit.

Qui asserunt sermonem esse de edicto primo, supponunt, cum multis historicis, Artaxerces regnare coepisse anno ante Christum 464. Ergo, anno 458, qui est regni septimus, editum est decretum. At, juxta opinionem apud peritos receptam, Christus quatuor annis ante aeram vulgarem natus est; mortuus est igitur anno 29, quibus viginti novem annis si addantur anni 458, habentur praecise 487.

Qui contendunt sermonem esse de secundo edicto quod vigesimo Artaxercis regnantis anno datum est, supponunt cum nonnullis historicis, hunc regem associatum esse patri suo Xerxes, anno 473. Vigessimus itaque annus erit 454; quibus annis, si addantur 33 anni aerae vulgaris, habemus annos 487 a Daniele praefixos.

223. Dico 3<sup>o</sup> : *Tempus adventus Christi praenuntiatum est apud Prophetas Aggaeum et Malachiam.*

Deus Judaeos moerentes ex comparatione posterioris templi cum priore, sic per Aggaeum consolatur : *Adhuc unum modicum, et ego commovebo coelum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum, et in loco isto dabo pacem.* (Agg. II, 7... 10.)

Postea, Malachias, ut Judaeos ad templi sanctificationem hortaretur, Deum sic loquentem inducit : *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quaeritis, et angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* (Malach. III, 1.)

Certe haec duo oracula sunt messiana. Nam, 1<sup>o</sup> ille qui dicitur venturus, vocatur Desideratus cunctis gentibus, Dominator quem Judaei quaerunt, Angelus testamenti quem volunt, imo Dominus templi ipsius, et haec omnia soli Messiae competunt; 2<sup>o</sup> ad illius adventum coeli movendi sunt et terra, et mare, et omnes gentes,

majoremque habebit, propter eum, gloriam novum templum quam prius, licet templum Salomonis magnificentia auri et argenti multum antecelluerit; iterum hi eximii characteres Messiam evidenter designant.

Atqui eadem oracula in Christo impleta fuerunt. Prophetant enim Messiam venturum esse stante adhuc templo Zorobabelico, illudque praesentia sua illustraturum. At Christus ipse revera visitavit templum Zorobabelicum, quod paulo post eversum est. Ergo.

#### QUAESTIO VII<sup>a</sup>

Utrum duo Testamenta consentiant ratione eorum quae de Christo praenuntiata fuerunt?

224. Dico 1<sup>o</sup> : *Nonnullae Christi adventus circumstantiae, in oraculis propheticis, accurate describuntur.*

1<sup>o</sup> Jam vidimus nuntiatum fuisse quod Christus ex familia Abrahae, per Isaac et Judam descenderet. Idem dic de ejus nativitate ex domo et familia David. Sic Isaias (XI, 1.) : *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet... Qui stat in signum populorum; ipsum gentes deprecabuntur.* Sic Jeremias (XXIII, 5, 6.) : *Suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit; et faciet judicium et justitiam in terra; ... et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.*

2<sup>o</sup> Christus conceptus est de virgine. At legimus apud Isaiam (VII, 14) : *Dabit Dominus ipse vobis signum : ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ille conceptus, nisi foret virgineus, immerito daretur in signum;



nullus autem, praeter Christum, dictus est a virgine conceptus.

3<sup>o</sup> Christus natus est in Bethlehem Judae. Atqui id praedixit Michaeas (v, 2) : *Et tu, Bethlehem Ephrata... ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis... et magnificabitur usque ad extremos terrae.*

4<sup>o</sup> Publicum Christi ministerium praevenit Joannes Baptista, ut ipsi viam pararet. Porro, Isaias verbis magnificis loquens de futura per Messiam salute, pergit (xl, 3) : *Vox clamantis in deserto : parate vias Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri; et Malachias (iii, 1) : Ecce ego mitto angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam.*

5<sup>o</sup> Apparitio Christi non fuit terrificata, nec cum apparatu majestatis, sed in paupertate et humilitate; et veniens in Jerusalem, die Palmarum, sedit super asinam et pullum asinae. Jam vero, sic legimus apud Zachariam (ix, 9) : *Exulta satts, filia Sion; jubila. Jerusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi justus et salvator; ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae.*

225. Dico 2<sup>o</sup> : *Varia Christi munera ea sunt quae ab oraculis Judaicis Messiae tribuuntur.*

1<sup>o</sup> Christus fuit legislator. Atqui Deus ad Moysen dixit : *Prophetam suscitabo eis similem tui* (Deut. xviii, 18), id est, prophetam qui erit singulariter Moysi similis. Moyses autem id habuit inter omnes alios prophetas singulare, quod novam legem promulgavit. Ergo novus ille propheta venturus dabit et ipse legem novam.

2<sup>o</sup> Christus fuit praeco et doctor. Porro Psalmista Messiam sic loquentem exhibet : *Ego autem constitutus sum... ab eo... praedicans praeceptum ejus* (Ps. ii, 6); et apud Isaiam Deus dicit : *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus* (Is. lv, 4).

3<sup>o</sup> Christus fuit thaumaturgus. Id autem annuntiat Isaias, dicendo : *Deus ipse veniet et salcabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum* (Is. xxxv, 4, 5, 6).

4<sup>o</sup> Christus fuit sacerdos, offerens sacrificium in pane et vino, ad instar Melchisedech, instituens sacrificium in omni loco offerendum, et assumens sacerdotes, etiam ex gentibus. Atqui, ex Psalmo (cix, 4), sic Deus ad Messiam : *Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech*; apud Malach. (i, 10) promittitur novae oblationis veteri substitutio, sic : *Munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda; et apud Isaiam, sic de gentibus Dominus (lxiv, 21) : et assumam ex eis sacerdotes et levitas.*

226. Dico 3<sup>o</sup> : *Passio Christi prophetata est in veteri Testamento.*

Legantur psalmi 21<sup>us</sup>, et 68<sup>us</sup>, et caput Isaiae 53<sup>um</sup>; crederes illos Prophetas non rem futuram praedicere, sed, tanquam dominicae passionis testes oculatos, factum praeteritum enarrare.

Psalmus xxi, 7, minutatim describit Christi opprobria : *Ego autem sum vermis et non homo, oppro-*

*brium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis et moverunt caput: speravit in Domino, eripiat eum; item crucifixionem (ibid. 16): Foderunt manus meas et pedes meos; item, divisionem vestimentorum et sortem missam super tunicam (ibid. 18): Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Eadem fere reperire est in psalmo LXVIII, qui insuper addit (v. 22): Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.*

Isaias, cap. LIII, exhibet Messiam tanquam despectum et novissimum virorum, virum dolorum, qui vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum, qui vulneratus est propter iniquitates nostras..., cujus livore sanati sumus; in quo posuit Deus iniquitatem omnium nostrum..., qui non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem... et quasi agnus coram tondente se obmutescet..., et pro transgressoribus rogavit.

Multa autem alia similia leguntur apud caeteros Prophetas, quae brevitalis causa praetermittimus. Sufficiat citare Zachariam (xi, 12): Deus ipse, ibidem, pastoris personam gerens, conqueritur quod a populo suo triginta argenteis appetiatus fuerit, jubetque tale pretium in domum Dei projici ad statuarium, hebraice figulum: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis. Et dixit Dominus ad me: projice illud ad statuarium, decorum pretium quo appetiatus sum ab eis; et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Domini ad statuarium.* Quomodo luculentius, quamvis symbolice, describi potuit pactum

Judae Iscariotis cum Judaeis de Christo pro triginta argenteis tradendo, et pretii ab eo accepti projectionem in templo, ex quo pretio emptus est ager figuli?

227. Dico 4<sup>o</sup>: *Fata Christi gloriosa in veteri Testamento pariter annuntiantur.*

1<sup>o</sup> De Christi resurrectione sic Ps. xv, 9, 10, ubi David in persona Messiae dicit: *Caro mea requiescet in spe; quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitae; sic etiam Isaias xi, 10: erit sepulcrum ejus gloriosum.*

2<sup>o</sup> Ingens Christi triumphus, ex ipsius passione procedens, annuntiat per Isaiam his verbis: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaezum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit; ideo disperiam ei plurimos, et fortium dividet spolia.* (Is. LIII, 10, 11, 12.)

3<sup>o</sup> Gentes ad Deum per Messiam convertendas multis in locis declaratur. Satis sit appellare Isaiam (ii, 2): *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi et dicent: venite, et ascendamus ad montem Domini, et montem Dei Jacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.*

4<sup>o</sup> Regnum denique Christi ubique terrarum dila-

tandum esse, et nunquam destruendum et corrumpendum, saepius legimus in veteri Testamento, ut infra ostendemus in tractatu *de Ecclesia*.

QUAESTIO VIII<sup>a</sup>

Utrum dentur in veteri Testamento prophetiae typicae Christum ejusque Religionem praefigurantes?

228. Dico 1<sup>o</sup>: *Insigniores veteris Testamenti personae Christum praefigurabant.*

I. *Adamus* immediate a Deo, quoad spiritum vitalem, et a terra virginea secundum corpus, sexto creationis die, factus est principium vitae pro cunctis hominibus, quos per Evam, a latere ipsius dormientis eductam, generavit. Christus a Deo, quoad divinitatem, a Matre Virgine, quoad humanitatem procedens, sexta hebdomadis die, factus est nobis spiritualis vitae principium per Ecclesiam sponsam, e latere ipsius in cruce dormientis quasi eductam.

II. *Abel* pastor ovium, sacerdos et virgo, a fratre invido in rure occisus est, et Cain ejus interfector maledictus undique vagabatur, signum indelebile ferens, ne ab aliis interficeretur. Christus pastor, sacerdos et impollutus, extra Jerusalem a fratribus invidis occiditur; gens autem deicida ubique vagatur maledicto subjacens.

III. *Noe* justus in mundo praevaricatore arcam ligneam construxit, qua generis humani conservationi et renovationi provideret. Christus per lignum Crucis redemit nos, et Ecclesiam suam instituit quasi arcam extra quam nulla salus.

IV. *Melchisedech* rex et sacerdos, cujus nec pater

nec mater nominantur, et non circumcisis, sacrificia pro omnibus populis offerens, protulit panem et vinum, Abrahae benedixit, ab eo decimas accepit. Christus rex et sacerdos, absque matre ut Deus, absque patre ut homo, abolevit circumcisionem, sacrificium sub panis et vini speciebus pro cunctis populis instituit, et cum eo sacerdotium sacerdotio Aaronico longe praestantius.

V. *Abraham* ex Sara uxore libera genuit Isaac filium promissionis; ex Agar ancilla, genuit Ismael qui, natu major, fratrem persecutus est, donec ancilla ejiceretur. Illae duae uxores sunt duo Testamenta. Vetus Testamentum, quod figurabat Agar, erat lex servitutis; novum, quod figuravit Sara, est lex amoris et libertatis. Judaei per Ismael adumbrati, Christianos, quorum imaginem Isaac referebat, persecuti sunt, sed Synagoga repudiata est.

VI. *Isaac* filius unigenitus matris sterilis, ductus est in montem immolandum et lignum sacrificii ferens. Christus filius unigenitus Matris Virginis, in montem Calvariae bajulavit crucem, pro nobis immolandum.

VII. *Joseph* a patre Jacob prae aliis filiis dilectus, fratrum suorum invidia et crudeli consilio venditur, ejusque tunica sanguine tingitur. In carcere inclusus uni concaptivo liberationem, alteri supplicium annuntiat. Post tres annos a Pharaone eductus, supra totum regnum constituitur, fitque tum familiae suae, tum aliarum etiam gentium nutritius, unde vocatur salvator mundi. Quam recte haec omnia Christi historiae quadrent, omnibus est perspicuum.

VIII. *Moses* vix natus, a caede infantium praeservatus, fit postea ductor, liberator et legislator populi

Israelitici, quem per maris undas servituti eripit, et pro quo praevaricante intercedit. Quadraginta diebus jejunat, ex monte descendit radiante facie; manna de coelo, aquas de rupe suis subministrat; sibi eligit senatum ex septuaginta senibus; duodecim viros ad terram promissionis explorandam mittit, et ante mortem Josue sibi successorem designat. Christus, a caede infantium Bethlehemorum eripitur, fit omnium Redemptor ac Legislator; nos per aquam baptismatis lavat, et liberat a captivitate diabolica; pro nobis intercedit; quadraginta diebus et noctibus jejunat; in monte Thabor transfiguratur; septuaginta duos discipulos in sui ministerii consortium vocat, eligit duodecim Apostolos, et omnibus Christianis Petrum Vicarium suum praeficit.

IX. *David* Bethlehem natus, primo vitam humilem agens, Dei jussu ungitur in regem; a jugo Philistinorum, occiso Goliath, Israelem solvit; sed antequam plene regno potiatur, multas experitur persecutiones, et, semel regnans, suos adversum se videt rebellantes. Christus Bethlehem natus, pueritiam humilem ducit; sed a Deo in regem unctus, prostrato diabolo, nos ab ejus eximit servitute; regnum autem patiendo et moriendo obtinet, et multos adhuc filios rebelles quasi sustinere cogitur.

X. *Salomon*, cujus nomen idem est ac PAX, splendidum Deo templum erexit; illumque regina Austri invisura de longinquo properavit. Christus, rex pacificus, Ecclesiam aedificavit, in quam gentes undique confluentes ingredi festinant.

229. Dico 2<sup>o</sup>: *Praecipuae res veteris Testamenti novum praefigurabant.*

I. *Agnus paschalis* eodem anni tempore et eodem terrarum loco immolari debuit, quibus Christus immolatus est. Agnus paschalis erat sine macula, ejus sanguine postes aspergebantur, in memoriam liberationis ab Angelo exterminatore; ejus ossa non frangebantur, et caro cum pane azymo edebatur. Christus, Dei Agnus, impollutus, mactatus est pro nobis, ejusque ossa in cruce milites non fregerunt; cujus sanguine ab aeterna morte liberamur, et carnem cum conscientia munda comedere debemus.

II. *Columna ignea, manna, aquae e rupe defluentes, serpens aeneus* praefigurabant Christum. Christus enim est dux noster in hujus vitae deserto, et in sacramento altaris est panis vitae omne delectamentum in se habens; ex illius corde scaturiunt gratiarum fontes; demum, sicut Judaeis, quos ignei serpentes lethifero morsu sauciaverunt, erectus fuit serpens aeneus aliis specie similis, carens tamen veneno, ut ejus aspectu omnes vulnerati sanarentur; ita et Christus, hominibus a serpente infernali sauciatis praesto adest, carne peccati indutus, factus pro ipsis in cruce maledictum, ut eum viva fide contemplantes non pereant.

III. *Quaecumque ad cultum mosaicum pertinent, sive tabernaculum, sive sacerdotium, sive varia sacrificia, orant Ecclesiae et Christi sacrificii figurae.* Quas figuras explanare longius foret, sed in Epistola B. Pauli ad Hebraeos, necnon apud Patres et doctores obviae sunt.

230. Dico 3<sup>o</sup>: *Praecipui eventus veteris Testamenti novum praefigurant.*

I. Jacob duodecim habuit filios, totidem populi

Judaici principes. Populus ille, post duram captivitatem, in manu forti liberatur; per quadraginta annos in deserto, Deo duce, peregrinatur, et miraculose enutritur, variisque probatur tribulationibus, donec ad terram promissam perveniat. Ecclesia catholica, cujus principes sunt duodecim Apostoli, per Christum a servitute Satanae potenter erepta, in hoc praesentis vitae deserto, multis saeculis exilium agit, divinitus directa et enutrita et variis exagitata tribulationibus, ad coelum indesinenter tendit.

II. Hebraei, Palaestinam ingressi, gentes inimicas profligunt, sed non penitus exterminant, et nunquam plane quiescunt; templum Deo in toto orbe celebratissimum erigunt; decem tribuum schismate desolantur; apud eos tamen regnum Judae perseverat, quod, multis quidem flagellis castigatum, servatur usque ad Messiae adventum. Quae optime repraesentant Ecclesiae fata. Haec enim, quamvis super Petram indefectibilem aedificata, remanet semper militans, apud se retinet verum Dei cultum et ipsummet Christum in templis praesentem. At videt proprios filios ab ejus unitate infeliciter avulsos, et irreparabili ruinae destinatos; ipsa vero incolumis perseverat, et inter angustias ultimum Christi adventum fidenter expectat.

QUAESTIO IX<sup>a</sup>

Quid ex mirabili illa utriusque Testamenti consensione concludendum sit?

231. Resp. 1<sup>o</sup> Adimpletio prophetiarum et figurarum veteris Testamenti in Christo Jesu probat evidenter Eum esse vere Messiam a Deo promissum, ac proinde

religionem quam instituit esse divinam; illa siquidem impletio nec casui fortuito, nec humanae, nec diabolicae industriae tribui potest.

232. Resp. 2<sup>o</sup> Ex eadem impletione sequitur etiam religionem mosaicam, imo et religionem primaevam, de qua in Genesi, fuisse divinitus revelatas. Etenim nulla causa naturalis explicare sufficienter potest quomodo, tot saeculis ante eventum, res tam mirabiles, tam multiplices, cum suis etiam minutissimis circumstantiis prophetatae ac praefiguratae sint. Ergo hujusmodi prophetiae ac figurae, divinitus mundo datae et ordinatae fuerunt. Sed tota religio mosaica in hisce prophetiis et figuris pene constituitur; pluresque earum ad religionem primaevam pertinent. Ergo utriusque Testamenti mira consensio religionis tum christianae, tum mosaicae, tum primaevae divinitatem probat.

233. Resp. 3<sup>o</sup> Ulterius concludendum est Christum esse totius universi centrum et caput, a quo omnia proficiscuntur, ad quem omnia redeunt; et sic elucet mirabilis divinae Providentiae in creaturis gubernandis consiliorum unitas, sublimitas et sapientia.

DISSERTATIO QUINTA

DE FALSITATE RELIGIONUM POSITIVARUM QUAE CHRISTIANAE ADVERSANTUR.

234. Ex probata aliarum religionum positivarum falsitate, veritas christianae religionis legitime concluditur; secus enim nulla esset in mundo vera religio

Judaici principes. Populus ille, post duram captivitatem, in manu forti liberatur; per quadraginta annos in deserto, Deo duce, peregrinatur, et miraculose enutritur, variisque probatur tribulationibus, donec ad terram promissam perveniat. Ecclesia catholica, cujus principes sunt duodecim Apostoli, per Christum a servitute Satanae potenter erepta, in hoc praesentis vitae deserto, multis saeculis exilium agit, divinitus directa et enutrita et variis exagitata tribulationibus, ad coelum indesinenter tendit.

II. Hebraei, Palaestinam ingressi, gentes inimicas profligunt, sed non penitus exterminant, et nunquam plane quiescunt; templum Deo in toto orbe celebratissimum erigunt; decem tribuum schismate desolantur; apud eos tamen regnum Judae perseverat, quod, multis quidem flagellis castigatum, servatur usque ad Messiae adventum. Quae optime repraesentant Ecclesiae fata. Haec enim, quamvis super Petram indefectibilem aedificata, remanet semper militans, apud se retinet verum Dei cultum et ipsummet Christum in templis praesentem. At videt proprios filios ab ejus unitate infeliciter avulsos, et irreparabili ruinae destinatos; ipsa vero incolumis perseverat, et inter angustias ultimum Christi adventum fidenter expectat.

QUAESTIO IX<sup>a</sup>

Quid ex mirabili illa utriusque Testamenti consensione concludendum sit?

231. Resp. 1<sup>o</sup> Adimpletio prophetiarum et figurarum veteris Testamenti in Christo Jesu probat evidenter Eum esse vere Messiam a Deo promissum, ac proinde

religionem quam instituit esse divinam; illa siquidem impletio nec casui fortuito, nec humanae, nec diabolicae industriae tribui potest.

232. Resp. 2<sup>o</sup> Ex eadem impletione sequitur etiam religionem mosaicam, imo et religionem primaevam, de qua in Genesi, fuisse divinitus revelatas. Etenim nulla causa naturalis explicare sufficienter potest quomodo, tot saeculis ante eventum, res tam mirabiles, tam multiplices, cum suis etiam minutissimis circumstantiis prophetatae ac praefiguratae sint. Ergo hujusmodi prophetiae ac figurae, divinitus mundo datae et ordinatae fuerunt. Sed tota religio mosaica in hisce prophetiis et figuris pene constituitur; pluresque earum ad religionem primaevam pertinent. Ergo utriusque Testamenti mira consensio religionis tum christianae, tum mosaicae, tum primaevae divinitatem probat.

233. Resp. 3<sup>o</sup> Ulterius concludendum est Christum esse totius universi centrum et caput, a quo omnia proficiscuntur, ad quem omnia redeunt; et sic elucet mirabilis divinae Providentiae in creaturis gubernandis consiliorum unitas, sublimitas et sapientia.

DISSERTATIO QUINTA

DE FALSITATE RELIGIONUM POSITIVARUM QUAE CHRISTIANAE ADVERSANTUR.

234. Ex probata aliarum religionum positivarum falsitate, veritas christianae religionis legitime concluditur; secus enim nulla esset in mundo vera religio

revelata. Atqui id repugnat. Nam, ex supra dictis n. 59, in praesenti generis humani conditione, homo revelatione destitutus versaretur in impossibilitate, non absoluta quidem, sed morali, habendi hanc religionis naturalis notitiam quae ad rectam vitae institutionem requiritur. Quinimo, ut vidimus n. 56, dantur nonnullae veritates, quarum certa cognitio extra revelationem prorsus impossibilis est, et tamen est necessaria moraliter ad vitam rite in ordine etiam naturali instituendam. Unde homo sine revelatione privaretur auxilio moraliter necessario ad finem suum ultimum attingendum; quod divinam Providentiam laedit. Ergo datur in mundo aliqua vera religio interpositivas. Ergo, si omnes praeter christianam probentur falsae, jure concluditur hanc esse solam veram.

Inter has religiones positivas, jam supra computavimus, tanquam praecipuas, Judaismum hodiernum, Mahumetismum, Brahmanismum et Buddhismum. De illis quid sentiendum sit, dicemus in quatuor quaestionibus.

QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quid sentiendum sit de Judaismo hodierno?

235. Resp. : *Judaismus hodiernus jam non est religio quam amplecti et observare licet.* (Vide Knoll. *Theol. gen.* § 162.)

I<sup>a</sup> probatio : Judaei hodierni Jesum Christum, seu Messiam, non agnoscunt, atque plenam revelationis lucem ab eo allatam spernunt. Atqui in hoc certo falluntur, quod jam demonstratum est. Immo legem suam Judaei gravissime violant, siquidem lex mosaica Christi

adventum praenuntiavit, et jussit ut illi omnes Israelitae obedirent.

236. II<sup>a</sup> probatio : Judaei hodierni docent Legem mosaicam, secundum omnes suas ordinationes, actu obligare, et ad usque mundi finem esse perduraturam. Atqui in hoc etiam certo errant, propter duo :

1<sup>o</sup> *Lex mosaica, qua talis, id est : quoad partem ritualem et judicalem, fuit abroganda.*

Constat 1<sup>o</sup> *ex novo foedere ineundo.* Sic enim Deus loquitur per Jeremiam (xxxii, 31, 32) : *Ecce dies veniunt.... et seriam domui Israel et domui Juda foedus novum : non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum.* Porro lex mosaica, quoad partem ritualem et judicalem, erat prioris pacti, seu foederis expressio.

Constat 2<sup>o</sup> *ex gentium futura vocatione.* Hanc gentium conversionem et cum Judaeis in unum populum coadunationem, saepe celebrant prophetae, et speciatim Isaias XLIX. Sed, hac posita conversione et coadunatione, jam lex mosaica evadit inutilis et impossibilis : inutilis, cum ejus scopus esset Judaeos ab aliis populis sejungere ; impossibilis, siquidem praecipuae solemnitates et varia sacrificia Jerosolymis solum haberi poterant ; et quia insuper lex illa, variis suis purificationibus et escarum prohibitionibus, regioni Palaestinae erat exclusive commensurata.

Constat 3<sup>o</sup> *ex novi sacerdotii institutione.* Juxta superius dicta n. 225, Malachias praedixit, loco veteris sacrificii, novum esse ubique terrarum offerendum ; et Isaias, sacerdotes non ex sola familia Aaron, sed ex omnibus gentibus assumendos. Tandem Daniel an-

nuntiat templi irreparabilem ruinam, extra quod sacrificia judaica offerri non poterant.

2<sup>o</sup> *Lex mosaica, qua talis, jam diu est abrogata.*

Nam 1<sup>o</sup> ex probata religionis christianae divinitate, sequitur jam initum fuisse foedus novum, gentes ad fidem et legitimum Dei cultum esse conversas, et institutum esse novum sacrificium, novumque sacerdotium.

2<sup>o</sup> Idem concluditur ex praesenti Judaeorum statu. Jam enim a multis seculis, nec Deus pactum initum servat, protegendo ac salvando temporaliter populum suum, quamvis ab idololatria alienum, et legi suae non minus ac ante Christi tempora addictum; Judaei vero pactum illud amplius servare nequeunt, ob dirutam Jerusalem, incensum templum, et sublatam tribuum distinctionem.

Quinimo, tam completa, diuturna et irreparabilis desolatio explicari non potest, nisi supponatur Christum esse Messiam, quem occidentes Judaei, majoris sceleris rei facti sunt, ac praecedentium prophetarum interfectores.

Unde quando, in nonnullis veteris Testamenti locis, lex mosaica dicitur in aeternum posita, sensus est: vel neminem potuisse hanc privata sua autoritate abolere; vel illam fuisse remansuram quamdiu duraret respublica judaica; vel per legem Messiae potius fore implendam et perficiendam, quam proprie et absolute de medio tollendam.

237. III<sup>a</sup> probatio: Judaei hodierni ipsam revelationem mosaicam multis modis corrumpunt. Praetermissis illis, quae jam notavimus, de variis eorum opinio-

nibus, circa Messiae futuri tempus et characteres, quaedam tantum suggillare sufficiat ex Thalmudistis deprompta. Dicunt, nempe, Deum quotidie tres horas legi Thalmudicae discendae impendere, et totidem horis cum pisce Leviathan ludere; quotidie ob excidium Hierosolymae et templi lacrymari; venturo Messiae monstruosum parare convivium; dicunt etiam verum Israelitam in altero mundo ultra duodecim menses non esse puniendum. Insuper in eodem Thalmude, multo magis externarum caeremoniarum observatio quam internae virtutes inculcatur; multa in Jesum Christum ejusque fideles personant maledicta, et asseritur omnia licere erga Gentiles, seu non Judaeos. Atqui hi sunt certe errores valde absurdi, fini hominis ac spiritui religioso valde oppositi.

238. IV<sup>a</sup> probatio: Hodiernus Judaismus externis revelationis notis penitus caret. Cum enim ante Christum, quovis fere tempore, viros habuerit divina missione instructos, quam miraculis et prophetiis probabant, post Christum nihil tale in sui favorem proferre potest.

Mira sane videri debet Judaeorum inter gentes conservatio. Sed haec est divinae Providentiae in gratiam Christianismi prodigium. Judaei enim (Knoll: *Theol. gen.* § 164) librorum Veteris Testamenti codices in manibus tenent, et magna solertia conservant: ita ut prophetiarum veterum corruptio impossibilis facta sit Christianis, qui eas propterea confidenter invocare queunt; idcirco Judaei Christianorum librarii merito appellati sunt. Hinc S. Aug. (Enarr. in Ps. LVI): « Propterea adhuc Judaei sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Proferimus codices ab



« inimicis, ut confundamus alios inimicos paganos. »  
Imo, ut jam observatum est, Judaei, post templi et  
urbis destructionem ubique dispersi, hac ipsa sua  
calamitate contestantur Messiam jam actu venisse,  
propter cujus negationem et occisionem talia patiun-  
tur, ex prophetarum suorum oraculis.

ALERE FLAMMAM  
VERITATIS

QUAESTIO II<sup>a</sup>

Quid de Mahumetismo sentiendum?

(Vide Vincent : *De vera relig. n. 169.* — Knoll :  
*Theol. gen. §. 163.*)

239. Resp. : *Mahumetismus nec est nec esse  
potest religio a Deo revelata.*

Multiplex siquidem in eo reperitur falsitatis indi-  
cium.

1<sup>um</sup> falsitatis indicium : *defectus auctoritatis in  
libro Ateoran.*

Nam ille liber, non tantum ostendit Mahumetem in  
crassa versari ignorantia eorum quae hodie vulgi  
captum non excedunt, sed in multis aliis peccat :  
1<sup>o</sup> facta in eo relata solum Mahumetem testem ac fide-  
jussorem habent, et ad ejus malas cupiditates implen-  
das tendunt ; 2<sup>o</sup> veteris ac novi Testamenti libris, omni  
historica fide dignis, in pluribus contradicunt ; v. g. :  
Mariam sororem Moysis cum matre Christi confundit ;  
et generatim ea quae circa patriarchas, Moysen aut  
Christum, in genuinis monumentis narrantur, misere  
contorquet ; 3<sup>o</sup> multas fabulas continet, et ridicula sub  
ridiculis titulis ; v. g. : *De ape, — De formica, — De  
arana, — De fumo, — De stercoribus, etc.*

240. 2<sup>um</sup> falsitatis indicium : *vita Mahumetis.*

Multum abest quin persona ejus talibus sanctitatis  
notis refulgeat, quae legatum divinum, sive prophe-  
tam novae religionis praekonem decent. Quamvis  
enim pietatem quamdam simulaverit, ex altera parte,  
indomitam ostendit ambitionem, quae ad fines suos  
promovendos fraudibus ac caedibus non parcat ; si-  
mulque foedam libidinem, ad quam implendam novae  
sibi uxores saepius junxit, speciales hac de re revela-  
tiones praetextans.

241. 3<sup>um</sup> falsitatis indicium : *errores manifesti  
circa religionem naturalem.*

Docet enim Mahumes : 1<sup>o</sup> euncta divino decreto  
absoluto ita evenire, ut necessaria sint, et fatalitas  
inducatur ; 2<sup>o</sup> Deum multos homines creasse ad  
gehennam ; 3<sup>o</sup> animam hominis esse particulam di-  
vinæ essentiae ; 4<sup>o</sup> in paradiso, electos indulgere  
voluptatibus carnalibus cujuscumque generis ; 5<sup>o</sup> amo-  
rem proximi restringendum esse ad religionis mahu-  
metanae asseclas ; 6<sup>o</sup> hanc religionem vi armorum  
propagandam esse ; 7<sup>o</sup> nullam pro peccatis deberi sa-  
tisfactionem, et consequenter sacrificium non esse  
usurpandum, nisi in gratiarum actionem ; 8<sup>o</sup> cultum  
Deo debitum unice consistere in precatione, eleemo-  
synis, jejunio et piis peregrinationibus, praesertimque  
bello sancto adversus infideles ; 9<sup>o</sup> nullam castitatis  
curam habendam esse, imo caelibatum virginum pro-  
scribendum esse, permittenda autem polygamiam et  
divortium, ad nutum mariti.

242. 4<sup>um</sup> indicium falsitatis : *Inefficacia ad homi-  
nis institutionem et sanctitatem promovendas.*

Prohibet quippe Mahumes, sub poena capitis, et

philosophicam Alcorani inquisitionem, et quascumque de religione disputationes. Aliunde, tota Alcorani ethica, de interioribus minime sollicita, versatur in exterioribus observantiis, numero septuaginta millibus juxta commentatores. Denique, clarum est doctrinam supra expositam de fatalismo, reprobatione, officiis erga proximum, regulis morum, viam omnibus cupiditatibus ac libidinibus latam aperire. Mirum igitur non est Islamismum se omnino impotentem exhibuisse ad scientiarum, artium, industriae et civilisationis progressus.

243. 5<sup>um</sup> indicium falsitatis : *absentia signorum.*

Desunt quippe miracula in favorem Mahumetismi. Mahumes ipse miracula quaerentibus respondit se non fuisse missum ad facienda miracula, sed ad praedicandum. Ex eis autem quae ei tribuuntur, alia facile arte humana explicari queunt, ut illud de columba ad aurem volante; alia nullos habuerunt testes, et novis miraculis probari deberent, ut ejus colloquia cum Angelo Gabriele, aut cameli ad eum per noctem locutio; alia nimium absurda sunt, ut illud de magna lunae parte in ipsius manicam delapsa, et ab eo remissa ad restituendam sideri rotunditatem.

Idem dicendum de prophetiis. Tentavit equidem praedicere fata, tum sua, tum suorum, sed in vanum. Sic, v. g., praedixit se ab hominibus illaesum fore, et tamen saepe fuit vulneratus; praedixit suorum concordiam ac perennes victorias, et sui, post ejus mortem, gravibus inter se dissidiis divisi sunt, et luctuosissimas experti sunt clades.

Frustra allegaretur, tanquam nota divinitatis, celeris Mahumetismi propagatio. Haec enim naturalibus

causis optime explicatur. Reapse, ut observat D. Brugère (*De vera Relig.*, p. 303), illa religio, tum rudi populorum sensui aptabatur per dogmatum simplicitatem omnis altitudinis expertem, tum praesertim eorum corda captabat per passiones ipsis maxime insitas, voluptatem, scilicet, et violentiam. Atque inde factum est ut Islamismus, licet a veritate minus distet ac Paganismus, magis tamen animos faciat omni verae religioni ac civilisationi impervios.

QUAESTIO III<sup>a</sup>

Quid de Brahmanismo sentiendum?

244. Resp. : *Brahmanismus nec est nec esse potest vera religio revelata.*

Caret enim revelationis nota, sive in sua origine, sive in sua doctrina, sive in sua historia.

1<sup>o</sup> *Nihil divinum spirat in sua origine.*

Primam non ducit originem ab aliquo praecone historice noto, sed a librissacris quos *Veda* nuncupant, et quorum authenticitas, integritas ac veracitas nullo argumento probantur. Quinimo, asserunt Brahmani verba Vedae esse ab aeterno per se subsistentia ac personantia, quae selecti viri tandem perceperunt, aliisque transmiserunt; nec licitum fuisse ea scriptis mandare, nisi post longissimum tempus. Attales assertiones certe non sunt aptae ad fidem Vedae conciliandam.

Neo-Brahmanismus non ostenditur habuisse supernaturalem causam, sed fuit mera veteris Brahmanismi transformatio excogitata ad Buddhismi nascentis declinandum influxum.

Demum Brahmanismus recentissimus habet parentem *Chunder-Sen*, qui se prophetam jactitans, nullam suae missionis probationem attulit.

245. 2<sup>o</sup> *Brahmanismus nihil divinum spirat in sua doctrina.*

Haec enim doctrina, non modo rationem naturalem plurimum offendit, sed nec fuit uniformis, nec constans. Apud ejus sectatores primo videtur viguisse Polytheismus naturalista, cui successit Pantheismus, quo Brahma haberetur veluti ens unicum, extra quod non dantur nisi illusiones. Sed mox iterum, saltem apud vulgus, reſerbuit Polytheismus crassus et obscenus.

Circa hominem, Brahmanismus primo docebat remunerationes alterius vitae per gaudia paradisi, et inferni supplicia. Mox suborta est doctrina transmigrationis animarum in alia corpora, et addita est necessitas sese per virtutis exercitium ab existentia, utpote de se mala, liberandi, donec absorptio in Brahma obtineretur.

Nonnulla equidem de cupiditatum refraenatione satis recte traduntur; sed haec vitae austeritas ab omni erga caeteros homines charitate est vacua, superbiamque ita redolens, ut asceta diis ipsis superior existimeretur. De caetero, haec religio distinctas hominum introduxit classes, sibimet invicem adversas, et inter eas eminent sacerdotes, seu Brahmani, quorum dignitas et privilegia supra modum extolluntur, et arrogantiae atque tyrannidi nullum frenum imponitur.

246. 3<sup>o</sup> *Nihil divinum redolet Brahmanismi historia.*

Frustra inquireret aliquod factum historice certum

ac certo miraculosum, divinitus in favorem hujus religionis patratum.

Equidem, gloriatur numerosissimos habere sectatores, et diuturna jam existentia frui; sed haec diffusio et diuturnitas male tanquam Dei testimonium invocarentur. Coarctatur quippe Brahmanismus intra ejusdem partis orbis spatium, neque late fuit propagatus. Non multas et graves passus est impugnationes a seculi praesentis potestatibus. Viget apud populos ubi minus fervet activitas intellectualis. Nec satis: temporum decursu, in sectas innumeras fractus est, et quotidie magis ac magis senescit atque debilitatur.

Denique, nihil ad populorum et individuorum veram reformationem ac felicitatem contulit. Ipso enim auspice, ingens et nefanda superstitionum et scelerum colluvies propagata est, quae adhuc Indorum gentes depopulatur, ut omnes norunt.

#### QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Quid de Buddhismo sentiendum?

247. Resp. *Buddhismus nec est nec esse potest vera religio revelata.*

(Vide de Broglie: *Hist. des relig.*, p. 186-194; 195, 196.)

1<sup>o</sup> Nullum citatur in ejus favorem miraculum historice certum, ac certo divinum. Quae enim narrantur de vita Sakiae-Mouni, nullam merentur fidem. Historia quippe hujus fundatoris scripto non est mandata nisi duobus vel tribus circiter seculis post ejus mortem, et referta est eventibus ita ridiculis, ut vere judican-

dum sit eos a suis sectatoribus, vel stulte somnatos, vel fraudulenter confictos fuisse.

2<sup>o</sup> Buddhismus merito accusatur atheismi; nam de existentia Entis supremi non curat. Attamen Buddhistae cultum tribuunt multis entibus superioribus, quasi diis, licet nulli supremum gradum adjudicent; qui cultus magicis ac superstitiosis operationibus scatet.

3<sup>o</sup> Secluso supremo Numine, jam deficit fons cujuscumque obligationis, nec datur morum sanctio sufficiens, ut patet. Supponunt equidem Buddhistae homines innumeris, post mortem, subijci transmigrationibus, et sic praemiandos vel puniendos. Sed haec retributio, Deo absente, prorsus est gratuita.

4<sup>o</sup> Repugnat speciatim omnem existentiam esse malam, quia est transitoria et mutabilis, et ideo statum illum extinctionis, quem *Nirvana* vocant, esse toto corde optandum, et totis viribus prosequendum. Omnis enim existentia, utpote ens in actu, est, ut talis, essentialiter bona; et, quamvis sit malum existere mutabiliter et transeunter, melius est tamen hoc modo esse quam nullo. Absurdum est, insuper, supremam felicitatem ponendam esse in hoc statu extinctionis, quo ens omni operatione destituitur. E contrario, existentia eo magis est perfecta, quo magis est in actu, quia tunc eo magis est ab omni mutatione et interitu remota.

5<sup>o</sup> Per suam renuntiationis universalis doctrinam, et aspirationem ad *Nirvana*, Buddhistae sibi non comparant nisi speciem cujusdam sanctitatis negativae, absque ullo positivo charitatis et activitatis impulsu. Jubet enim Buddhismus mori mundo et sibimetipsi, non autem vivere Deo. Hinc torpor ille sterilis in quo

miserabiliter jacent ejus sectatores, et notanter monachi, dum otiosae contemplationi et abjectae mendicitati unice vacant.

6<sup>o</sup> Denique, Buddhismus nullum habuit influxum ad mores gentium, inter quas viget, in melius mutandos, et ad normam verae civilitatis componendos.

Propagatio autem ac longa Buddhismi duratio per naturales causas facile explicantur, ut ostendit D. De Broglie opere citato: *Hist. des religions*.

## COROLLARIUM TOTIUS TRACTATUS

RELIGIO CHRISTIANA AB OMNIBUS SUB DAMNATIONIS REATU  
TENENDA EST.

248. Probatur 1<sup>o</sup>: *ex necessitate religionis naturalis*.

Eo enim tendit revelatio christiana, ut homines hanc adipiscantur religionis naturalis cognitionem, quae ad vitam recte instituendam requiritur, et extra revelationem obtineri moraliter non potest. At Deus sic nostrae impotentiae subveniendo, certe debuit exigere, ut homines revelationem a se datam amplecterentur, nec sisterent in religione naturali per solam rationem cognita. Ergo sola spectata religionis naturalis necessitate, homines tenentur revelationi christiana adhaerere.

249. Prob. 2<sup>o</sup>: *ex obligatione cunctis imposta tendendi ad finem supernaturalem*.

Est quippe dogma religionis christiana hominem,

dum sit eos a suis sectatoribus, vel stulte somnatos, vel fraudulenter confictos fuisse.

2° Buddhismus merito accusatur atheismi; nam de existentia Entis supremi non curat. Attamen Buddhistae cultum tribuunt multis entibus superioribus, quasi diis, licet nulli supremum gradum adjudicent; qui cultus magicis ac superstitiosis operationibus scatet.

3° Secluso supremo Numine, jam deficit fons cujuscumque obligationis, nec datur morum sanctio sufficiens, ut patet. Supponunt equidem Buddhistae homines innumeris, post mortem, subijci transmigrationibus, et sic praemiandos vel puniendos. Sed haec retributio, Deo absente, prorsus est gratuita.

4° Repugnat speciatim omnem existentiam esse malam, quia est transitoria et mutabilis, et ideo statum illum extinctionis, quem *Nirvana* vocant, esse toto corde optandum, et totis viribus prosequendum. Omnis enim existentia, utpote ens in actu, est, ut talis, essentialiter bona; et, quamvis sit malum existere mutabiliter et transeunter, melius est tamen hoc modo esse quam nullo. Absurdum est, insuper, supremam felicitatem ponendam esse in hoc statu extinctionis, quo ens omni operatione destituitur. E contrario, existentia eo magis est perfecta, quo magis est in actu, quia tunc eo magis est ab omni mutatione et interitu remota.

5° Per suam renuntiationis universalis doctrinam, et aspirationem ad *Nirvana*, Buddhistae sibi non comparant nisi speciem cujusdam sanctitatis negativae, absque ullo positivo charitatis et activitatis impulsu. Jubet enim Buddhismus mori mundo et sibimetipsi, non autem vivere Deo. Hinc torpor ille sterilis in quo

miserabiliter jacent ejus sectatores, et notanter monachi, dum otiosae contemplationi et abjectae mendicitati unice vacant.

6° Denique, Buddhismus nullum habuit influxum ad mores gentium, inter quas viget, in melius mutandos, et ad normam verae civilitatis componendos.

Propagatio autem ac longa Buddhismi duratio per naturales causas facile explicantur, ut ostendit D. De Broglie opere citato: *Hist. des religions*.

## COROLLARIUM TOTIUS TRACTATUS

RELIGIO CHRISTIANA AB OMNIBUS SUB DAMNATIONIS REATU  
TENENDA EST.

248. Probatur 1°: *ex necessitate religionis naturalis*.

Eo enim tendit revelatio christiana, ut homines hanc adipiscantur religionis naturalis cognitionem, quae ad vitam recte instituendam requiritur, et extra revelationem obtineri moraliter non potest. At Deus sic nostrae impotentiae subveniendo, certe debuit exigere, ut homines revelationem a se datam amplecterentur, nec sisterent in religione naturali per solam rationem cognita. Ergo sola spectata religionis naturalis necessitate, homines tenentur revelationi christiana adhaerere.

249. Prob. 2°: *ex obligatione cunctis imposta tendendi ad finem supernaturalem*.

Est quippe dogma religionis christiana hominem,

hanc observando fideliter, finem supernaturalem assecuturum esse; ille autem finis non proponitur tanquam de consilio, sed veluti de praecepto, sub comminatione aeternae damnationis. Christus enim mandavit Apostolis ut docerent omnes gentes, et addidit: *Qui non crediderit condemnabitur* (Marc. XVI, 16). Legimus etiam in Actibus Apostolorum de Christi nomine: *Nec aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act., IV, 12). Porro salvum fieri nihil aliud est quam evadere a damnationis reatu imminente. Ergo reatus ille incurritur a cunctis nomen Jesu non invocantibus, seu Evangelio non credentibus.

Qui tamen religionem christianam invincibiliter ignorant, ab ea amplectenda excusantur ob bonam fidem; sed non salvantur nisi sint in dispositione eam profitendi, si eam esse veram comperiant. Tunc autem sunt Christiani *in voto*.

## TRACTATUS DE ECCLESIA CHRISTI

### DISSERTATIO PRAEIVIA

DE PROLEGOMENIS ECCLESIAE

1. Ad majorem claritatem, nonnulla in antecessum ponenda sunt de Ecclesiae notione, de variis sectis pseudochristianis, de praecipuis erroribus confutandis, et de valore argumentorum adhibendorum. Quinque igitur erunt quaestiones.

#### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quid per Ecclesiam intelligatur?

(Vide Mazella: *De relig. et Eccl. n. 393, ... 406.*)

2. Resp. *Etymologice*, Ecclesia a voce graeca *ek-kaleo*, latine *convoco*, idem sonat ac *vocatorum coetus*; unusquisque enim a Deo vocante habet ut sit Ecclesiae membrum.

*Significative*, Ecclesia, sensu latissimo, designat coetum profitentium religionem in qua legitimus Deo cultus rependitur, sive hanc fideliter observent, sive non; et Ecclesia sic sumpta comprehendit, tum Beatos in coelo regnantes, et, ut talis, vocatur *Ecclesia triumphans*; tum animas in purgatorio languentes, et, ut sic, vocatur *Ecclesia patiens*; tum homines in terris adhuc degentes, seu viatores, et, ut sic, vocatur *Ecclesia militans*.

hanc observando fideliter, finem supernaturalem assecuturum esse; ille autem finis non proponitur tanquam de consilio, sed veluti de praecepto, sub comminatione aeternae damnationis. Christus enim mandavit Apostolis ut docerent omnes gentes, et addidit: *Qui non crediderit condemnabitur* (Marc. XVI, 16). Legimus etiam in Actibus Apostolorum de Christi nomine: *Nec aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act., IV, 12). Porro salvum fieri nihil aliud est quam evadere a damnationis reatu imminente. Ergo reatus ille incurritur a cunctis nomen Jesu non invocantibus, seu Evangelio non credentibus.

Qui tamen religionem christianam invincibiliter ignorant, ab ea amplectenda excusantur ob bonam fidem; sed non salvantur nisi sint in dispositione eam profitendi, si eam esse veram comperiant. Tunc autem sunt Christiani *in voto*.

## TRACTATUS DE ECCLESIA CHRISTI

### DISSERTATIO PRAEIVIA

#### DE PROLEGOMENIS ECCLESIAE

1. Ad majorem claritatem, nonnulla in antecessum ponenda sunt de Ecclesiae notione, de variis sectis pseudochristianis, de praecipuis erroribus confutandis, et de valore argumentorum adhibendorum. Quinque igitur erunt quaestiones.

#### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quid per Ecclesiam intelligatur?

(Vide Mazella: *De relig. et Eccl. n. 393, ... 406.*)

2. Resp. *Etymologice*, Ecclesia a voce graeca *ek-kaleo*, latine *convoco*, idem sonat ac *vocatorum coetus*; unusquisque enim a Deo vocante habet ut sit Ecclesiae membrum.

*Significative*, Ecclesia, sensu latissimo, designat coetum profitentium religionem in qua legitimus Deo cultus rependitur, sive hanc fideliter observent, sive non; et Ecclesia sic sumpta comprehendit, tum Beatos in coelo regnantes, et, ut talis, vocatur *Ecclesia triumphans*; tum animas in purgatorio languentes, et, ut sic, vocatur *Ecclesia patiens*; tum homines in terris adhuc degentes, seu viatores, et, ut sic, vocatur *Ecclesia militans*.

Ecclesia militans, sensu lato, complectitur omnium temporum fideles verae religioni adhaerentes, nempe: aut sub *Lege naturae*, seu, ante Christum, extra legem Mosaicam, dum vera religio nullam formam determinatam habuit; aut sub *Lege scripta*, seu, apud populum hebraicum, ubi vera religio habuit formam determinatam, sed imperfectam et transitoriam; aut sub *Lege gratiae*, ubi vera religio habet formam determinatam, perfectam et perpetuo duraturam.

In praesenti tractatu, de hac posteriori tantum agitur; sicque intellecta designat: modo solam *Ecclesiam docentem*, seu coetum pastorum, de qua Ecclesia dicit Christus: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. xviii, 17); modo solam *Ecclesiam discentem*, seu coetum fidelium, quatenus credentium, de qua Ecclesia dicitur: *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (Act. xx, 28); modo integrum coetum ex pastoribus et simplicibus fidelibus coalescentem; quae rursus Ecclesia, alia est *particularis*, et usurpatur pro aggregatione fidelium in eadem domo, aut civitate, aut provincia, et sic dicitur: Ecclesia Orientalis, Occidentalis, Lugdunensis, etc.; alia est *universalis*, et usurpatur pro aggregatione fidelium totius mundi.

3. Illa Ecclesia militans universalis definitur: *Societas hominum viatorum, unius et ejusdem fidei Christianae professione, et eorumdem sacramentorum communione adunatorum, sub regimine legitimorum pastorum, ac praecipue Romani Pontificis.*

Cujus definitionis veritas ex toto tractatu patebit; nunc est solummodo explicanda.

Dicitur 1<sup>o</sup> *societas*.

Est autem societas, in genere, collectio personarum quae ad eundem finem, certis et communibus mediis assequendum, per aliquam auctoritatem diriguntur.

Unde societas quatuor constat elementis. Constat 1<sup>o</sup> pluribus personis; nemo enim dicitur secum inire societatem, et societas non datur inter entia ratione carentia; quia, etsi possint idem bonum prosequi, illud tamen non percipiunt ut et sibi et aliis commune, et ideo nequeunt actus suos sic ordinare, ut ad finem communem simul cum aliis conspirent. — Constat 2<sup>o</sup> fine communi, cujus assecutio procuranda ratio est cur ineatur. — Constat 3<sup>o</sup> auctoritate directrice, quae media adhibenda praescribit; secus enim deesset principium efficax quo membra societatis in unum coalescerent, dum unusquisque media, pro libitu suo, assumeret, ac proinde non esset mutua conspiratio ad eundem finem. — Constat demum 4<sup>o</sup> mediis communibus fini attingendo subordinatis.

Ex his quatuor elementis, finis est quasi character specificus et formalis, qui unam societatem facit specie ab aliis diversam. Nam, et multitudo membrorum, et auctoritas, sunt omnibus societatibus communes; media autem fini sunt proportionata. Ergo duae societates inter se specificè non differunt nisi ratione finis; et posito quòd eundem finem prosequerentur, jam inter illas, numerica quidem, sed non specifica esset distinctio.

Dicitur Ecclesia 2<sup>o</sup> *societas hominum viatorum*. Nam de sola Ecclesia militante agitur.

Dicitur 3<sup>o</sup> *unius ejusdemque fidei Christianae professione adunatorum*.



Quia hoc est primum vinculum sociale quo Ecclesiae membra inter se moraliter junguntur, nempe: eandem fidem profiteri, et quidem christianam. Est enim Ecclesia, ipsamet religio christiana prout sub forma societatis existens; at illi soli censentur Christiani qui fidem christianam integram tenent. Unde ab Ecclesia Christi excluduntur infideles et haeretici.

Dicitur 4<sup>o</sup> *eorundem sacramentorum communionem.*

Quia hoc est secundum vinculum sociale inter Catholicos, nempe: jus suscipiendi sacramenta, cui annectitur jus participandi suffragiis communibus Ecclesiae. Jus praefatum acquiritur per baptismum, et amittitur per excommunicationem, saltem denuntiata, ut dicemus alibi. Unde, ab Ecclesia excluduntur nondum baptizati, licet forent catechumeni; item excommunicati denuntiati.

Dicitur 5<sup>o</sup> *sub regimine legitimorum pastorum, ac praesertim Romani Pontificis.*

Quia hoc est tertium vinculum sociale inter Catholicos, nempe: profiteri subjectionem legitimis pastoribus. Legitimi pastores ii sunt qui a Romano Pontifice mittuntur, et cum eo communionem servant. Unde ab Ecclesia excluduntur schismatici, seu illi qui nolunt profiteri se Romano Pontifici ac legitimis pastoribus esse subjectos.

#### QUAESTIO II<sup>a</sup>

Quibus potissimum metaphoris, parabolis, ac figuris Ecclesia in Scripturis designetur?

4. Resp. 1<sup>o</sup> *Quoad metaphoras.*

1<sup>o</sup> Aliae Ecclesiam exhibent prout se habet in

*ordine ad Deum*, et ut sic, vocatur *domus Dei* (I Tim. III, 15), *templum Dei* (I Cor. III, 16), *regnum coelorum* (Matth. XIII, 24).

Est quippe Ecclesia *domus et templum Dei*, habens pro lapide angulari Christum, pro fundamentis Apostolos, pro parietibus Judaeos et Gentiles ad eam conversos, pro glutine et calce quibus fideles coagmentantur, gratiam et charitatem, pro habitatore Deum, qui ibidem sibi gignit ac nutrit filios, necnon sua edit oracula. Est etiam *regnum coelorum* quia in illa et per illam nobis Deus bona coelestia impertitur, regnat in cordibus nostris, nosque ad secum in coelis regnandum disponit.

2<sup>o</sup> Aliae metaphorae Ecclesiam designant prout se habet *in ordine ad Christum*, et ut sic, vocatur *corpus et sponsa Christi*.

Est *corpus Christi* (Coloss. I, 24; Eph. I, 22, 23; I. Cor. XIII, 12). *Corpus* quidem, quia omnes fideles, inter se connexi, sibi invicem opitulantur, et inaequalia munera exercent; *corpus Christi*, quia ejus spiritu animantur Ecclesiae membra, et ipse eis praest est capitis instar. Caput sane membris praest ordine, quia excelsius; perfectione, quia in eo vigent omnes sensus; influxu, quia movet et gubernat. Ita Christus est caeteris prior *ordine*, cum sit Deo propinquior; perfectione, cum sit plenum gratiae et veritatis; influxu, cum de plenitudine ejus omnes accipiant. Est etiam Ecclesia *sponsa Christi* (Cant. IV, 8; Eph. V, 23, 25; Apoc. XXI, 9), quia, una uni sponso indissolubili foedere conjugata, castissimo illius amplexu, innumerabilium filiorum fecunda mater efficitur.

3<sup>o</sup> Aliae metaphorae Ecclesiam referunt prout se

habet *in ordine ad fideles*, et ut sic, vocatur *castrorum acies bene ordinata et terribilis* (Cant. vi, 3); multa, siquidem, agmina complectitur, sub uno vexillo et duce, ad praelium procedentia et invicta. — Item *hortus conclusus, fons signatus* (Cant. vi, 12); nam omnis generis virtutum flores et fructus profert, et adversus hostiles incursus clauditur. Est etiam fons mysticus aquas doctrinae limpidissimas et gratiarum fluentia subministrans, quem Deus turbari aut corrumpi non patitur unquam.

5. Resp. 2<sup>a</sup> Quoad parabolas.

Quinque praecipuae recensentur :

1<sup>a</sup> est *area*, de qua apud Matth. (iii, 12). In huiusmodi area, ventilator Christus singulorum actus iudicio suo discernens, peccatores quasi paleam separabit, igne inferni comburendos, et justos reservabit, quasi triticum, in horreo suo coelesti colligendos.

2<sup>a</sup> est *convivium*, de quo apud Matth. (xxii, ... 14). Deus, scilicet, Filii sui cum Ecclesia nuptias celebrare volens, mensam suam luculentis dogmatum, sacramentorum, Eucharistiae praesertim, escis oneratam cunctis praebet, et ad eam, per suos ministros, vocat homines. At Judaei primum invitati venire noluerunt, et ideo Apostoli converterunt se ad gentes, quae, ex omni parte confluentes, Ecclesiam impleverunt. Christus vero venit invitatos iudicaturus, et quos reperit veste nuptiali destitutos, mittit in tenebras exteriores.

3<sup>a</sup> est *sagena missa in mare*, de qua apud Matth. (xiii, 47). Ibi Ecclesia designatur in cuius sinu congregantur boni et mali, quorum primi eliguntur *in vasa*, seu in gloriam coelestem, et alii mittuntur *foras*, seu in infernum.

4<sup>a</sup> est *ovile*, de quo apud Matth. (xxv, 32), Luc. (xv, 4) et Joan. (x, 1... 16). Herus ovilis est Deus Pater, ostium Christus, ostiarius Spiritus sanctus. Veri pastores intrant per ostium Christum, et ab ostiario, id est, Spiritu sancto vocante, introducuntur. Petro committitur cura pascendi agnos et oves ad ejus successores transmittenda. Munia pastorum sunt : ante oves incedere cohortationibus et exemplis, eas nominatim vocare cognitione et sollicitudine, illis ministrare pabula doctrinae coelestis et sacramentorum, eas perditas quaerere, inventas reducere, gregemque contra lupum infernalem, etiam moriendo, si opus fuerit, defendere.

5<sup>a</sup> est *ager*, de quo apud Matth. (xiii, 24). Deus in agro suo bonum semen seminavit, Verbum, scilicet, incarnatum, necnon veritates revelatas, quae sunt vitae divinae principia. Sed pastoribus officium suum negligentibus, Satanas haereses et schismata, zizaniae instar, superseminavit. Vult Deus utrumque semen crescere usque ad messem, seu diem iudicii, quando unicuique reddet juxta opera sua.

6. Resp. 3<sup>a</sup> Quoad figuras Ecclesiae.

1. *In veteri Testamento*, sex praesertim reperiuntur :

1<sup>a</sup> figura : *paradisus terrestris*; quia Ecclesia, quatuor Evangeliorum fluvii irrigata, sanctos habet pro lignis fructiferis, Christum arborem vitae, et, pro ligno scientiae boni et mali, liberum arbitrium.

2<sup>a</sup> figura : *Eva*; quia Ecclesia, e latere Christi in cruce orientis educta, facta est mater viventium.

3<sup>a</sup> figura : *arca*; quia Ecclesia, a Christo quasi ex ligno crucis aedificata, continens animalia munda et

immunda, seu justos et peccatores, super furens mundi rugientis undas tuta fluctuat, et extra hanc nemo fit salvus.

4<sup>a</sup> figura: *uiores Patriarcharum*; quia ex Ecclesia, mediantibus duodecim principibus Apostolis, prodiit insignis Christianorum gens; quinimo multos, etiam in sinu sectarum haereticarum, quasi ejus ancillarum, per baptismum quotidie gignit filios.

5<sup>a</sup> figura: *gens Judaica et templum Jerosolymitanum*. Norunt quippe omnes ea quae spectant judaicae gentis fata, instituta, leges, caeremonias et templum ipsum, novum foedus praefigurasse, quarum figurarum enumeratio longior foret.

6<sup>a</sup> figura: *lapis de monte abscissus*; quia Ecclesia, sine manu hominis e coelo veluti delapsa, primum tenuis, excrevit in montem magnum implentem universam terram.

II. *In novo Testamento*, inter Ecclesiae figuras numerari possunt:

1<sup>o</sup> *Duplex piscatio*, de qua apud Luc. v, et Joan. xxi. Ecclesia enim est navicula Petri in medio maris hujusce mundi fluctuans, et ex qua, imperante Christo, rete verbi laxatum, innumeros homines capit ad aeternae vitae littus adducendos.

2<sup>o</sup> *Vestis dominica inconsutilis*: quia Ecclesia Christum quasi vestit, et est una.

3<sup>o</sup> *Vas lineum* quod Petrus narratur vidisse (Act. x, 11); quia Ecclesia pura de coelo descendit, et in se omnis generis homines continet, Christo per Petri successorem incorporandos.

4<sup>o</sup> *Maria ipsa*, cujus vividam imaginem Ecclesia refert, tum suis erga Christum functionibus, tum suis

erga fideles officiis, tum miris quibus instruitur praerogativis.

Primum patet: siquidem Ecclesia, per ministerium sacerdotum, quasi Christi mater efficitur, illum per consecrationem eucharisticam generando. Insuper hunc, per sacrificium Missae, sicut Maria in monte Calvario, quotidie immolat, eundem in sacramento altaris custodit et peramanter tractat; demum, per sacram communionem, ipsi evadit aliquo sensu concorporea.

Secundum constat: siquidem Ecclesia et ipsa est cunctorum Christianorum mater, quos in doloribus spiritualiter gignit et fovet; est etiam hominum mediatrix per suffragia communia; et, per sacramenta, gratiarum dispensatrix.

Tertium tandem probatur: quia Ecclesia ab omni erroris labe immunis est, indefectibiliter sancta, omnium virtutum circumornata varietate, sapientiae sedes, et hostilium potestatum qualiumcumque debellatrix invicta.

### QUAESTIO III<sup>a</sup>

Quae sint praecipuae sectae pseudochristianae?

7. Resp. Omissis quibusdam minoribus sectis apud orientales regiones degentibus, uti: Nestorianis, Eutychianis, Jacobitis, Cophtis, etc..., quae speciali confutatione non indigent; duae solummodo supersunt notatu dignae: Protestantium, videlicet, et Graecorum schismaticorum.

#### I. DE SECTIS PROTESTANTIUM.

Hoc nomine generali donantur sectae omnes a rebellionem Lutheri progenitae, quae, licet in caeteris

fere omnibus dissentiant, conveniunt tamen in protestando contra infallibile Ecclesiae magisterium. Sibi Reformationum denominationem vindicant, eo quod se ad Ecclesiam reformandam missos jactitent.

Ad quinque praecipuas reducuntur: Lutheranismum, Anabaptismum, Anglicanismum, Calvinismum et Socinianismum.

I. *Lutheranismus* ortum habuit anno 1517, a Luthero, monacho ordinis Augustinorum in Germania. Hic novator successive impugnavit indulgentiarum abusus, dein etiam vim; mox dogma ipsius justificationis. Anno 1520, damnatus a Romano Pontifice Leone X, adversus Ecclesiae docentis auctoritatem aperte rebellavit.

Doctrina Lutheri duobus constat elementis contradictoriis: unum quo naturam humanam ultra modum deprimit, ipsam affirmans ex originali lapsu orbatam suo libero arbitrio, intrinsece corruptam et insanabilem, atque sola extrinseca Christi justitiae imputatione Deo reconciliandam; aliud quo hominis superbia extollitur, nimirum: immunitas ab omni magisterio externo infallibili, ita ut veritatem ex Scripturis per privatum examen haurire debeat; necnon plena agendi libertas, vi cuius reconciliationem cum Deo, per solam fidem sine operibus, sibi comparet; ex quibus principiis via patuit ad Rationalismum et Naturalismum,

II. *Anabaptismus* natus est anno 1521 a duobus Lutheri discipulis, Storch et Muncer.

Anabaptistae a sola fere inspiratione lumen fidei expectant; et sic vocantur, quia tenent baptismum infantium esse nullum, ac ideo in adulta aetate iterandum.

Anabaptismi mentem plus minusve induerunt: *Quakerii*, a Georgio Fox anno 1647 oriundi; *Pietistae*, qui in Germania, saeculo XVII, prodierunt; *Methodistae*, qui in Anglia, anno 1729, a Joanne Wesley duxerunt initium.

III. *Anglicanismus*, cujus auctor fuit, anno 1534, rex Angliae Henricus VIII, primum vix a Catholicismo differre visus est, nisi Papatu negatione. Postea autem, plura a Calvinismo sensim mutuatus est, ut patet ex 42 articulis sub Eduardo VI promulgatis, et praesertim 39 articulis sub Elisabeth latis, et definitive exhinc retentis; sed insuper admisit episcopatum.

In Ecclesiae Anglicanae constitutae gremio, tres sunt quasi factiones: 1<sup>o</sup> Ecclesia superior (*la haute Eglise*) episcopatu strictius addicta, ex qua prodierunt Puseyistae; 2<sup>o</sup> Ecclesia inferior (*la basse Eglise, ou l'Eglise évangelique*) quae magis ad Calvinismum propendit; 3<sup>o</sup> Ecclesia latior (*l'Eglise large*) quae potius sapit Rationalismum.

At extra Ecclesiam Angliae constitutam, vigent nonnulli rigidiores Calvinismi asseclae, in Scotia potissimum, sub nomine *Puritanorum*, seu, *Presbyterianorum*, ex quibus, insuper, efformati sunt *Independentes*, seu *Congregationalistae*, in Statibus unitis Americae maxime diffusi.

IV. *Calvinismus* incepit anno 1535, a Calvino, urbe Noyon in Gallia nato. Calvinus Lutheri errores in unum systema rigorosius concinnatum collegit, et circa hominis depravationem, necnon praedestinationem ad malum, longius progreditur; praeterea, realem Christi in Eucharistia praesentiam, a Luthero admissam, rejicit.

V. *Socinianismus* anno 1556 apparuit. Cujus auctores fuerunt quadraginta doctores, efformantes in Urbe Vicentii (*Vicence*), apud Venetias, academiam secretam. Inter eos eminebat Loelius Socin, cui successit proprius nepos Faustus Socin.

Sociniani statuunt ex evidentia naturali, secluso omni supernaturali lumine, sensum Scripturae esse intelligendum; quod brevi ad Rationalismum ducit. In Hollandia, sibi copulaverunt *Arminianos*, seu *Remonstrantes* qui, ineunte seculo xvii, ibidem nati sunt, ex reactione contra rigidiorum Calvinii doctrinam per Arminium suscitata.

Ex Socinianismo pullularunt *Unitarii*, hodie in America florentes, sicut et *Universalistae*.

## II. DE GRAECIS SCHISMATICIS.

8. Dicendum est breviter: 1° De schismate Constantinopolitano; 2° De variis ecclesiis schismaticis ex praedicto schismate ortis; 3° De doctrina Graecorum schismaticorum.

### I. De schismate Constantinopolitano.

a) *Proclivitas animorum ad schisma* sese in hac ecclesia prodidit ab origine sua, ob politicam urbis praestantiam, superbiam imperatorum et cleri ambitionem, et speciatim in concilio Chalcedonensi, quod voluit aequiparandas esse sedes Constantinopolitanam et Romanam, et cui fortiter restitit S. Leo Papa. At illae aemulationes paulatim ita convaluerunt, ut, anno 583, Joannes IV patriarcha Constantinopolitanus, sibi patriarchae oecumenici titulum vindicaverit.

b) *Primum schismatis tentamen* factum est a Photio, anno 857. Qui sedem Constantinopolitanam

adhuc laicus invasit, injuste depulso patriarcha S. Ignatio, quem ferre non poterat Imperator Michael III. Consopitum tamen fuit illud schisma sub Photii successoribus, qui a Romano Pontifice suam confirmationem petierunt.

c) *Schismatis renovatio* locum habuit a Sergio, archiepiscopo ejusdem urbis, anno 1034, et maxime a Michaele Caerulario anno 1054; quae rebellio invasit fere omnes orientales ecclesias graeco idiomate utentes. Attamen nova pax inita est, anno 1274, in concilio Lugdunensi secundo, et anno 1439 in Florentino, quando omnes orientales episcopi Romanae Ecclesiae se subjecerunt.

d) *Schismatis consummatio definitiva* peracta est paulo post, occupatis per Turcas urbe et imperio. Hodie ecclesiae Constantinopolitanae subordinantur Antiochena, Alexandrina et Jerosolymitana, at specie tantum, et quoad simplicem primatum honoris. Sunt igitur quatuor ecclesiae ab invicem independentes.

II. *De aliis ecclesiis schismaticis apud Graecos deinceps efformatis.*

a) Prima est ecclesia *Ruthena*, seu *Russica*. Hoc schisma aliquod initium habuit post Michaelem Caerularium; sed ab imperatoribus Russiae institutum est quando, anno 1460, princeps, pro suo nutu absque Papa, Moschae metropolitanum elegit, cui postea, anno 1589, titulus et honores patriarchatus, loco Kiowiensis metropolitani, attributi fuerunt. At, anno 1721, Petrus I<sup>us</sup> patriarchae Moschae jura in synodum dirigentem constituit. Haec porro synodus, cui subjiuntur episcopi ecclesiae Ruthenae, omnino ab imperatore dependet.

b) Secunda est ecclesia *Hellenica*, complectens episcopos regni Hellenici, qui, pluribus abhinc annis, se a primatu archiepiscopi Constantinopolitani subdlexerunt, et obediunt synodo Atheniensi. Efformant igitur ecclesiam nationalem sub principis civilis auctoritate.

c) Numerantur, praeterea, ab aliis sejunctae et independentes, duae sedes metropolitanae Cypriae (*Chypre*) et Carlowisgae (*Carlowitz*), in Austria, nec non duo episcopatus montis Sinai et Montisnigri (*Montenegro*), duaeque ecclesiae Roumaniae et Bulgariae.

Quae omnia ecclesiae Graecae membra nullum habent caput commune.

### III. De doctrina Graecorum schismaticorum.

a) Negant Spiritum sanctum a Filio procedere, et ideo additionem vocis *Filioque*, symbolo Nicaeno factam, velut erroneam habent.

b) Asserunt necessarium esse consecrare eucharistiam cum pane fermentato, et conferre baptismum per trinam immersionem; sed non constat apud omnes an ea requirant sub nullitate sacramenti.

c) Contendunt primatum Romani Pontificis non fuisse nisi juris ecclesiastici, ob urbis Romae majestatem, et aequali jure translatum esse archiepiscopo Constantinopolitano.

### QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Qui sint praecipui errores in praesenti tractatu confutandi?

9. Resp. Horum errorum expositio summaria, totius tractatus compendium prae oculis subjiciet, et ad meliorem dicendorum intelligentiam non parum proderit. Qui errores ad quatuor capita revocantur, nempe :

Ecclesiae institutionem, notas quibus discernitur, jura quae ipsi competunt, et formam regiminis ei a Christo inditam.

### I. ERRORES CIRCA ECCLESIAE INSTITUTIONEM.

Circa Ecclesiae institutionem, quadruplex distinguitur error.

I<sup>us</sup> Rationalistarum dicentium a Christo Christianismum quidem institutum fuisse, sed non sub forma sociali; quae forma ab illis habetur tanquam factum mere humanum, ex variis circumstantiis naturalibus, speciatim ex cleri catholici principumque ingenio et passionibus, ducens originem.

II<sup>us</sup> est eorum qui dicunt Ecclesiam a Christo institutam esse prorsus invisibilem; ita nonnulli Protestantes.

III<sup>us</sup> est eorum qui admittunt duplicem Ecclesiam a Christo institutam fuisse: unam invisibilem, quae jugiter et indefectibiliter perseverat, et cui conveniunt promissiones a Christo factae; aliam visibilem, quae deficere aliquando potest, et ideo nonnunquam indiget reformatione. Ecclesia invisibilis sic vocatur quia, vel coalescit ex solis justis, ita Donatistae, et communiter Protestantes; vel constat solis his qui nullum omnino peccatum habent, ita Pelagiani; vel solis praedestinatis, ita Wiclefus et Joannes Hus.

IV<sup>us</sup> est eorum qui concedunt quidem unicam a Christo institutam esse Ecclesiam, constantem duplici elemento, invisibili ac visibili, ut postea declarabimus; sed addunt non fuisse fundatam ut duraret usque ad consummationem saeculi, quia ex divina praeordinatione, huic succedere debet alia perfectior, per

b) Secunda est ecclesia *Hellenica*, complectens episcopos regni Hellenici, qui, pluribus abhinc annis, se a primatu archiepiscopi Constantinopolitani subdlexerunt, et obediunt synodo Atheniensi. Efformant igitur ecclesiam nationalem sub principis civilis auctoritate.

c) Numerantur, praeterea, ab aliis sejunctae et independentes, duae sedes metropolitanae Cypriae (*Chypre*) et Carlowisgae (*Carlowitz*), in Austria, nec non duo episcopatus montis Sinai et Montisnigri (*Montenegro*), duaeque ecclesiae Roumaniae et Bulgariae.

Quae omnia ecclesiae Graecae membra nullum habent caput commune.

### III. De doctrina Graecorum schismaticorum.

a) Negant Spiritum sanctum a Filio procedere, et ideo additionem vocis *Filioque*, symbolo Nicaeno factam, velut erroneam habent.

b) Asserunt necessarium esse consecrare eucharistiam cum pane fermentato, et conferre baptismum per trinam immersionem; sed non constat apud omnes an ea requirant sub nullitate sacramenti.

c) Contendunt primatum Romani Pontificis non fuisse nisi juris ecclesiastici, ob urbis Romae majestatem, et aequali jure translatum esse archiepiscopo Constantinopolitano.

### QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Qui sint praecipui errores in praesenti tractatu confutandi?

9. Resp. Horum errorum expositio summaria, totius tractatus compendium prae oculis subjiciet, et ad meliorem dicendorum intelligentiam non parum proderit. Qui errores ad quatuor capita revocantur, nempe :

Ecclesiae institutionem, notas quibus discernitur, jura quae ipsi competunt, et formam regiminis ei a Christo inditam.

### I. ERRORES CIRCA ECCLESIAE INSTITUTIONEM.

Circa Ecclesiae institutionem, quadruplex distinguitur error.

I<sup>us</sup> Rationalistarum dicentium a Christo Christianismum quidem institutum fuisse, sed non sub forma sociali; quae forma ab illis habetur tanquam factum mere humanum, ex variis circumstantiis naturalibus, speciatim ex cleri catholici principumque ingenio et passionibus, ducens originem.

II<sup>us</sup> est eorum qui dicunt Ecclesiam a Christo institutam esse prorsus invisibilem; ita nonnulli Protestantes.

III<sup>us</sup> est eorum qui admittunt duplicem Ecclesiam a Christo institutam fuisse: unam invisibilem, quae jugiter et indefectibiliter perseverat, et cui conveniunt promissiones a Christo factae; aliam visibilem, quae deficere aliquando potest, et ideo nonnunquam indiget reformatione. Ecclesia invisibilis sic vocatur quia, vel coalescit ex solis justis, ita Donatistae, et communiter Protestantes; vel constat solis his qui nullum omnino peccatum habent, ita Pelagiani; vel solis praedestinatis, ita Wiclefus et Joannes Hus.

IV<sup>us</sup> est eorum qui concedunt quidem unicam a Christo institutam esse Ecclesiam, constantem duplici elemento, invisibili ac visibili, ut postea declarabimus; sed addunt non fuisse fundatam ut duraret usque ad consummationem saeculi, quia ex divina praeordinatione, huic succedere debet alia perfectior, per

novam ac pleniorē sancti Spiritus effusionem. Unde, sicut Mosaismus est quasi oeconomia Patris, et Christianismus Filii, ita haec nova lex erit oeconomia Spiritus sancti. Talis fuit sententia Montanistarum, Manichaeorum, item Joachim abbatis Florentis in Calabria, seculo XII, necnon recentius Michaelis Vintras.

II. ERRORES CIRCA NOTAS QUIBUS VERA SECERNITUR ECCLESIA.

10. Notae quibus Ecclesia, semel instituta, sit eminenter visibilis, seu a spuris sectis distinguitur, sunt, juxta Catholicos: Unitas, Apostolicitas, Sanctitas et Catholicitas. Sed heterodoxi, cum videant harum notarum applicatione, luculenter patefieri Ecclesiae Romanae divinitatem, alias assignant quas existimant sibi magis faventes, et praedictarum Ecclesiae dotum exhibent conceptus falsos.

I. Alias notas assignant.

Protestantes duas communiter proferunt, scilicet: legitimam verbi divini praedicationem, et legitimum usum sacramentorum; unde veram Ecclesiam visibilem definiunt: congregatio hominum convenientium in doctrina fidei et usu sacramentorum.

Schismatici autem Rutheni et Graeci, pro vera Ecclesia habent eam, quae inviolabiliter retinet omnia definita et statuta in sex prioribus conciliis generalibus, ante eorum separationem celebratis.

II. Praedictarum Ecclesiae dotum exhibent conceptus falsos.

1° *Falsum conceptum Unitatis.*

Unitas Ecclesiae, prout intelligitur a Catholicis, in

eo consistit, ut omnes credant eosdem fidei articulos ab Ecclesia definitos, ei eidem supremo regimini subiciantur. Pseudochristiani autem volunt Ecclesiam coalescere posse ex sectis in doctrina et regimine non consentientibus.

Sic Anglicani Puseyistae, affirmant, ad unitatem Ecclesiae pertinere omnes societates christianas quae auctoritatem doctrinalem retinuerunt, nempe: Romanam, Graecam, Russicam et Angliae constitutam.

Graeci schismatici pro principio unitatis agnoscunt coetum episcopalem, quo repraesentarentur episcopi utriusque communionis Romanae et Graecae.

Protestantes demum plerique docent, ad unitatem servandam sufficere, si Christiani concordent in quibusdam admittendis articulis majoris momenti, quos fundamentales vocant.

2° *Falsum exhibent Apostolicitatis conceptum.*

Omnes Christiani tenent veram Ecclesiam esse Apostolicam, saltem hoc sensu, quod in Apostolis fundata sit. Sed Catholicis, praeterea, exigunt ut servet omnem doctrinam ab Apostolis praedicatam, et insuper, ut omnes pastores missionem suam acceperint a Christi vicario, B. Petri successore.

Protestantes autem ac Graeci, praeterquam apostolicitatem doctrinae ad quosdam tantum articulos limitent, nolunt legitimam missionem ex uno supremo Pastore successore B. Petri oriri. Fontem itaque auctoritatis ecclesiasticae alium assignant, nempe: nonnulli Anglicani hanc repetunt ex principibus temporalibus; Protestantes ex populi suffragio, addentes missionem extraordinarie a Deo acceptam sufficere



sine ordinaria; Graeci autem dicunt patriarchas legitime electos, immediate a Christo institui, vi missionis ab eo datae collegio Apostolorum, et alios deinceps ab hisce patriarchis suam mutuare jurisdictionem.

3º *Falsum exhibent Sanctitatis conceptum.*

Tenent Catholici ideo Ecclesiam esse Sanctam, quia servat omnia media sanctitatis a Christo instituta, et insuper habet in pluribus membris sanctitatem facti, quae etiam se prodit per miracula, mirabilem fecunditatem, et virtutes heroicas.

At, juxta Protestantes et Graecos, necessarium non est ut servantur omnia media sanctitatis a Christo data, cum Protestantibus sufficiant articuli fundamentales, et Graecis, definita ac statuta in sex prioribus conciliis oecumenicis.

Sanctitatem facti Protestantes soli Ecclesiae invisibili reservant. Quod autem haec Sanctitas sese exerat per miracula, per mirabilem fecunditatem virtutesque heroicas, nulli heterodoxi volunt esse necessarium; et ubi haec facta afferuntur pro Romana Ecclesia, variis effugiis nituntur evadere, aut factorum veritatem negando, aut consecutaria ex iis deducta impugnando.

4º *Falsum exhibent Catholicitatis conceptum.*

Haec Catholicitas, apud orthodoxos, intelligitur uti unius ejusdemque societatis Christianae diffusio per universum orbem. Sed haeretici et schismatici, hanc dotem ab unitate sejungentes, eandem contendunt applicandam esse plurium sectarum collectioni.

III. ERRORES CIRCA VARIA ECCLESIAE JURA.

11. Illa jura Ecclesiae respiciunt: 1º singulos fideles, puta jus magisterii, necnon leges ferendi, causas

judicandi, ac poenas decernendi; 2º societatem civilem ipsam.

I. Errores circa jus magisterii.

Circa jus illud dupliciter erratur: vel existentiam magisterii infallibilis in Ecclesia Romana negando, vel hujusce magisterii exercitium ad certa objecta indebite restringendo.

1º *De iis qui negant Ecclesiam Romanam habere magisterium infallibile.*

Illud magisterium, quamvis diversa ratione, impugnant, tum Protestantes, tum Anglicani recentiores, tum Graeci schismatici.

a) *Protestantes* contendunt nullam dari in mundo auctoritatem doctrinalem. Equidem, ut aiunt, via auctoritatis primum fides praedicata est a Christo et Apostolis; sed, completo semel catalogo librorum novi Testamenti, facta est Scriptura fons unicus, ex quo fluit cujuscumque veritatis revelatae cognitio. Scriptura igitur est regula fidei remota, in qua omnia dogmata clare continentur, quin opus sit ad alia monumenta recurrere; regula autem proxima, cujus ope sensus genuinus Scripturae percipitur, est ratio uniuscujusque individua.

Plerique Reformatores tenent, solum evidentiae naturalis lumen rationi sufficere ut Scripturam intelligat. Nonnulli tamen volunt, rationem individuam quodam adjuvari supernaturali auxilio, sive illud consistat in radio illuminante, quo textus sacri et inspiratio et sensus intuitive apprehenduntur; sive sit quidam gustus, seu sapor internus, quo textus divinus a profano, sensus verus a falso discernitur, sicut amarum a dulci

in manducatione. Ita Protestantes dicti *Mystici*, seu *Theophistae*.

b) *Anglicani recentiores*, circa fidei regulam, in tribus dissentiunt cum Protestantibus.

1° Quamvis doceant omnia dogmata aliquo modo in Scripturis contineri, fatentur tamen non ita clare et semper contineri, ut non sit aliquando necessarium recurrere ad monumenta traditionis, quibus textus Scripturae nonnulli, ex se non satis perspicui ad pariendam certitudinem, elucidentur et complementum accipiant.

2° In singulis ecclesiis, seu sectis Christianis, agnoscunt principium auctoritatis cujusdam doctrinalis ad condendas definitiones; sed dicunt illas definitiones non obligare nisi ecclesiae definientis membra, et quamdiu in illa manent; concedunt enim singulos fideles posse suam ecclesiam deserere ubi, iudicio suo privato, comperiunt articulos ab ea definitos verbo divino haud esse conformes.

3° Docent ex tribus communionibus, Anglicana, scilicet, Graeca et Romana, efflorescere unum tribunal infallibiliter docens, ita ut concilium has tres communionis repraesentans, ederet definitiones dogmaticas irreformabiles.

c) *Graeci schismatici*, praeter auctoritatem traditionis, quae nonnulla dogmata in Scripturis non contenta transmittit, admittunt magisterium infallibile a Christo institutum; at illud reponunt in consensu utriusque communionis Romanae ac Graecae.

2° *De iis qui exercitium magisterii indebite restringunt.*

Sunt illi qui negant Ecclesiam posse definire verita-

tes non formaliter revelatas, aut saltem facta dogmatica, vel moralia, uti sensum doctrinalem alicujus libri, alicujus defuncti sanctitatem, etc., etc.

## II. Errores circa jus leges ferendi, causas judicandi, ac poenas decernendi.

12. Multi praedicta jura Ecclesiae denegant, aut saltem dicunt ea non esse Ecclesiae propria, sed a principibus temporalibus accepta. Ita passim Waldenses, Wiclefiteae, Hussitae, Protestantes, Marcus Antonius de Dominis, Richerius, Marsilius Patavinus, etc.

## III. Errores circa jura Ecclesiae in ordine ad societatem civilem.

13. Duae, circa hujusmodi jura, apud heterodoxos, observantur sententiae contrariae:

a) Una, qua societas civilis ab ecclesiastica non satis distinguitur, dum scilicet, principibus temporalibus attribuuntur jura prorsus indebita in res ecclesiasticas, uti faciunt quidam Anglicani, necnon ii qui dicuntur Regalistae, seu Parlamentarii, et plures olim Galliani.

b) Alia, qua utraque societas in statu mutuae separationis constituitur; inde fit statum civilem, a suis erga Ecclesiam officiis plus minusve eximi. Talis est error eorum qui dicuntur *Liberales*. Liberalismi autem gradus est triplex:

1° *Liberalismus anticatholicus*, qui nullum in Ecclesia agnoscit jus ad libertatem civilem, ex divina ejus institutione ortum, sed hoc tantum quod cuilibet associationi in se licitae convenire potest, ac proinde legibus civilibus omnino subordinatum.

2º *Liberalismus catholicus speculativus*, quo asseritur, ex Christi voluntate, non convenire Ecclesiae nisi jus ad libertatem; ac proinde nullam esse legem positivam divinam, principes temporales obligantem ad magis favendum religioni catholicae, ac cuilibet alteri religioni pacem publicam non perturbanti.

3º *Liberalismus catholicus practicus*, quo conceditur Ecclesiae, vi divinae suae institutionis, jus exclusivum ad libertatem et ad protectionem civilem, sed asseritur praefati juris exercitium ita, ob praesentem societatum civilium conditionem, evasisse inopportunitum et impossibile, ut huic Ecclesia definitive debeat renuntiare, eo magis quod exhinc majora bona speranda sint, quam ex statu contrario.

#### IV. ERRORES CIRCA FORMAM REGIMINIS ECCLESIASTICI

14. Qui errant circa formam regiminis ecclesiastici, vel Romani Pontificis primatum rejiciunt, vel illum enervant, vel jurisdictioni episcopali detrahunt.

##### I. Rejicientes primatum papalem.

Alii Caesarismum, alii Democratismum, alii Episcopalismum, alii Presbyterianismum profitentur.

a) *Error Caesarismi* supremam Ecclesiae potestatem, ex Christi ipsius institutione, ponit in principibus civilibus, saltem quoad magisterium et jurisdictionem, seu potestatem docendi ac regendi. Ita quidam Anglicani, qui simul fatebantur sacras functiones obeundi potestatem solis clericis ordinatis competere.

b) *Error Democratismi* supremam Ecclesiae potestatem asserit a Christo collatam fidelium communitati; sic quod arbitrio communitatis relinquatur

hanc auctoritatem delegare, vel quibusdam pastoribus, quos in variis gradibus distribuit, vel etiam principi civili, cujus erit constituere ministros. Ita passim Protestantes, et Marsilius Patavinus.

c) *Error Episcopatismi*, juxta quem Christus auctoritatem supremam voluit residere, non in uno singulariter episcopo, etiam Petri successore, sed in episcoporum collegio. Ita non pauci inter Anglicanos, et omnes Graeci schismatici. Corpus autem illud episcopale, habens summam regendi imo et infallibiliter docendi potestatem, constat, juxta Anglicanos, episcopis Anglicanis, Graecis ac Romanis; juxta Graecos, solis episcopis Graecis et Romanis, uti jam dictum est.

d) *Error Presbyterianismi*, quo suprema potestas ecclesiastica non Papae, nec solis episcopis, sed omnibus presbyteris aequaliter tribuitur, qui dicuntur jure divino episcopis aequales. Ita Wiclefus, et rigidiores Calvinistae.

##### 15. II. Enervantes primatum papalem.

Sunt in triplici gradu :

a) Alii, Democratismi mitigati fautores, docent Christum auctoritatem supremam plebi christanae contulisse, hac tamen conditione adjecta, quod eam delegaret Papae et episcopis, per quos exerceretur. Unde Papa et episcopi hac non potiuntur nisi ministerialiter et instrumentaliter, tanquam populi mandatarii, et eorum leges non obligant antequam a populo receptae et approbatae fuerint. Ita Edmundus Richer, Marcus Antonius de Dominis, Febronius et passim Jansenistae.

b) Alii Caesarismi cujusdam mitigati partes suscipiunt, principibus jura quaedam indebita circa res

sacras exteriores adjudicando, et dicuntur *Regalistsae seu Parlamentarii*.

c) Alii negant jurisdictionem Papae, extra dioecesim Romanam esse proprie episcopalem, ordinariam et immediatam; sed affirmant Pontifici Romano, ex Christi ordinatione, competere jus simplicis inspectionis, quale habet metropolitanus aut patriarcha supra provinciam sibi subjectam. Itaque episcopos monere potest, ut suum munus rite impleant; ipsis autem invitis, in eorum dioecesibus munera episcopalia indebite exerceret. Excipitur casus necessitatis, ubi nempe aliquis episcopus non posset aut non vellet gregis curam gerere. Ita Tamburinus et plures Gallicani.

d) Alii demum, agnoscetes in Papa jurisdictionem episcopalem, ordinariam et immediatam super singulos episcopos et fideles, hanc nihilominus concilio generali inferiorem esse existimant, non tantum ubi Papa est dubius aut notorie haereticus, sed in omni casu. Ita docebant Gallicani, quorum plures hanc concilii superioritatem intelligebant de solo concilio generali a Papa confirmato, quidam vero extendebant etiam ad concilium generale sine Papa. Insuper, ii omnes tenebant decreta Papae doctrinalia non esse irreformabilia, priusquam accesserit consensus, saltem tacitus, majoris partis episcoporum.

16. III. Jurisdictioni episcopali detrahentes.

Illi sunt qui affirmant simplices presbyteros, aut saltem parochos et canonicos, esse, jure divino, jurisdictionis episcopalis participes. Ita Parochistae, et nonnulli Jansenistae, de quibus infra.

QUAESTIO V<sup>a</sup>

An et quatenus, in praesenti tractatu, valeant argumenta ex sacris Scripturis, necnon ex Traditione deprompta?

17. Resp. 1<sup>o</sup>: Scriptura sacra spectari potest, vel quatenus habens auctoritatem divinam, eo quod contineat libros, Deo inspirante, scriptos, ac proinde verbum Dei, vel quatenus monumentum historicum fide dignissimum.

a) Prout divinitus inspirata, allegari potest: a. — Contra eos qui hanc inspirationem admittunt, licet Ecclesiae Romanae auctoritatem negent; tunc enim, valet probatio tanquam argumentum *ad hominem*.

b. — Contra alios, non nisi postquam Ecclesiae Romanae divinum et infallibile magisterium vindicatum fuerit; ex sola enim Ecclesiae Romanae auctoritate pro certo novimus qui sint libri inspirati. At, extra praedictos casus, argumentum non esset demonstrativum, ut patet.

b) Scriptura sacra, prout est monumentum historicum fide dignissimum, allegari potest contra omnes. Nam: a. — ex una parte, tunc nullus adest circulus vitiosus; quia haec auctoritas historica ratione naturali evidenter constat, textusque Scripturae quae Ecclesiae Romanae divinitatem exprimunt, adeo sunt perspicui, ut per viam auctoritatis explicari non indigeant; b. — ex altera parte, semel probata, horumce librorum ope, divinitate religionis christianae ac mosaicae, jam certum fit utriusque religionis dogmata in illis enuntiata, esse objective verbum Dei.

18. Resp. 2<sup>o</sup> Per Traditionem intelligimus varia

monumenta a Scripturis sacris diversa, et quibus nobis veritates revelatae transmittuntur.

Jam vero, probata aut concessa Ecclesiae docentis auctoritate infallibili, Traditio nobis aperiens quid Ecclesia aliquando tenuerit ut credendum, habet vim irrefragabilem, etiamsi ageretur de doctrina minoris momenti et passionibus non repugnante; quia, hac posita infallibilitate, sequitur id omne esse verum, quod Ecclesia docens aliquando tenuerit ut credendum.

At, etiam abstrahendo ab illa infallibilitate, Traditio nonnunquam subministrat argumentum certum; ubi, videlicet, versatur circa quaedam facta majoris momenti ac splendida, quae haud potuerunt ignorari, qualia sunt pertinentia ad Ecclesiae institutionem, ad dotes quibus instruitur, et notas per quas innoscit, ad auctoritatem qua potitur, et regimen ipsi proprium, necnon ad Romani Pontificis primatum et praecipua jura. Certe fides Ecclesiae universalis circa hujusmodi facta, etiamsi non esset infallibilitate donata, errori obnoxia esse nequit; et hoc ob triplicem rationem:

1<sup>a</sup> ratio, *ex paritate cum caeteris societatibus.*

Etenim melius non possumus certos fieri de cujusvis gentis institutis fundamentalibus, quam eos interrogando cujus illa sunt propria; sic a Graecis melius novimus quae ad Graecos spectant, et a Gallis quae ad Gallos. Atqui facta de quibus nunc agitur referuntur ad instituta fundamentalia Ecclesiae. Ergo Ecclesiae illa universaliter testanti credendum est.

2<sup>a</sup> ratio, *ex speciali conditione testium.* Testes enim qui apud Ecclesiam Romanam invocantur sunt

omni exceptione majores: a. — ex dotibus personalibus, nempe: ingenio, doctrina, et sanctitate. b. — ex sua unanimitate; quamvis enim in toto terrarum orbe dispersi fuerint, et variis vixerint temporibus, in eodem tamen testimonio conspirant. c. — ex sua invincibili constantia; nam omnia perpeti maluerunt, quam a doctrina sibi tradita deviare. Atqui evidens est tales testes, circa facta maximi momenti et cognitu facillima concordēs, audiendos esse, quia constat eos nec potuisse decipi, nec voluisse decipere.

3<sup>a</sup> ratio *ex praescriptione.* Etenim, si unum ex dogmatibus ab universa Ecclesia aliquando admissis, et maximi momenti, quale est, v. g. primatus Romani Pontificis ex jure divino, fuisset introductum temporum decursu, certe non potuisset praevalere nisi gradatim, et praehabitis ingentibus reclamationibus, superatisque innumeris obstaculis. Talis ergo introductionis clara reperirentur in monumentis historicis vestigia, ita ut certo indicare liceret ejusdem auctores, tempus, initia, progressus et circumstantias. Idcirco, deficientibus hisce vestigiis, pronum erit concludere illud dogma a Christo ipso fuisse revelatum.

Quibus praelibatis, praesentem tractatum in duas partes dividimus: 1<sup>a</sup> erit de Ecclesiae Romanae divinitate; 2<sup>a</sup> de ejusdem constitutione. Stabilita enim semel divinitate Ecclesiae Romanae, quaecumque spectant ejus constitutionem, ex illius infallibili magisterio facilius, plenius et securius elucidabuntur.

## DE ECCLESIA ROMANA

ALERE FLAMMAM VERITATIS  
DE DIVINITATE ECCLESIAE ROMANAE

19. Argumenta huc usque a nobis in favorem religionis christianae allata, directe ac formaliter non ostendunt quatenam, ex variis societatibus christiano nomine decoratis, habeat veram Christi religionem. Unde ulterius demonstrandum est id soli Ecclesiae Romanae competere.

Quod praestabimus perpendendo: 1° notas ejusdem internas, seu doctrinae quam profitetur divinam excellentiam, et in suo conceptu, et in suis effectibus consideratam; 2° factum ipsum Christi Ecclesiam suam instituentis, et per novem decem secula conservantis; 3° institutionem primatus; 4° institutionem magisterii infallibilis; 5° notas quibus Christus suam Ecclesiam instructam esse voluit. Erunt ergo dissertationes quinque.

### DISSERTATIO PRIMA

DE DIVINITATE ECCLESIAE ROMANAE PER DOCTRINAE EXCELLENTIAM, ET MIRABILES EFFECTUS COMPROBANDA

(Vide Knoll: *Theol. gen.*, §§ 123... 125. — Brugère: *de Relig.*, n. 45... 53. — P. Monsabré: *Conférences de Notre-Dame*, année 1890. — Lacordaire:

*Conférences. Moulins: Démonstration de la divinité du Catholicisme*, 2° partie, ch. 1.)

20. Excellentia doctrinae quam profitetur Ecclesia Romana aestimari potest, tum ex ejus conceptu, tum ex suis effectibus. Sub utroque respectu hanc esse verum Christianismum a Christo revelatum comprobatur. Ad hoc autem, primo necesse est summariam dare illius expositionem, et quoad dogmata speculativa, et quoad moralem, et quoad cultum; dein ostendere quomodo et intellectui, et voluntati, et cordi, imo et facultatibus sensibilibus apprime sit congrua. Quae demonstratio, per mirabiles catholicae doctrinae effectus, novum et invictum robur accipiet. Ad haec erunt quaestiones decem.

#### QUAESTIO 1<sup>a</sup>

Quae sint praecipua doctrinae catholicae dogmata speculativa?

21. Resp. Illa dogmata ad sex capita revocantur: 1° De Deo uno et trino. 2° De Deo Creatore. 3° De Verbi divini missione. 4° De missione Spiritus sancti. 5° De missione Ecclesiae. 6° De Novissimis.

#### I. De Deo uno et trino.

1° *De Deo uno* ita docet Conc. Vatic. sess. 3, cap. 1.  
« Unum esse Deum verum ac vivum, Creatorem et  
« Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum,  
« immensum, incomprehensibilem, intellectu ac vo-  
« luntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit  
« una, singularis, simplex omnino et incommutabilis  
« substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia

« a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et  
« super omnia quae praeter ipsum sunt et concipi  
« possunt, ineffabiliter excelsus. »

2<sup>o</sup> *De Deo Trino* sequentia docet Catholicismus :

a) Unica Dei natura subsistit in tribus personis inter se perfecte distinctis, sed non separatis, quae sunt Pater, Filius et Spiritus sanctus.

b) Ex tribus personis, Pater producit Filium per veram generationem ; Pater et Filius tanquam unicum principium, via spirationis, produciunt Spiritum sanctum.

c) Hinc, unaquaeque persona essentialiter habens naturam divinam cum aliis duabus communem, relatione tamen propria constituitur, et ab aliis personis distinguitur : Pater paternitate, Filius filiatione, Spiritus sanctus spiratione passiva.

## II. De Deo creatore.

1<sup>o</sup> *Circa creationem et Providentiam in communi*, haec habet Conc. Vatic. (sess. cil.) : « Hic  
« solus verus Deus, bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec  
« ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quae creaturis impertitur,  
« liberrimo consilio, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit naturam, spiritualem et corporalem, angelicam, videlicet, et mundanam, ac  
« deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.

« Universa vero quae condidit Deus, providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque  
« ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter.

« Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus,  
« ea etiam quae libera creaturarum actione futura sunt. »

2<sup>o</sup> *Circa Angelos*, docet religio catholica :

a) Eorum multitudinem societatem perfecte ordinatam efformare, quae in novem choris et tribus hierarchiis distribuitur.

b) Illos eximiis gratiae donis primum instructos debuisse, bono libertatis suae usu, visionem mereri beatificam.

c) Multos ex illis contra Deum rebellasse, ac in infernum detrusos fuisse ; necnon omni studio conari ut, quantum Deus permiserit, caeteris ejus creaturis, hominibus potissimum, noceant.

d) Angelos fideles beatificatos esse, et a Deo nonnullos eorum in totius universi gubernatione, ac speciatim ad hominum custodiam et protectionem adhiberi.

3<sup>o</sup> *Circa hominem* tenent Catholici sequentia :

a) Omnes omnino homines ex uno patre Adamo et una matre Eva originem ducunt.

b) Deus protoparentes ditavit gratia qua ad divinae naturae participationem elevati sunt, et simul privilegio immunitatis a morte, ab ignorantia, concupiscentia et dolore ; statuens simul ut virtutum exercitio, et ab omni cavendo culpa, aeternam consequerentur beatitudinem ; aut, si praevaricaretur primus homo, omnes ejus posteri a statu justitiae originalis deficerent, et a vita aeterna excluderentur.

c) Cum invidia diaboli Adam peccaverit, mandatum divinum postponendo, omnes carnali generatione ab eo descendentes nascuntur in peccato, et justitiae ori-

ginalis orbatu privilegiis, id est, obnoxii ignorantiae, concupiscentiae, dolori et morti.

d) Deus tamen misericors voluit hominem lapsum per Verbum incarnatum reparare, ita ut gratiam sanctificantem posset recuperare, salutemque aeternam adipisci.

### III. De Verbi divini missione.

Haec sunt praecipua doctrinae catholicae puncta :

1° Filius seu Verbum, secunda Trinitatis persona, humanam assumpsit naturam, et Verbum sic incarnatum Jesus Christus est. In quo utraque natura necnon utraque operatio, divina et humana, distinctae remanent; sed unica est persona, nempe persona Verbi.

2° Hanc naturam humanam Verbum assumpsit per veram generationem ex B. Maria, operante Spiritu sancto. Mater autem Christi, et fuit immaculata in conceptione, et prorsus virgo, et ab omni prorsus peccati sorde immunis, et longe omnibus puris creaturis sanctior, omniumque Christianorum mater in ordine gratiae effecta est.

3° Christus, infinitis suis satisfactionibus, hominum peccata superabundanter expiavit, et semetipsum pro omnibus victimam in cruce, morte dolorosissima, obtulit, ut a Daemonis servitute nos redimeret. Est itaque Redemptor et Mediator noster, Sacerdos et Hostia, Rex, Legislator, Exemplar, et Caput totius universi.

4° Consummato in cruce sacrificio, Christus, secundum animam, descendit ad inferos, in quibus justorum adventum ejus expectabant, ut eos de carcere liberaret; dein, secundum corpus, resurrexit, et ad coelum as-

cendit, regnaturus cum sanctis suis; inde veniet, in fine seculorum, judicare vivos et mortuos.

### IV. De missione Spiritus sancti.

Haec credunt Catholici :

1° Sicut Pater misit Filium ad nos redimendos, ita Pater et Filius mittunt Spiritum sanctum ad nos justificandos. Justificatio enim, cum sit divinae charitatis opus, merito, per quamdam appropriationem, attribuitur Spiritui sancto, utpote a Patre et Filio, via amoris, procedenti.

2° Justificatio autem in hoc consistit, quod sufficienter dispositis confertur gratia habitualis, cum virtutibus infusis, et donis Spiritus sancti. Per hanc efficimur templa Trinitatis, filii Dei per adoptionem, ejus divinae naturae consortes, regnique coelorum haeredes.

3° Homo justificatus non recuperat privilegia justitiae originalis, ideoque ignorantiae, concupiscentiae, dolori et morti remanet obnoxius. At instruitur a Deo gratia actuali, seu, auxilio supernaturali eum praevemente, et excitante ad opera salutifera. Quae gratia, absolute necessaria ad eliciendos actus supernaturales, nemini unquam denegatur, quinimo cunctis, etiam perditissimis, superabundanter conceditur. Quapropter Deus sincere vult omnes homines salvos fieri, et quicumque pereunt, sua culpa pereunt.

### V. De missione Ecclesiae.

1° Christus religionem suam instituit sub forma sociali, volens suos discipulos coalescere in societatem perfectam, ab omni alia humana societate distinctam, et independentem, nec tali loco vel tempore coarcta-



tam, sed omnes regiones, et omnia tempora complectentem... Quae societas praeparata, adumbrata, ac praefigurata fuit per religionem patriarchalem ab initio mundi a Deo revelatam, et luculentius per legem Mosaicam.

2° In Ecclesia datur hierarchia divinitus constituta, constans ministris sacris ex omni conditione selectis, et ritu sacro ordinatis. Inter eos, eminent Romanus Pontifex, Christi vicarius, Ecclesiae visibile caput, qui omnibus tum fidelibus, tum pastoribus praeficitur.

3° Ad hujus societatis rectores pertinet, ex Christi institutione : 1° jus docendi auctoritative et infallibiliter in rebus fidei et morum ; 2° jus sacra faciendi, id est, per idoneos ministros sacrificium offerendi, sacramenta conferendi, necnon procurandi ut cultus exterior convenienter exerceatur ; 3° jus ligandi et solvendi per leges, judicia, poenas, dispensationes, indulgentias, etc.

4° Societas ecclesiastica est corpus quoddam morale et mysticum, quo aliquatenus corpus Christi reale in mundo continuatur. Ecclesia ergo Christo tanquam capiti subjacet, ejus spiritu animatur et vivit ; et singuli Christiani sunt alter alterius membra, inter quae datur mutua bonorum spiritualium communicatio, vi ejus, unusquisque suffragiis publicis Ecclesiae participat.

5° Demum haec societas insignita est quibusdam dotibus ipsi a Christo inditis, et quae hanc omnibus hominibus notam faciunt, nempe : Unitate, Catholicitate, Apostolicitate, et Sanctitate eximia. Est, insuper, ad usque mundi finem indefectibilis, et omnes inferorum assultus debellatura.

## VI. De Novissimis.

1° Status animarum post mortem triplex distinguitur : primus earum quae, plene a peccatis purgatae, fruuntur cum Christo omnimoda beatitudine ; et haec beatitudo consistit in visione Dei intuitiva, seu facie ad faciem, et in amore beatifico ex hac visione necessario profuente. Secundus status est animarum quae exierunt de mundo peccato mortali inquinatae ; et illae, in inferno positae, puniuntur essentialiter poena *damni et sensus*. Harum poenarum prior est irremediabilis separatio a summo Bono ; et posterior est ea qua Deus creaturis, veluti justitiae suae instrumentis, utitur ad torquendos damnatos. Duplex praecedens status in aeternum est duraturus. Tertius autem datur temporaneus : harum, scilicet, animarum quae, quamvis justae, nondum tamen plene a peccati reatu solutae, detinentur in purgatorio variis poenis torquendae, donec justitiae divinae satisfacuerint. Levare tamen, et liberari queunt bonis fidelium operibus, et suffragiis Ecclesiae.

2° In seculorum fine, dabitur universae carnis resurrectio, in qua justis corpus suum reassument configuratum glorioso Christi corpori ; damnati vero corpus suum, immortale quidem, sed caeterorum dotibus orbatum, et aeternaliter cruciandum recuperabunt.

3° Peracta resurrectione, Christus statuet justos a dextris, malos a sinistris ; singulorum conscientias coram universis aperiet ; et sententiam dicet juxta cujusque merita ac demerita ; et sic consummabuntur omnia.

QUAESTIO II<sup>a</sup>

In quo summatim reponatur religionis catholicae doctrina moralis?

22. Resp. Ethica catholica constat praeceptis et consiliis.

1. Praecepta evangelica

Determinant officia hominis erga Deum, erga proximum, erga seipsum.

1<sup>o</sup> *Officia erga Deum* sunt : Ipsum interne et externe revereri per religionis exercitium, Ipsi credere, in Ipsum sperare, ac praesertim illum tota mente, tota anima, toto corde, totis viribus diligere super omnia, et propter seipsum.

2<sup>o</sup> *Officia erga caeteros homines*, ex eodem charitatis praecepto derivantur, scilicet : jubemur diligere omnes omnino homines, etiam inimicos, et quidem eadem virtute, eodemque motivo quo Deus ipse diligitur, scilicet propter Deum. Ille autem amor sit internus, supernaturalis, et praesertim efficax, nos ad omnis generis obsequia praestanda, juxta ordinem debitum et gradum necessitatis, impellens.

Hujus amoris regula est amor quo nosmetipsos diligimus : *omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* (Matth. VII, 12.)

Hujus amoris exemplaria a Christo proposita sunt :  
1<sup>o</sup> misericordia Patris coelestis : *Estote misericordes sicut et Pater vester coelestis misericors est* (Luc. VI, 36). — 2<sup>o</sup> dilectio Christi erga nos, qua passus est mortuus est pro nobis : *Hoc est praeceptum meum ut*

*diligatis invicem sicut dilexi vos* (Joan. XV, 12).  
*In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere* (I. Joan. III, 16). —  
3<sup>o</sup> imo amor quo divinae personae inter se uniuntur : *Pater, sint unum, sicut et nos* (Joan. XVII, 12).

3<sup>o</sup> *Officia erga nosmetipsos* eandem habent radicem charitatis, et ideo : omnia debemus mala temporalia potius quam animae detrimentum tolerare; omnem peccandi occasionem proximam, seclusa necessitate, fugere; omnes inordinatas mentis cogitationes et cordis affectiones, omniaque prava desideria extirpare, et specialiter triplicem cohibere concupiscentiam, scilicet : superbiam, humilitate; avaritiam, divitiarum contemptu; sensualitatem, temperantia et mortificatione.

II. Consilia evangelica.

Nituntur huic exhortationi : *Estote perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est* (Matth. V, 48); et ad quatuor reduci queunt :

1<sup>o</sup> Abjectionem amplecti : *Recumbe in novissimo loco* (Luc. XIV, 10). In quo consilio includitur voluntaria obedientia.

2<sup>o</sup> Perfectam servare continentiam : *Sunt ennuchi qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum* (Matth. XIX, 12).

3<sup>o</sup> Bonis temporalibus valedicere : *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus* (Matth. XIX, 21).

4<sup>o</sup> Injuriarum reparationem non prosequi : *Dico vobis non resistere malo; sed si quis te percusserit*

*in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram (Matth. v, 39).*

QUAESTIO III<sup>a</sup>

Quae sint praecipua doctrinae catholicae capita ad cultum spectantia?

23. Resp. Duo in cultu catholico consideranda sunt: objectum ad quod dirigitur, et actus quibus exercetur.

I. De objecto cultus catholici.

1<sup>o</sup> Cultus supremus, seu cultus patriae absolutus, Deo rependitur, et etiam, ratione Personae divinae, humanitati Christi, quatenus a Verbo terminatur.

2<sup>o</sup> Cultus dulciae superexcellens et singularis, seu cultus hyperdulciae absolutus, decernitur beatae Mariae quae, Mater Dei, et hominum coredeptrix, facta est mater nostra, affectu filiali diligenda, et fiducialiter invocanda.

3<sup>o</sup> Cultus dulciae simplex et absolutus debetur Angelis sanctis, et omnibus Coelicolis, quorum intercessione efficaciter adjuvamus, et ad quos ideo nostras preces humiliter et fiducialiter dirigimus. Insuper, ut jam dictum est, animas in purgatorio detentas, nostris suffragiis, orationibus et satisfactionibus, sublevare et liberare possumus.

4<sup>o</sup> Honoramus etiam varia redemptionis nostrae mysteria, festis intra annum recurrentibus.

5<sup>o</sup> Cultus demum relativus persolvitur Cruci, et passionis Christi instrumentis, imaginibus sanctis, et reliquiis sanctorum.

II. De actibus quibus cultus catholicus exercetur.

I. Alii actus ipsum cultum catholicum substantialiter constituunt, et revocantur ad tres: sacrificium, oratio et susceptio sacramentorum.

a) *In sacrificio Missae*, quod quotidie, ubique terrarum, super innumera altaria offertur, eadem mactatur victima ac super Calvarium, sed modo incruento, et sic indeficienter renovatur et nobis applicatur immolatio Crucis.

b) *Oratio* praescribitur, ut medium cuncta beneficia ad salutem utilia obtinendi, de Providentia ordinaria, necessarium; quod est, insuper, ob iteratas Dei et Christi promissiones, efficacissimum. Christus autem ipse nobis dare dignatus est formulam brevem, claram et simplicem, omnia petenda complectentem, quae *oratio dominica* nuncupatur.

c) *Sacramenta* sensibili signo annexam gratiam vi propria, seu, ut aiunt, *ex opere operato*, conferunt iis qui debite ea suscipiunt, et, ubi agitur de adultis, juxta dispositionum mensuram. Septem numerantur, quae variis vitae christianae necessitatibus respondent: Baptismate nascimur ad vitam supernaturalem; Confirmatione roboramur; nutrimur Eucharistia, quae Christum ipsum, sub speciebus panis et vini, realiter manducandum nobis subministrat, et imo facit permanenter praesentem in altari, ut Ipsum omni hora adire, et cum eo, pro libitu, conversari possimus; Poenitentia a peccatis, quantumvis gravibus et multiplicatis, mundamur; perfecte sanamur per extremam Unctionem, in mortis articulo; Ordine consecrantur ministri sacri, et Matrimonio sanctificatur conjugium.

2. Alii actus quibus cultus catholicus exercetur sunt certi ritus accidentales, quorum nulli a Christo praescripti sunt, quia Ecclesiae suae reliquit jus et officium de illis statuendi, juxta temporum et locorum necessitates. Omnes hi ritus plus minusve proxime referuntur ad Christum, in Eucharistia substantialiter et permanentemente praesentem, totiusque cultus catholici centrum et animam.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Utrum doctrina catholica humani intellectus exigentis apprime respondeat?

24. Resp. Videri potest quod non :

Etenim 1<sup>o</sup> illa doctrina non satis respondet humani intellectus exigentis, quam ab initio sapientissimi inter philosophos non potuerunt admittere, a qua semel accepta multi postea recesserunt, etiam doctores et episcopi. Porro talis est doctrina catholica.

2<sup>o</sup> Praeterea, doctrina haec eo magis displicet, quod cum majori animi libertate et independentia perpendicularitur; ex quo factum est illam hodiernis scientiarum progressibus minus ac minus videri consentaneam.

3<sup>o</sup> Praeterea, si audiantur philosophi ac theologi catholici, multas reperire est quaestiones religiosas, et quidem maximi momenti, quae nec claram, nec certam, nec uniformem habent solutionem, atque inextricabilibus ambagibus et obscuritatibus obvolvuntur; quod sane non consonat humani intellectus exigentis.

4<sup>o</sup> Praeterea, videtur Catholicismus, cognitiones religiosas et philosophicas implacabilis auctoritatis

legi subjiciendo, legitimam rationis nostrae activitatem et evolutionem comprimere.

25. Sed contra dico : *Doctrina catholica legitimis humani intellectus exigentis apprime respondet.*

Etenim, sicut in ordine physico illud dicitur pulchrum quod visu placet, ita, in ordine spirituali, illa doctrina quae mentis oculos demulcet, seu legitimum intelligentiae appetitum satiat, dicitur pulchra. Ad rationem autem pulchri tres, ex D. Thoma, requiruntur conditiones : integritas, ordo partium et claritas; hinc eo major est doctrinae alicujus pulchritudo, quo majori se commendat integritate, harmonia, et claritate. Jam vero tria haec mirum in modum reperiuntur in doctrina catholica.

I. Doctrina catholica gaudet mirabili integritate.

Non tantum enim integram religionem naturalem includit, sed et multa alia eximia superaddendo, omnibus humanae intelligentiae legitimis postulatis plane satisfacit. Quidquid, revera, nostra scire interest de Deo, de processione creaturarum ab Eo, necnon de via ad Eum tendendi, in symbolo catholico reperitur.

1<sup>o</sup> De Deo, per hunc symbolum novimus quid sit, quae sint praecipua ejus attributa; et insuper quomodo ad intra vivit, personarum divinarum, scilicet, mirabili processione.

2<sup>o</sup> De creaturarum processione a Deo, per catholicam religionem edocemur : 1<sup>o</sup> quidquid Deus non est, ab eo de nihilo per actum liberum conditum fuisse; 2<sup>o</sup> ad Deum, a quo originarie exierunt, omnia tanquam ad finem ultimum referri; 3<sup>o</sup> omnes homines

carnali ortu esse fratres ab eodem stipite descendentes; 4° hominem in statu supernaturali fuisse positum, et ab eo, pro se et suis posteris, decidisse; unde explicantur naturae nostrae deordinationes, necnon miseriae quibus subijcitur; 5° praeter homines, Deum puros spiritus creasse innumeros, quorum alii boni permanserunt, et nobis opitulantur; alii sua culpa mali, nobis insidiantur et conantur nos a Deo avertere.

3° *Circa viam ad Deum tendendi*, mediante revelatione christiana, cognoscimus: 1° charitatem incomprehensibilem qua Deus nos per Incarnationem Verbi ejusque infinitas satisfactiones reparavit; 2° quomodo omnes eventus a divina Providentia, ad Christum, ab initio usque ad finem mundi, diriguntur; 3° quibus viis fiat singulis Redemptionis applicatio, et imo quasi quaedam Incarnationis ipsius extensio et participatio, videlicet, per fidem, orationem, et sacramenta; 4° qua ratione omnia in Christo tandem consummabuntur.

Jam vero, doctrinae quae praefatis postulatis satisfacit, revera nihil deesse dicendum est, et vera competit integritas.

26. II. *Doctrina catholica gaudet mirabili harmonia.*

Et hoc dupliciter: 1° propter intimas, quas aperit, relationes inter varia totius universi entia; 2° omnium veritatum, quae proponuntur, nexu indissolubili, perfecta quoque ad invicem ordinatione.

1° *Doctrina catholica nobis intimas aperit relationes inter varia totius universi entia.*

1. *Quoad Deum ipsum*: omnia sane ad illum tanquam ad primum principium, finemque ultimum referuntur.

Insuper, inter divinas personas harmonicae prorsus dantur relationes: Filius procedit a Patre; Spiritus sanctus a Patre et Filio; ratione essentiae, inter se unum sunt; ratione processionis, Pater opponitur Filio prout eum generans, sed cum eo identificatur, prout spirans Spiritum sanctum; Spiritus sanctus autem, quatenus procedens, opponitur Patri et Filio; et cum eis identificatur, prout creaturae ab eis procedunt.

Demum, haec divinarum personarum relationes quodammodo ad creaturas protenduntur, dum Pater Filium nobis miserit, Pater et Filius miserint Spiritum sanctum.

2. *Quoad Christum*: omnia pariter ad eum referuntur. In ipso enim omnia constant, dum Verbum, naturam assumens humanam, quae est veluti omnium creaturarum compendium, omnes, eo ipso, creaturas nobilitaverit, et ad Dei consortium evexerit. In eodem Christo omnia reparantur, et eidem ut supremo Capiti omnia deserviunt.

3. *Quoad Mariam*: sublimes sane relationes habet 1° cum divinis personis, siquidem Patris fecunditatis particeps fuit, Verbi mater effecta est, et Spiritus sancti sponsa; 2° cum Christo, quem sua viscera effuderunt, et cui in orbe redimendo cooperata est; 3° cum caeteris creaturis, quarum Regina existit, et specialiter cum hominibus, erga quos Matris nomen et officium gerit.

4. *Quoad Angelos*: illi referuntur 1° ad Deum, cujus sunt ministri et nuntii; 2° ad mundum physicum

in quem, Deo mandante aut saltem permittente, identidem agunt; 3<sup>o</sup> ad homines quos, tum boni angeli tutantur, tum mali torquent, aut ad peccatum alliciunt; 4<sup>o</sup> ad se invicem, propter ordinem hierarchicum.

5. *Quoad homines* : illi multiplicem, ut patet, relationem habent cum Deo, cum Christo, cum Maria, cum Angelis, cum mundo physico. Insuper inter se uniuntur, et communione originis, et vinculo charitatis, et societate ecclesiastica, et ineffabili quod viget commercio inter Ecclesiam triumphantem, militantem et patientem.

6. *Quoad mundum physicum* : mundus enim physicus totius universi partibus intime conjungitur ac speciatim cum hominibus. Nam illorum utilitati incunctanter deservit, illos ad invisibilia Dei cognoscenda multum adjuvat, ipsis nonnunquam justis doloris et salutaris poenitentiae occasionem praebet, imo et sacramentorum materiam suppeditat, fitque gratiae supernaturalis canalus, et ad Dei cultum exteriorem concurrat.

Ergo in catholico systemate, luculenter sese exerunt relationes inter varia totius universi entia.

2<sup>o</sup> *Veritatum symboli catholici indissolubilis est nexus, perfecta quae ad invicem ordinatio.*

Efformant quippe corpus doctrinale sapientissime concinnatum, cujus varia membra ita inter se cohaerent, ut nihil detrahi valeat, quin totum laedi videatur. Ad cujus evidentiam, tria consideranda sunt : 1<sup>o</sup> convenientia dogmatum inter se, 2<sup>o</sup> convenientia dogmatum cum veritatibus practicis, 3<sup>o</sup> convenientia veritatum practicarum inter se.

1<sup>o</sup> *Convenientia dogmatum inter se.*

Omnia enim dogmata catholica indissolubili nexu connectuntur cum Redemptionis mysterio, sive antecederent seu praesuppositiva, sive consequenter seu veluti totidem ejus consecutaria.

Dogma sane Redemptionis praesupponit, 1<sup>o</sup> mysterium SS. Trinitatis, cum opus illud sit proprium secundae personae, quae carnem, operante Spiritu sancto, assumpsit; 2<sup>o</sup> peccatum originale, cujus reparandi gratia Verbum fuit incarnatum; ac proinde, 3<sup>o</sup> statum innocentiae originalis, destinationemque hominis ad finem supernaturalem, etc. etc. Caetera autem mysteria ex Redemptionis dogmate diffluunt, qualia sunt : justificatio, gratiarum distributio, sacramenta, Ecclesiae institutio et auctoritas, resurrectio corporum, et sanctorum glorificatio, etc.

2<sup>o</sup> *Convenientia dogmatum christianorum cum veritatibus practicis.*

Catholicismus enim dogmaticus practicum appellat, 1<sup>o</sup> statuendo varias entium universi inter se relationes, seu fundamenta officiorum quae ex hisce relationibus sponte oriuntur, nempe : variorum hominis officiorum erga Deum, erga Christum, erga B. Mariam, erga Angelos, erga Beatos, erga caeteros homines, erga semetipsos, imo regulas in ipsiusmet mundi physici usu observandas; 2<sup>o</sup> sanctionem efficacissimam proponendo, in virtutis jucunditate, et praesertim aeterna remuneratione, necnon in vindicta scelerum ab omnipotenti Deo exercenda; 3<sup>o</sup> peccati originem, causas, et remedia assignando.

3<sup>o</sup> *Convenientia veritatum practicarum inter se.*

Omnia hominis officia connectuntur in uno, nempe :

amandi Deum propter se et super omnia, et, propter Deum, amandi quicquid et ipse diligit.

Hinc, quia Deus cuncta quae sunt diligit, et quidem amore perfecte ordinato, ita et nos ipsi, ad ejus imitationem, cuncta diligere debemus charitate bene ordinata, omnem defectum et excessum excludente. Hoc simplici principio, varia ethices christianae officia optime inter se concordant. Sic v. g. in homine individuo, abnegatio sui minime curam proprii interesse impedit; honorum animae inquisitio non obstat quin nobis in ordine temporali provideamus; in societate civili, auctoritas cum libertate, et libertas cum auctoritate justo temperamento conjunguntur, nec civis in statu absorbetur, nec status traditur arbitrio multitudinis; nulla a priori removetur regiminis forma; potestas civilis et potestas religiosa ab invicem recte discernuntur, nec tamen separantur, sed conjunctis viribus cum debita subordinatione procedunt; demum in societate universali, charitas inter omnes populos exercenda, minime amorem patriae extinguere nata est, etc. Ergo 2<sup>o</sup> in doctrina catholica mirabilis refulget harmonia.

27. III. Doctrina catholica sua etiam mirabili claritate commendatur.

Et hoc patet ex tribus :

a) Nullo modo lumen rationis naturale offendit. In dogmatibus enim christianis, etiam magis reconditis et supra mentis captum positis, nunquam detegi potuit contradictio aut repugnantia, quantumvis longa et hostili decem et novem seculorum crisi trutinata fuerint.

b) Eadem doctrina, sua claritate sublimi, est fons lucis indeficiens, eo quod inexhaustam subministret materiam philosophorum praestantissimorum speculationibus ac meditationibus. Id satis ostendunt innumerae illae pulcherrimaeque consecutiones ex illa, seculorum tractu, deductae, et quibus tum acta conciliorum, tum sanctorum Patrum, theologorum, doctorum libri redundant; sic, v. g., mysterium Redemptionis maximum diffundit lumen super divina attributa, uti : Potentiam, Sapientiam, Sanctitatem, Justitiam, Misericordiam; necnon incredibiliter adauget aestimationem habendam de pretio animae, de foeditate peccati, de poenis a Deo infligendis iis qui damnantur, et de beatitudine reservata salvandis... etc. Et revera compertum est auctores catholicos, prae caeteris omnibus, digniora et altiora de Deo rebusque divinis sentire et loqui.

c) Veritates catholicae, quantumvis sublimes et profundae, proponuntur terminis ita claris et intelligibilibus, ut nemo sit, etiam rudis et imperitus, qui eas facili negotio non valeat sufficienter capere et retinere. Insuper, habent catholici fideles, in auctoritate docenti Ecclesiae, medium tutum, eorum infirmitati maxime accommodatum, quo prompte edoceantur, eorum dubia solvantur, et ab innumeris praeserventur cavillationibus et fluctuationibus. Ergo...., aliunde.... Ergo.

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur n. 24.

28. Ad 1. Cum doctrina catholica, et superbiam mentis plurimum coerceat, et efferatas comprimat passiones, non mirum si multi inter philosophos illi

restiterint, eamque deinceps multi, inter malos Catholicos, deseruerint et impugnaverint. At doctrinae Catholicismo oppositae, et innumeris scatebant contradictionibus, obscuritatibus et absurditatibus, et nonnisi ob male vivendi licentiam quam inducebant, tot apud homines praevaluerunt.

29. *Ad 2.* Recentioris aetatis progressus scientifici a nullo unquam ostendi potuerunt veritati catholicae repugnantes; sed quae allegari solent, vel sunt facta imaginaria aut male observata, vel sunt hypotheses non probatae, aliquandiu ab aliquibus celebratae, et mox ab iisdem derelictae. E contra, vera scientia, quanto magis evolvitur, tanto magis fidem confirmat, et ad eam eos qui recto sunt corde ducere solet.

30. *Ad 3.* Rationabiliter postulari non potest ea in omnibus quaestionibus claritas et certitudo quae habebitur in caelis; nec symbolum catholicum, de quo nunc agitur, coalescit nisi ex veritatibus sub obligatione admittendis. Sufficit vero, ad intellectus humani exigentias, quod adsit in mundo Judex controversiarum, a quo omnia dubia tuto et infallibiliter solvantur, quoties id ad fidelium directionem et tutamen necessarium est.

31. *Ad 4.* Obligatio standi decisionibus dogmaticis ab auctoritate fallibili, esset sane tyrannica, et legitimae rationis evolutioni nociva. At, posita infallibilitate doctrinali, jugum ab illa mentibus impositum haberi debet ut suave et utilissimum; quia tunc non excluditur ingenii activitas circa quaestiones innumeras adhuc disputatas, necnon circa conclusiones ex definitis veritatibus eruendas, sed intra veri limites feliciter continetur, et sic obtinetur salutaris pro-

gressus. Libertas autem omnimoda dogmatizandi confusionem et divisionem generat, et ducit ad chaos intellectuale et ad interitum fidei, uti patet exemplo Protestantium.

QUAESTIO V<sup>a</sup>.

Utrum doctrina catholica voluntatis humanae necessitatibus perfectissime accommodetur?

32. *Resp.* videri potest quod non.

Etenim 1<sup>o</sup> Vult Catholicismus ut homo semetipsum abneget, et in terrenarum rerum contemptu vivat. Atqui id videtur contra naturam, et nostris legitimis instinctibus injuriosum.

2<sup>o</sup> Praeterea, juxta fidem catholicam, finis humanae vitae ultimus consistit in unione beatifica cum summo Bono. Atqui talis finis videtur verae abnegationi tantopere commendatae contradicere. Unde bonum virtutis idealiter spectatum, quale sibi proponunt Rationalistae, est quid purius et nobilius, quia magis a proprio interesse depuratum. Ergo.

33. *Sed contra dico:* *Doctrina catholica voluntatis humanae necessitatibus perfectissime accommodatur.*

Et hoc propter tria; nempe: 1<sup>o</sup> dat regulas agenditutas et perfectas; 2<sup>o</sup> sanctitatis exercendae stimulos potentissimos proponit; 3<sup>o</sup> voluntati inspirat dispositiones sanctitati exercendae maxime congruas.

*I. Religio catholica voluntati regulas agendi dat tutas atque perfectas.*

Nullus enim excogitari potest virtutis actus quem non praecipiat, aut non suadeat; nullus actus inordinatus quem sub gravi aut sub levi non prohibeat; et



ideo non est ullum sanctitatis fastigium, ad quod non possit conducere fidelis mandatorum et consiliorum observatio; et omnes virtutes quae animo fingi queant, etiam in unum collectae, non exhibent nisi perfecti Christiani ideam.

Id aperte liquet ex accurata et simplici ethices catholicae expositione, quae tota ad illud principium fundamentale reducitur, nempe: Deus super omnia et propter se tota anima, toto corde, totis viribus diligendus est, et ad ipsius majorem gloriam caetera omnia referenda sunt, et ideo nihil optabilius quam voluntatem propriam totaliter exterminare, et solo Dei spiritu in cunctis actibus suis deliberatis animari. Jam vero regula agendi tutior et sublimior excogitari nequit. Ergo.

II. *Religio catholica humanae voluntatis stimulos sanctitatis exercendae potentissimos praebet.*

Stimuli illi quatuor numerantur: 1° sanctio sufficiens, 2° sublimitas exemplaris, 3° vis motivorum; 4° efficacia mediorum.

1<sup>us</sup> stimulus: *sanctio sufficiens*. Nulla certe sufficientior est ac aeterna Dei possessio per visionem beatificam, cum omnium bonorum plenitudine, in coelis justis promissa; et aeterna Dei privatio, cum igne devorante, quae peccatoribus imminet. Haec est autem sanctio legis christianae.

2<sup>us</sup> stimulus: *sublimitas exemplaris* quod omnibus proponitur, et est sanctitas ipsa essentialis caro facta, et iisdem ac nos infirmitatibus subjacens.

3<sup>us</sup> stimulus: *vis motivorum*. Proponuntur enim sanctitatis motiva, et varia pro cujusvis ingenio et indole, et simul vim quamdam quasi infinitam haben-

tia, ita ut quantumlibet proficiamus, semper nos ad magis proficiendum incitent, sive spectetur virtutis excolendae excellentia, necessitas, utilitas, jucunditas, sive vitiorum fugiendorum turpitudine, malitia, amaritudo, lugendaque consecraria.

4<sup>us</sup> stimulus: *mediorum efficacia*. Homo enim, quamvis ex se solo sit ad omne bonum impotens, Dei tamen omnipotentissimo auxilio indesinenter adjuvatur, et hanc gratiam, in oratione et sacramentis pro libitu haurit, et cum Paulo fidenter dicit: *Omnia possum in eo qui me confortat* (Philip. IV, 13).

III. *Religio catholica nata est humanae voluntati inspirare dispositiones ad sanctitatem excolendam maxime congruas.*

Ad virtutem enim excolendam, tres potissimum dispositiones inserviunt: 1° humilitas sine pusillanimitate, 2° obedientia sine servilitate, 3° fiducia sine praesumptione. Atqui triplex illa dispositio est religionis catholicae fructus conaturalis.

1° *Humilitas sine pusillanimitate*. Adest in homine innatus et quidem legitimus propriae excellentiae amor, quem peccatum deordinavit. Hunc autem appetitum religio catholica quatenus legitimum implet, quatenus deordinatum corrigit. Implet illum, nobis promittendo divinae naturae consortium, et talem cum Christo conjunctionem, qua unusquisque exclamet: *Vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal. II, 20). Eundem appetitum comprimit per necessitatem sese cum Christo humiliandi, qui semetipsum exinanivit; unde quanto profundior erit humilitas, tanto Deo et Christo sumus proximiores et familiariores.

2° *Obedientia sine servilitate*. Innatus est etiam

libertatis appetitus, quem tamen vitiavit peccatum. Hunc autem religio catholica implet simul ac comprimit. Docet enim: 1° veram hominis libertatem consistere in perfecta suae voluntatis conformitate cum voluntate divina; ex qua unione voluntatum, libertas nostra cum Dei libertate confunditur. At nulla cogitari potest major ac felicitior libertas, eo quod nulla nos ab omni passionum et hominum mundique servitute potentius eximit. — Docet 2°: omnem legitimam auctoritatem a Deo solo fontaliter descendere. Nullus itaque est superior legitimus cui liceat obedientiam detrectare; et tamen haec tanta subjectio minime humanam dignitatem deprimit, cum realiter Enti supremo et infinito exhibeatur, cujus vices gerit principatum tenens.

3° *Fiducia sine praesumptione*. Ex una enim parte, catholica religio nos ad omnimodam fiduciam erigit. Admonet siquidem Deum sincere velle omnium salutem, uniuscujusque nostrum curam peramanter agere; asserit Ipsum nos in hac vita peccantes misericorditer et indesinenter expectare, invitare ad poenitentiam, et gratanter, quoties sincere de commissis dolemus, recipere et osculari; additque Christi satisfactiones et merita in nostram esse dispositionem, tamquam thesaurum communem semper apertum et inexhauribilem.

Ex altera parte praesumptio removetur. Nam, juxta doctrinam catholicam, 1° gratia Dei non sufficit absque nostra cooperatione, 2° haec gratia datur petentibus et coperantibus, juxta fervoris et cooperationis mensuram, 3° de hac sufficienti cooperatione nunquam, extra specialem, revelationem, certi sumus; unde nemo

scit utrum odio vel amore dignus sit; 4° a fortiori, nec pro futuro perfecte securi sumus; quia non cessant tentationes et pericula, neque donum perseverantiae de condigno quis meretur; et quia singulis instantibus, nos incaute in peccato viventes, mors de medio tollere potest, et ante tribunal Christi projicere, ubi nulla impenitentibus indulgentia speranda est. Ergo... Aliunde... Ergo...

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n° 32.

34. *Ad 1.* Illa sola naturalis inclinatio [ab ethica catholica reprobatur, qua homo seipsum et res creatas inordinate, seu contra Deum et extra Ipsius beneplacitum, diligit. Et insuper non exigit sub praecepto omnimodam sui et mundi immolationem, neque, ut omnes, religiosorum instar, se ad consilia evangelica obligent.

35. *Ad 2.* Haec totalis proprii interesse abdicatio, qualem fingunt Rationalistae, est prorsus chimaerica et naturae contraria; sed, quod ultimus finis noster in unione beatifica cum summo Bono reponatur, perfecte rectae rationis dictamini consentaneum est, siquidem, Deus ad extra non potest agere ut perfectionem sibi acquirat, sed tantum ut propriam communicet. Hinc fit, mirabili concentu, nostram felicitatem cum Dei ipsius gloria consociatam esse, et ad hanc optime referibilem.

QUAESTIO VI<sup>a</sup>

Utrum doctrina catholica legitimas humani cordis aspirationes perfecte impleat?

36. *Resp.* Videri potest quod non.

Etenim 1° cor appetit consolationem et remedium

adversus malum doloris, et praesertim malum peccati, quo incessanter affligimur. Atqui tale sublevamen nedum subministret religio catholica, nos e contra magis contristat. Vult enim varias praesentis vitae miserias, Deo sic providente, ex peccato primi parentis, ejus nec consilii nec complices fuimus, oriri, et singulos homines hujusce peccati macula nasci foedatos, indeque ad omnis generis flagitia praecipites dari ex nativa sua corruptione.

2<sup>o</sup> Praeterea, cum homo essentialiter sit defectibilis, metaphysice repugnat hunc aliquod bonum opus agere, absque gratuito Dei primi moventis beneficio; et tamen Deus, solo suo nutu, si credantur theologi catholici, beneficium illud nobis denegat quoties peccamus. Sed talis doctrina ad nihil valet nisi ad corda hominum ultra modum ansianda,

3<sup>o</sup> Praeterea, juxta Catholicos, Deus ipse decernit innumeros homines ponere in iis circumstantiis in quibus praevidet eos aeternaliter damnandos fore; quinimo, sola sua voluntate paucos eligit ad gloriam, et caeteros omnes ab hujusmodi electione excludit; at nihil magis alienum est a legitimis cordis humani aspirationibus.

**37. Sed contra dico:** *Religio catholica, quo melius observatur, eo magis legitimis humani cordis aspirationes implet.*

Nam humani cordis aspirationes considerari possunt, tum in ordine ad seipsum, tum in ordine ad caeteras creaturas, tum in ordine ad Deum. Jam vero fidelis observatio religionis catholicae, sub hoc triplici respectu, cor hominis mirabiliter quietat.

1<sup>o</sup> *Fidelis catholicae religionis observatio cor hominis in seipso mirabiliter quietat.*

Duplex enim malum cor hominis perturbare solet, nempe: malum poenae, et malum culpa. Sed fidelis religionis catholicae observator a nullo eorum perturbatur.

Non a malo poenae: bona siquidem creata, quorum privatione tristamur, non sunt, juxta doctrinam catholicam, appetibilia, nisi quatenus ad Deum nos conducunt; mala autem temporalia patienter tolerata, sunt bonorum spiritualium fons uberrimus, et nos Christo similes efficiendo, tutum praestant iter ad aeternam beatitudinem.

Malum autem culpa, quod est unice verum malum, totum oritur a libertatis abusu, et ille abusus semper praecaveri potest, aut saltem per salutarem poenitentiam reparari, ad quod nobis copiosa gratia, vi satisfactionum Christi, semper conceditur.

Ex qua sublimi philosophia christiana, homo ediscit semetipsum recte diligere et prudenter odisse, viasque pacis ingreditur, dum nec inutilibus sollicitatur desideriis, nec vanis anxietatibus cruciatur; quia sola vera et aeterna bona appetens, de eorundem assecutione habet omnem securitatem quae haberi potest. Nihil autem amplius ad plenam cordis quietem requiritur. Ergo.....

2<sup>o</sup> *Fidelis catholicae religionis observatio legitimis humani cordis aspirationes in ordine ad caeteras creaturas implet.*

Etenim amari et amare est princeps humani cordis aspiratio. Sed fidelis legis christianae observator dulcissimum et efficacissimum amicitiae commercium habet cum omnibus creaturis. Eadem quippe caritate qua Deum diligimus, diligimus etiam quidquid Deus

fecit et amat. Hinc nihil est in mundo quod, prout est opus Dei, nobis debeat displicere, et non sit juste et sancte amandum. Quod si caeteros plus diligentes ab illis minus diligamur, aut etiam odio habeamur, amor non cessat esse mutuus, quia Illius erit vicem rependere, quem super omnia et in omnibus intendimus, et qui dixit: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (Matth. xxv, 40).

Illud autem amicitiae commercium, jucundius et intimius faciunt communionis vincula Christianorum in hoc mundo degentium inter se, necnon cum Ecclesia triumphante et patiente. Insuper cum Angelis ipsis continuo conversamur, et unusquisque accipit a Deo unum eorum quo indesinenter custoditur, dirigitur et adjuvatur. Et quid dicam de hac ineffabili communicatione nos cum B. Maria, quae mater nostra effecta est, conjungente! Ergo.

3° *Etiā humani cordis in ordine ad Deum aspirationes, fidei legis christianae observatione, mirabiliter satiantur.*

Cor hominis naturaliter desiderat Deo approximare, eique intimius adhaerere. Atqui ille appetitus complete satiatur in religione christiana perfecte servata. Duo siquidem impedimenta huic optatae adhaesioni obstant: et nimia naturae humanae cum divina disproportionio, et nostra ad malum propensio. Unde ad perficiendam unionem necesse est ut Deus, et se nobis attemperet, et nos gratiae suae auxilio sanctificet, necnon ad se evehat. At utrumque reperies in catholica religione.

1° Deus hominem ad justificationem disponit per gratias suas actuales, hunc semel dispositum ad di-

vinæ naturae consortium extollit, ipsius animam inhabitat, et hanc sublimem sui communicationem actibus supernaturalibus quotidie adaugendam curat.

2° Ut autem facilius panderetur via praefatae justificationi, Filius Dei ipse, nostram assumens naturam, factus est nobis consanguineus et frater, inter brachia matris suae ac nostrae nos ad redamandum dulciter provocat, induit nostras infirmitates, ut eas auferat, peccatorum nostrorum reatum voluntarie subiit, ut ea expiet et nos cum Patre reconciliet suo, universa bona sua nobis elargitur: merita, satisfactiones, mortis suae pretium, propriamque regni coelestis haereditatem. Nec satis: in sacramento altaris hunc habemus socium inseparabilem, victimam quotidie mactatam, et panem vitae. Hinc in Ipso, cum Ipso, et per Ipsum, Deo offerimus adorationes, gratiarum actiones, expiationes infinitas, et omnia bona per Ipsius intercessionem, quae est infiniti valoris, impetramus.

3° Tandem, longe excellentiorem expectamus cum Deo communionem in coelis, ubi videbimus eum facie ad faciem, et infinitae Ipsius bonitatis oceano totaliter et sine fine submergemur.

Utrum ergo concipere liceat cum Deo amicitiam nostri cordis aspirationibus plenius respondentem? Ergo... Aliunde... Ergo...

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 36.

38. *Ad 1.* Considerando mala sive culpae sive poenae, quibus in praesenti statu obnoxius est, homo inducitur ad humilitatem, sui diffidentiam, vigilantiam, orationem, poenitentiam et mortificationem. Spectatis autem remediis beneficiisque a Deo ipsi prae-

paratis, nedum jus habeat conquerendi legitimas sui cordis aspirationes impleri non posse, magis e contra Dei Misericordiam et Sapientiam debet demirari, qui sic malum in bonum convertere mirabiliter cognovit. Neque refert praedicta mala originem ducere ex peccato primi parentis; Deus enim non debebat homini innocentiam originalem, potuitque eum ab initio creare iisdem infirmitatibus subjectum, nec ad finem supernaturalem ordinare. Ergo nunquam satis est laudandus.

39. *Ad 2 et 3.* Religio catholica dijudicanda non est juxta sententias theologorum nullo modo definitas, et quas respuere cuique prorsus licitum est. Jam vero, a nemine catholico exigitur, ut credat gratiam qua bonum operamur esse ab intrinseco et independenter a nostro consensu efficacem, hancque Deum aliquibus ex solo suo beneplacito denegare. Neque est definitum, ex hominibus nonnullos ante praevisionem meritorum ad gloriam praedestinos fuisse, et caeteros omnes ab hac praedestinatione exclusos esse ante praevisionem demeritorum. Ergo immerito quis Catholicismum renueret amplecti, propter sententiam Thomistarum de efficacitate gratiae et praedestinatione gratuita.

40. De caetero, omnes omnium scholarum theologi pro indubitato tenent, liberum hominis arbitrium sub Dei influxu remanere omnino illaesum, et Deum sincere velle omnium salutem, ita ut singulis auxilia ad hanc obtinendam sufficientia, et imo superabundantia, elargiatur, nullusque peccet aut aeternaliter pereat, nisi quia vult. Haec plane ad mentis nostrae nimias anxietates removendas sufficiunt.

QUAESTIO VII<sup>a</sup>

Utrum religio catholica facultatibus etiam sensibilibus legitimam det satisfactionem?

41. *Resp.* Videri potest quod non.

Etenim religio catholica eo potissimum tendit, ut hominem, quantum possibile est, a rerum visibilium cogitatione et desiderio abstrahat, convertatque ad spiritualia et supernaturalia. Docet igitur sensus externos mortificare, divitias proculcare, sensibilitatem et imaginationem cohibere. Sed haec tendentia certe minime favet legitimae propensioni, qua ad proprium corpus, necnon ad pulchrum et bonum sensibile ferimur. Ergo religio catholica facultatibus sensibilibus non dat justam satisfactionem.

42. *Sed contra dico: Religio catholica facultatibus etiam sensibilibus legitimam dat satisfactionem.*

*Prob.* Homo ratione facultatum sensibilibus, triplicem innatum appetitum experitur: unus est fundamentalis, nempe: propensio ad proprium corpus; duo alii ex hoc procedunt, scilicet: amor pulchri sensibilis qui generat culturam artium liberalium, et amor boni sensibilis, qui generat studium scientiarum physicarum, necnon cultum commercii et industriae. Atqui per religionem catholicam, tribus hisce appetitibus legitima datur satisfactio.

1<sup>o</sup> *Per religionem catholicam legitima datur satisfactio propensioni qua homo fertur ad proprium corpus.*

Etenim corpus humanum, ex quo tempore Verbum

caro factum est, multum sane nobilitatum est; at praesertim ex corporis Christi per communionem eucharisticam manducatione, ultra quod cogitari potest, extollitur. Inde fluit obligatio illud reverenter tractandi, ejus motus inordinatos refraenandi, ipsumque per modestiam religiosam ac pene divinam componendi. Quinimo, nihil dignius videtur quam illud, Christi corporis instar, veluti expiationis victimam, jugi mortificatione Deo immolare.

Hoc autem corpus tam reverenter et tam sancte tractatum, post mortem, sub umbra Crucis, terrae commendabitur, donec illucescat dies resurrectionis, qua configurabitur Christi corpori glorioso, et in omnibus sensibus suis per congruas et purissimas delectationes, praemiabitur.

Certe melior excogitari nequit satisfactio data propensioni qua ad proprium corpus ferimur.

2<sup>o</sup> *Amor etiam pulchri sensibilis convenientissime in religione catholica satiatur.*

Id fit exterioris et publici cultus exercitio. Ad hunc enim cultum erigi debent templa et altaria, convocari coetus, celebrari cantus, recitari officia; peragi caeremoniae, pronuntiari conciones, ministrari sacramenta, solemnes ad Deum dirigi supplicationes, etc. Necesse est igitur, ut cultui catholico concurrant omnes artes liberales: architectura, pictura, sculptura, musica, poesis, eloquentia, necnon vestium, vasorum et ornamentorum confectio et apparatus.

Quatuor autem notanda sunt potentissima cultus catholici incitamenta.

1<sup>um</sup> *incitamentum* reponitur in dignitate et sanctitate objecti. Illud objectum est Deus ipse, omnium

possibilium perfectionum oceanus infinitus; Christus, seu typus humanitatis deificatae; B. Maria, mater Dei et Virgo, universi Regina, omnium purarum creaturarum absolutissimum exemplar; innumerabilium Angelorum splendidissimus exercitus, et omnes Sancti in Coelo regnantes, quorum singuli specialem diversamque sanctitatis Christi adumbrationem referunt. Praedicti autem objecti excellentia luculentius et vividius apprehenditur, ex sua oppositione cum consummatae perversitatis et infelicitatis typis, Satana, videlicet, necnon angelis ejus, qui nostris oculis veluti monstra summopere execranda et impugnanda subjiciuntur.

2<sup>um</sup> *incitamentum* cultus catholici reponitur in suarum manifestationum libertate. Cum enim Christus, praeter materiam et formam sacramentorum, nullos speciales ritus instituerit, sed eos determinandos, attentis locorum et temporum exigentiis, Ecclesiae suae reliquerit, hinc melius variarum gentium indoli, necnon pio ac legitimo instinctui fidelium attemperantur, novaeque in dies enasci queunt devotiones, prout circumstantiae postulaverint, absque unitatis ac veritatis detrimento.

3<sup>um</sup> *incitamentum* ex priori fluens, est ipsamet multiplicitas et diversitas festorum per annum decurrentium. Varia siquidem religionis mysteria, quae festis sibi miro ordine succedentibus recoluntur, Sancti etiam quorum memoria suis temporibus celebratur, sunt sane thema locupletissimum, quo imaginatio fidelium dulciter ac pie detinetur, exardescit devotio sensibilis, et divina quaedam excitatur inspiratio.

4<sup>um</sup> *denique incitamentum* est ipsemet Christus in

Eucharistia praesens. Ad hunc enim totus ille precum, festorum, officiorum, et caeremoniarum apparatus refertur; ex quo fit incredibili fervore inflammari fidelium mentes, ac quasi continuo personare vocem hanc Ecclesiae canentis: *Quantum potes, tantum aude; quia major omni laude, nec laudare sufficis.* VERITATIS

3<sup>o</sup> Amor quoque boni sensibilis legitimam a religione catholica accipit satisfactionem.

In hac enim, et commercium, et industria, et scientiarum physicarum evolutio, magnum et conveniens habent emolumentum; et id patet ex tribus:

1<sup>o</sup> Illa religio laboris legem homini lapsa his verbis impositam: *In sudore vultus tui vesceris pane*, agnoscit et urget. Docet bona temporalia per Deum, juxta Providentiae suae ordinem, hominibus obvenire, cum obligatione eorum curam gerendi, et, prout oportet, familiae suae providendi. Nobis insuper exhibet mundum physicum tanquam divinum opus, quod prorsus decet a nobis perscrutari, quatenus Dei attributa invisibilia, per ea quae facta sunt, melius percipiuntur, et etiam tanquam nostrum dominium, cujus vires et leges ad proprios usus a nobis legitime convertuntur.

2<sup>o</sup> Religio catholica, suo salutari influxu, ac supernaturali sua directione, impedit ne bonis temporalibus male utendo, homines revocentur a coelestibus, et in terrenis demergantur, sicque fiant scientiae physicae, industria et commercium, corruptionis ac perditionis instrumenta.

3<sup>o</sup> Eadem religio providet, ut humana inventa ac commercium inserviant ad Deum melius cognoscen-

dum et colendum, ad latius disseminandam christianam fraternitatem, ad necessitates miserorum sublevandas, ad religionis ipsius propagationem, sustentationem et decorem. Unde fit homines sic emolumenta temporalia percipere, ut spiritualibus simul cumulentur. Ergo...

Sic igitur respondendum ad id quod opponitur n. 41.

43. Falsum est in Catholicismo hominem totaliter a sensibilibus et temporalibus abstrahi; sed providetur ut elementum inferius, videlicet, sensibile et temporale, nedum elementum superius, videlicet, spirituale et aeternum, opprimat et deturpet, ab illo e contra nobilitetur, et in illud quasi transformetur et deficiatur.

#### QUAESTIO VIII<sup>a</sup>

Utrum singularis religionis catholicae excellentia sit nota certa veritatis?

44. Resp. Videri potest quod non.

Etenim 1<sup>o</sup> Sensim ac sensim, labentibus seculis, per novas Conciliorum et Pontificum definitiones, doctrina catholica-romana efformata est. Est ergo naturalis humani ingenii foetus.

2<sup>o</sup> Praeterea, Catholicismus cum Mosaismo, quoad partes essentielles ac praecipuas, identificatur. Ergo ex illo ducere potuit originem absque nova revelatione.

3<sup>o</sup> Praeterea, varia dogmata, praecepta et ritus religionis catholicae, reperiuntur dispersa in diversis systematibus veterum philosophorum, necnon in aliarum religionum antiquarum libris sacris. Ergo non repugnat eam ex hisce systematibus et libris humano labore collectam esse.

45. Sed contra dico : *Singularis excellentia Catholicismi est veritatis nota certissima.*

Etenim omne miraculum intellectuale certo et divinitus patratum in favorem alicujus religionis, habet vim demonstrativam. Atqui singularis Catholicismi excellentia est miraculum hujusmodi. Tota difficultas reducitur ad hujusce facti miraculositatem probandam. Nam, quod illud sit miraculum in confirmationem doctrinae catholicae, est evidentissimum; quod insuper illud miraculum, posito quod revera detur, nulla secum ferat indicia diabolici interventus sed contraria potius, non minus liquet. Ergo unice nobis incumbit onus probandi, doctrinae tam eximiae inventionem superare vires naturales cujusvis ingenii humani.

Jam vero, quid valeant in religiosa doctrina excogitanda naturales humani intellectus vires, melius cognoscere non possumus, quam considerando quid revera obtinuerint, apud viros praestantissimi ingenii qui unquam extiterunt. Sed viri in tota antiquitate praestantissimi ingenii, 1<sup>o</sup> nullum excogitaverunt religiosum systema quod multis ac certis erroribus non scateat, 2<sup>o</sup> multo minus quod legitimis rationis, voluntatis, cordis ac facultatum sensibillium postulatis satisfaceret plene, 3<sup>o</sup> et tamen ii viri, non tantum extraordinaria perspicacitate pollebant, sed et scholas et academias frequentaverant, et libros veterum perlegerant, et saepe longa aggressi fuerant itinera apud gentes excultissimas, ut eorum monumenta et traditiones interrogarent.

Atqui longe diversa est conditio religionis catholicae.

1<sup>o</sup> Non tantum religionem naturalem integram et

inviolatam exhibet, sed et alia ejus dogmata, quamvis captum mentis superent, nunquam tamen, sincere exposita, efficaciter impugnata sunt, quasi aliquid absurdi aut noxii continerent, quantumcumque increduli id ostendere conati fuerint.

2<sup>o</sup> Haec eadem religio, ut vidimus, ad quaecumque legitima rationis, voluntatis, cordis et facultatum sensibillium postulata respondet, quantum satis est ad directionem et consolationem vitae; et id praestatur modo quodam supereminenti, quo humanus sensus exsuperatur et attonitus stupet. Quinimo, quo magis mens veritates catholicas meditatur, eo magis sibi perfecte convenire apprehendit.

3<sup>o</sup> Et tamen, quae cum ita sint, viri illi per quos primo Evangelium praedicatum est, simplices erant atque illiterati, scholas non frequentaverant, libros veterum non perlegerant, et traditiones non interrogaverant. Christus ipse, qui suam doctrinam Apostolis tradidit, hanc investigationibus humanis certe non acquisivit, atque sine methodo scientifica, et argumentorum philosophicorum apparatu, sed simpliciter asserendo, data occasione, quasi sibi innatam promulgavit.

Porro, hi omnes religionis catholicae characteres satis clare indicant ejus cognitionem tribui non posse naturalibus humani ingenii viribus, sed esse prorsus miraculosam.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 44.

46. *Ad 1.* Religio catholica, qualis nunc est, talis fuit et ab initio. Ecclesia enim semper semetipsam exhibuit veluti omni novitate infensissimam; et in



dirimendis dubiis, pro regula invariabili habuit discernere quid antea tenebatur; et quoties aliqua assertio ipsi visa est doctrinae ab Apostolis traditae non apprime conformis, incunctanter hanc censuit esse procul rejiciendam. Novae autem definitiones non sunt nisi veterum dogmatum declarationes, ideo datae ut nihil innovetur. Ergo religio catholica non sensim per longum temporis spatium efformata est, sed ab ortu suo fuit in se completa, et hoc est certe novum divinitatis indicium.

47. *Ad 2.* Religio catholica usque ad mundi originem, mediantibus aliis revelationibus minus completis, revera ascendit. Revelatio autem mosaica christianam immediate praecedit, et est primaeva revelatione locupletior, et, quoad partem dogmaticam et moralem, cum catholica confunditur. At multa Christus religioni mosaicae superaddidit, quae suam ad excellentius sine comparatione sublimitatis fastigium evehunt. Sic, quae subobscurè proponebantur in veteri Testamento, in novo cum praecisione et claritate traduntur; quod in priori erat promissum et figuratum, in posteriori ostenditur impletum; ritus mosaici erant mere symbolici, christiani autem dantur ut efficaces gratiae causae; una religio fuit localis et temporaria, alia est universalis et perpetua. Et revera multi exstiterunt apud Judaeos in lege peritissimi; nonne unquam quid simile symbolo christiano suspicati sunt? Cognitio igitur doctrinae mosaicae naturaliter Evangelium parere non potuit.

48. *Ad 3.* Quia hujus difficultatis solutio ampliori indiget explicatione, remittitur ad quaestionem sequentem.

QUAESTIO IX<sup>a</sup>

Utrum dici possit doctrinam catholicam romanam, ex veteribus religionibus, humana industria conflata esse?

(Vide de Broglie : *Hist. des relig.*, ch. VIII et IX.)

49. *Resp.* Observant increduli, omnia fere religionis catholico-romanae elementa plus minusve in veteribus religionibus reperiri. In istis enim, sicut in Catholicismo, afferuntur revelationes, miracula, prophetiae, lapsus originalis, hominum salvator et instaurator, ritus et caeremoniae, processiones, piae peregrinationes, incensiones, vestes sacerdotales, preces, *ex voto* pro gratiarum actione in templis deposita, imaginum cultus, sacrificia in quibus sacerdos et populus victimae communicant; item monachorum coetus, imo et culparum accusatio; necnon sanctissimae Trinitatis atque Incarnationis quaedam adumbrationes. Non repugnat autem haec omnia collecta, emendata, feliciter transformata, paulatim ac naturaliter in unum perfectius systema coaluisse, cui immerito prorsus divinam originem assignant Catholici.

D. Jacolliot contendit Christianismum ex India originem ducere, et esse quamdam cultus Krishna imitationem. Emilius Burnouf asserit doctrinam christianam a Christo haustam fuisse ex libro Zend-Avesta Persarum, qui continet doctrinam secretam apud doctores judaeos conservatam. D. Havet vult Christianismum nihil aliud esse quam Hellenismi transformationem, et id ostendere nititur comparando moralem paganam cum christiana.

50. Sed contra dico 1° : *Historice constat doctrinam catholicam non fuisse humana industria ab aliis vetustioribus mutuata.*

Etenim, 1° praeterquam quod Catholicismus ortum duxerit ex Judaea, apud quam philosophica studia minime florent, novimus ex Evangeliiis, Actibus Apostolorum, aliisque monumentis historicis, primos praecones qui Christianismo praedicando et propagando laborarunt, veteres Orientis doctrinas haud calluisse, et Paganismum Graeco-Romanum abhorruisse. Nullum insuper in eorum scriptis reperitur vestigium, dans locum suspicandi eos ex documentis sibi extraneis aliquid decerpisse, quod suum fecerint.

Christus ipse ex Judaea oriundus, in loco ignobili educatus, qui vitam transegit humilem, obscuram et pauperem, qui scholas non frequentarat, libros philosophorum non legerat, certo haud potuit naturaliter veterum systemata investigare, et selectionis opus difficillimum aggredi ac perficere.

Demum, nunquam vidimus, in seculorum decursu, pontifices aut concilia Ecclesiae Romanae, sua dogmata aut suas leges ex religionibus alienis haurire.

Etenim 2°, ut jam supra notavimus, religio catholico-romana vix in lucem edita, animos sua novitate plurimum commovit, et nullos magis offendit ac eruditos philosophos, qui tamen magis priorum seculorum systemata religiosa investigaverant. At, nec tantum stuporem, nec tantas suscitasset inimicitias, si non esset nisi quaedam antiquae sapientiae purior emanatio ac reproductio.

Etenim 3°, Apostoli ipsi, ut adversariorum repugnantias emollirent, nunquam allegaverunt veterum

doctorum auctoritatem, uti certo facere debuissent in hypothesi quam nunc impugnamus; sed sua fundamentalia dogmata, sola Dei revelantis veracitate fulciantur, confitentes ea esse Judaeis scandalum et Gentibus stultitiam. Ergo crediderunt ea non fuisse aliunde mutuata.

51. Dico 2° : *Similitudines inter religionem catholicam-romanam et veteres religiones, cum ejusdem divinitate optime conciliantur.*

Multiplex enim existit harum similitudinum ratio, divinitati Catholicismi optime consentanea.

1<sup>a</sup> ratio : Data est primis parentibus revelatio posteris transmittenda, cujus praecipua dogmata, plus minusve apud gentes conservata, certo in doctrina Ecclesiae Romanae reperiuntur. Quibus adde, plurimas veritates revelatas ex libris Judaeorum, passim inter populos extraneos vulgatis, hauriri potuisse.

2<sup>a</sup> ratio : Non repugnat plures religionis naturalis veritates ab homine, per naturalem rationis usum, cognitae fuisse; non enim per peccatum originale penitus intellectuale lumen extinctum est, sicut nec ablata libertas; et insuper homo lapsus auxilia ordinis naturalis a Deo accipit, quibus dirigi potest in religionis naturalis studio.

3<sup>a</sup> ratio : Mirum non est si plura, in doctrina religiosa et in cultu, ab hominibus majori ingenio pollutibus excogitata et instituta fuerint, quae conformitatem habent cum pluribus religionis catholicae punctis. Omnis enim religio, pro fine habet congruam praebere certis quibusdam cordis nostri exigentiis-satisfactionem; et, propter hunc finem cunctis religionibus communem, vix possibile est eas in quibusdam

non concordare. Sic, v. g., homo, naturali instinctu, quaerit sensus religiosos manifestare per ritus, caeremonias, incensiones, cantus, processiones, precatōnes, peregrinationes pias, imaginum cultum, *ex voto* oblata pro gratiarum actione. Imo non repugna in nonnullorum cogitationem venisse, Deum extraordinario remedio hominibus opitulaturum, puta: veniendo sub forma sensibili, etc.

4<sup>a</sup> ratio: Non repugnat etiam Ecclesiam catholicam, ea quae in Gentilium cultu non erant a veritate et honestate aliena, aliquoties sua fecisse; v. g. adoptando quosdam cantus aut ritus. Sicut enim in falsa religione non omnia falsa sunt, sic nec omnia mala ac reprobanda.

5<sup>a</sup> ratio: Nihil vetat religiones antiquissimas, temporum decursu, in aliquibus punctis Christianismum secutas et imitatas fuisse. Probabiliter hinc factum est, cur hodiernus Buddhismus externam quamdam Catholicismi faciem exhibeat, maxime in illa celeberrima secta quam, circa XIV<sup>am</sup> aerae christianae seculum, apud Thibetum constituit Tsang-Kaba, a missionario europaeo, ut videtur, eruditus, aut saltem cum quibusdam Christianis Nestorianis conversatus; quae secta Tale-Sama principem suum, tanquam continuam Buddhae incarnationem veneratur.

6<sup>a</sup> ratio: Demum, casui fortuito non immerito tribuuntur nonnullae similitudines. Talis est, v. g., quae notata fuit inter vocem *Krishna* et vocem *Christus*, ex qua aliqui increduli male concludunt eandem personam hisce duobus nominibus designari. Vox enim *Krishna*, ex idiomate sanscrito oriunda, significat *niger*, dum vox *Christus* lingua Hebraica significat

*unctus*. Unde convenientia haec merito iudicatur fortuita.

52. Dico 3<sup>o</sup>: *Variae similitudines Catholicismi cum veteribus religionibus, divinam potius illius originem confirmant.*

Nam 1<sup>o</sup> Catholicismus, posito quod sit vere revelatus, continere debet veritatem religiosam totalem; ac proinde quidquid veri, pulchri et boni reperitur in aliis systematibus et religionibus, apud eum confluat necesse est.

Nam 2<sup>o</sup> fragmenta veritatum in aliis religionibus dispersa, multis sunt obscuritatibus implicata et erroribus foedata, nec in unum doctrinae corpus perfecte ordinatum digesta; et tamen reperiuntur in religione catholica-romana in admirabili luce posita, ab omni falsitatis naevo expurgata, et inter se optime connexa, suisque necessariis munita complementis. Atqui tale opus, ut jam dictum est, vires naturales ingenii humani evidenter excedit. Et revera, nullus unquam homo, quamvis multi inter praestantissimos id tentaverint, aliquid simile peregit.

Nam 3<sup>o</sup> multum abest quin praeaudatae similitudines ita sint verae et completae, ut dici possit apud eas Christianismum, etiam virtualiter tantum, contineri. Saepius enim non sunt nisi simplices analogiae valde remotae, et a sublimitate dogmatum catholicorum his respondentium toto coelo distant. Sic, v. g., nullibi asseritur dogma Trinitatis, seu trium personarum inter se distinctarum in unica essentia divina; nullibi Filium Dei incarnatum, ac pro mundi salute expiandisque peccatis immolatum esse; nullibi enuntiatur obligatio Deum diligendi super omnia, omniaque

ad ipsum tanquam ad finem ultimum referendi; nullibi reperitur ethices super praeceptum charitatis fundata, ab omni superbiae et propriae considerationis veneno depurata.

Unde libenter concludimus cum D. de Broglie: *Hist. des relig.*, ch. VIII, § 5, p. 233: « La religion est un lien entre Dieu et l'humanité. C'est Dieu qui s'est le premier rapproché de l'homme par la révélation primitive, qui a contracté par la révélation chrétienne une nouvelle alliance avec lui. Mais l'homme, de son côté, après avoir perdu la vraie notion de Dieu, a dû créer, tant avec le souvenir de ses croyances passées qu'avec les instincts de son cœur, des cultes et des doctrines imparfaites et mêlées d'erreurs, jusqu'au jour où la lumière divine est venue de nouveau l'éclairer. La révélation primitive et la révélation chrétienne, seules religions divines par leur origine et adressées à tous les hommes, sont en même temps, si nous osons ainsi parler, les plus humaines des religions, celles qui sont le mieux adaptées aux instincts nobles du cœur de l'homme; elles doivent contenir en elles tout ce que l'homme a pu deviner, inventer et créer de bon, de beau et de vrai. En même temps qu'elles sont des religions essentiellement surhumaines, la religion primitive et le Christianisme sont des religions surnaturellement humaines, c'est-à-dire, contenant, avec une universalité, une perfection, une harmonie et une efficacité qui dépassent les forces de la nature, tous les sentiments religieux naturels et vrais, qui sont dispersés dans les cultes erronés. Ainsi les ressem-

« blances, loin d'être une objection, deviennent une « preuve. »

QUAESTIO X<sup>a</sup>

Utrum religionis cotholico-romanae excellentia, per suos mirabiles effectus manifestata, divinam ejus originem demonstret?

53. Resp. Videri potest quod non.

Etenim, 1<sup>o</sup> de facto, multum abest quin Christianismus omnes homines sibi devinxerit, et quod apud suos sectatores vitia etiam horrenda exterminaverit. Ergo immerito dicitur miraculosum habuisse in mundi reformationem influxum.

2<sup>o</sup> Praeterea, constitutioni familiae plurimum nocuit, tum homines passim hortando ad continentiam perfectam, quae de se est omnis familiae destructiva; tum semel conjugatos, etiam ubi vita communis facta est moraliter impossibilis, indissolubili vinculo subiciendo; tum demum leges civiles circa matrimonium pro nullis habendo.

3<sup>o</sup> Praeterea, bono societatis civilis infestam se praebet religio catholica; quia singulos cives vult legibus supremi cujusdam Capitis extranei caecam et inviolabilem profiteri obedientiam, etiam contra patriae leges, mores, et instituta; quod sane perfectam in societate civili unitatem et concordiam impedit, et multas fovet rebelliones.

4<sup>o</sup> Praeterea, de facto, populorum in ordine civili regeneratio, non est effectus exclusivus religionis catholicae, sed multo magis principiis magnae renovationis Gallicae, anno 1789 peractae, tribuenda est; quia tunc potissimum vera justitiae cunctis debitae

ad ipsum tanquam ad finem ultimum referendi; nullibi reperitur ethices super praeceptum charitatis fundata, ab omni superbiae et propriae considerationis veneno depurata.

Unde libenter concludimus cum D. de Broglie: *Hist. des relig.*, ch. VIII, § 5, p. 233: « La religion est un lien entre Dieu et l'humanité. C'est Dieu qui s'est le premier rapproché de l'homme par la révélation primitive, qui a contracté par la révélation chrétienne une nouvelle alliance avec lui. Mais l'homme, de son côté, après avoir perdu la vraie notion de Dieu, a dû créer, tant avec le souvenir de ses croyances passées qu'avec les instincts de son cœur, des cultes et des doctrines imparfaites et mêlées d'erreurs, jusqu'au jour où la lumière divine est venue de nouveau l'éclairer. La révélation primitive et la révélation chrétienne, seules religions divines par leur origine et adressées à tous les hommes, sont en même temps, si nous osons ainsi parler, les plus humaines des religions, celles qui sont le mieux adaptées aux instincts nobles du cœur de l'homme; elles doivent contenir en elles tout ce que l'homme a pu deviner, inventer et créer de bon, de beau et de vrai. En même temps qu'elles sont des religions essentiellement surhumaines, la religion primitive et le Christianisme sont des religions surnaturellement humaines, c'est-à-dire, contenant, avec une universalité, une perfection, une harmonie et une efficacité qui dépassent les forces de la nature, tous les sentiments religieux naturels et vrais, qui sont dispersés dans les cultes erronés. Ainsi les ressem-

« blances, loin d'être une objection, deviennent une « preuve. »

QUAESTIO X<sup>a</sup>

Utrum religionis cotholico-romanae excellentia, per suos mirabiles effectus manifestata, divinam ejus originem demonstret?

53. Resp. Videri potest quod non.

Etenim, 1<sup>o</sup> de facto, multum abest quin Christianismus omnes homines sibi devinxerit, et quod apud suos sectatores vitia etiam horrenda exterminaverit. Ergo immerito dicitur miraculosum habuisse in mundi reformationem influxum.

2<sup>o</sup> Praeterea, constitutioni familiae plurimum nocuit, tum homines passim hortando ad continentiam perfectam, quae de se est omnis familiae destructiva; tum semel conjugatos, etiam ubi vita communis facta est moraliter impossibilis, indissolubili vinculo subiciendo; tum demum leges civiles circa matrimonium pro nullis habendo.

3<sup>o</sup> Praeterea, bono societatis civilis infestam se praebet religio catholica; quia singulos cives vult legibus supremi cujusdam Capitis extranei caecam et inviolabilem profiteri obedientiam, etiam contra patriae leges, mores, et instituta; quod sane perfectam in societate civili unitatem et concordiam impedit, et multas fovet rebelliones.

4<sup>o</sup> Praeterea, de facto, populorum in ordine civili regeneratio, non est effectus exclusivus religionis catholicae, sed multo magis principiis magnae renovationis Gallicae, anno 1789 peractae, tribuenda est; quia tunc potissimum vera justitiae cunctis debitae

notio, et humanae dignitatis sensus praevalere coepit.

54. Sed contra dico: *Salutaris influxus evangelicae praedicationis per Ecclesiam Romanam; certissime supernaturalem arguit excellentiam atque virtutem.*

Etenim, facta est per religionem catholicam mirabilis, tum hominis individui, tum societatis domesticae, civilis atque universalis instauratio. Atqui talis instauratio est nota certissima supernaturalis excellentiae atque virtutis, quae Ecclesiam Romanam decorat.

55. Probatur major per partes.

1. *Facta est per religionem catholicam hominis individui mirabilis instauratio, nempe: et quoad intellectum, et quoad voluntatem.*

1<sup>o</sup> *Quoad intellectum.* Praelucente evangelica praedicatione, errores ubique grassantes contra religionem naturalem fugati sunt. Insuper, omnium veritatum religiosarum, quas scire nostra interest, cognitio evasit vulgaris, etiam apud rudes et indoctos, quin tamen intellectus exercitium in doctis excluderet. Hinc, apud Catholicos fervet activitas intellectualis sine veritatis et unitatis detrimento, et servatur unitas sine dispendio activitatis. Non sic extra Ecclesiam catholicam: videmus enim torpere ingenia ubi sub unitatis lege detinentur, uti apud Indos, Mahumetanos, aut schismaticos Russicos vel Graecos; e contra, ubi fervet activitas, ibi unitatem brevi perire, sicuti apud Protestantas.

2<sup>o</sup> *Quoad voluntatem.* Religionis enim catholicae cultores mox in deliciis habuerunt ea a quibus antea abhorrebant; illa vero quibus antea magno opere delectabantur penitus detestati sunt, et ad

mores quasi angelicos se composuerunt. Et haec sanctitas in multis ad gradum omnino heroicum pervenit, quod patet ex quotidianis processibus canonisationis, cum maximo rigore instructis. Caeterae autem religiones suos sanctos Sanctis catholicis comparare non praesumunt, et ideo proferre non audent. Demum, ut experientia testatur, quo quis sanctius vivit, eo fortius fidei catholicae adhaeret, aut facilius ad eam se convertit.

II. *Facta est per religionem catholicam mirabilis familiae instauratio.*

Id patet, cuique conferenti miseram uxorum, filiorum, et servorum ante Christum conditionem, cum ea quam apud gentes catholicas adepti sunt. Nec operosum est demonstrare hanc instauracionem esse verum doctrinae catholicae foetum.

Etenim, 1<sup>o</sup> juxta hanc doctrinam, uxor data est viro in adjutorium simile sibi, et ex ejus latere originarie sumpta est; homo, ut uxori adhaereat, patrem et matrem relinquere tenetur; matrimonium christianum habet rationem veri sacramenti referentis unionem Christi cum Ecclesia, polygamiam et divortium pariter excludentis; nec parum nobilitatis mulieri accessit ex dogmate maternitatis divinae.

2<sup>o</sup> Juxta eandem doctrinam catholicam, infantes baptizati fiunt Spiritus sancti templa; Christus ipse infantilem formam induit, pueros adamavit, iis benedixit, eos plurimum commendavit, horrendo plectens anathemate illos a quibus scandalizarentur. Hinc abolitum infanticidium olim frequens; hinc studium colligendi infantes a suis parentibus derelictos; hinc zelus quo tantopere exarsit Ecclesia, ut debita infan-

tibus reverentia impendatur, et ut sancte educen-  
tur.

3° Neminem fugit quantum servis profuerit dogma fraternitatis christianae, necnon lex charitatis erga illos heris imposita. Christus ipse servis manum adjutricem porrexisse dicendus est, formam servi accipiendo, et supplicio servorum in cruce moriendo. Hinc indeficiens et simul sapienter moderatus Ecclesiae conatus, ut paulatim emanciparentur servi. Hinc etiam ejus sollicitudo ut sors operariorum melioretur.

III. *Facta est per religionem catholicam mirabilis instauratio societatis civilis.*

Nam primum libertas religiosa conclamata est adversus imperantium tyrannidem, quando Apostoli dixerunt: *Oportet obedire Deo magis quam hominibus*. Exinde nata est libertas civilis; cum religio catholica hanc pene oblitteratam veritatem revocaverit, nempe: legislationem omnem decalogo esse subjectam et huic conformandam; principem, ideo, non proprium commodum, sed populorum utilitatem in sua regendi ratione debere prosequi; imo, esse Dei ipsius summe providi ac beneficentissimi vices gerentem. Ex hoc facta est, et sacratior principum auctoritas, et refrænata subditorum rebellandi cupiditas. His etiam principiis innixa Ecclesia catholica, cum ingenti generis humani emolumento, et principibus et populis patrocinata est, modo causam populorum contra tyrannos, modo principum contra seditiosos homines sapienter suscipiens. Insuper, Pontificum suorum directione et impulsu, Ecclesia jus publicum sensim christiano spiritu informavit, propriamque legislationem, propria instituta populis imitanda exhibuit; sicque nata

est, post barbarorum invasionem, illa civilizatio evangelica innumerabilium bonorum fons locupletissimus.

IV. *Facta est per religionem catholicam societatis universalis instauratio.*

Dum enim in clariori luce principia justitiae et charitatis collocavit, docuitque omnes homines fratres esse, sive ob originem ex stipite communi, sive in Christo qui omnes redemit, sive in Ecclesia per omnes gentes diffusa, cui unitate fidei et regiminis conjunguntur, mirari non debemus si ex hinc relationes populorum inter se, et frequentiores et benevolentiores evaserint, si bella rariora, pax faciliior, foedera fidelius servata, etc. Ergo constat major.

56. *Probatur nunc minor*, id est: praefatam instaurationem esse notam certissimam supernaturalis excellentiae atque virtutis.

Etenim illa instauratio fuit quidem moraliter, sed non physice seu omnino universalis; hoc est: multi salutarem Catholicismi influxum subierunt, et multi etiam adversus eum rebellati sunt. Atqui, ex hoc duplici capite, duplex eruitur efficax veritatis argumentum.

1<sup>um</sup> *Argumentum.*

Praefata instauratio, quatenus effectum suum apud multos sortita est, merito datur tanquam nota revelationis positiva, quia 1° est factum religioni catholicae exclusive proprium; 2° est factum quod explicari non potest, nisi per extraordinariam gratiae motionem, qua Deus hominum intellectus et voluntates efficaciter evangelico jugo subiecit.

1° Est factum religioni catholicae exclusive proprium. Etenim haec miseranda individuorum, et

societatis, tum domesticae, tum civilis, tum universalis conditio ante Christum observata, nunc adhuc apud gentes nondum conversas perseverat, apud gentes apostatas reviviscit, apud alias plus minusve renovatur, prout plus minusve a religionis catholicae observantia recedunt. Hinc mirabiles effectus quos supra notavimus apud Graecos schismaticos pene desierunt. At ex Protestantismi invasione, contrarii omnino observati sunt, nempe: Individuorum depravati mores, familiarum ac societatum civilium lugenda concussio, ut recentiorum temporum historia testatur.

2° Est factum quod explicari non potest, nisi per gratiae divinae efficacem motionem, et ita constituit miraculum aliquod ordinis morales divinitus patratum. Si enim vel unius hominis conversio a vitiis inveteratis ad praestantissimas virtutes, sit opus tantopere arduum, quid de conversione mundi civilizati, quam Catholicismus, intra paucorum annorum spatium, tam feliciter absolvit? Unde, non sola doctrinae excellentia hisce explicandis effectibus sufficit, sed necessaria est insuper virtus quaedam supernaturalis mentes disponens, ac voluntati addens vires; quod solius Dei est, specialissimi adjutoris atque quotidiani cooperantis.

2<sup>um</sup> Argumentum:

Est factum sole clarius, universale et constans: omnes homines veritatem et virtutem odio habentes, salutari catholicae religionis influxui resistunt, et, quamvis in caeteris inter se dissentiant, unanimi tamen impetu illam agrediuntur, et omnibus mediis conantur de medio tollere. Porro:

1° Illud factum est religioni catholico-romanae exclusive proprium. Nihil enim simile unquam accidit caeteris religionibus, imo nec aliis societatibus quae se christianas gloriantur. Equidem, saepius certae sectae sibi invicem bellum inferunt; at quod viri notorie perversi, unanimiter et constanter aliquam ex eis persecuti fuerint, est inauditum.

2° Idem factum explicari nequit, nisi quia causa religionis catholicae est ipsamet causa veritatis et virtutis. Quo enim magis homo suis cupiditatibus indulget, eo magis aversatur veritatem religiosam, qua corripitur, et ad veritatis et virtutis tramitem revocatur. Hac praecise de causa, ab origine mundi exarsit lucta bonum inter et malum; dum scilicet omnes perversi conspirant ad sensum religiosum et in se et in aliis extinguendum. Si ergo datur in mundo aliqua religio unice vera, omne peccatum prohibens, omnem virtutem praecipiens aut commendans, necesse erit, ut adversus eam insurgant quicumque peccandi libertatem promovere satagunt. Ergo cum talis sit religio catholica, et quidem sola, concludendum est hanc esse solam religionem veram.

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur n. 53.

57. *Ad 1.* Hi soli salutarem Catholicismi influxum experiuntur, qui huic vitam conformant; unde non oportet instaurationem ab illo causatam physice esse universalem.

58. *Ad 2.* Continentia perfecta, quae consulitur non praecipitur, minime obstat familiae constitutioni; cum multo major pars hominum illam non custodiant; et insuper sic a quibusdam observata, est mundo



utilissima. Indissolubilitas autem vinculi conjugalis innumera praecavet mala ex divortio diffluentia, ut experientia constat. Demum minime impediuntur principes a ferendis legibus quibus effectus civiles matrimonii ordinantur, et id plane sufficit.

59. *Ad 3.* Affirmare non licet subjectionem totalem legibus Romani Pontificis, esse bono pacis et obedientiae auctoritatis civilis debitae perniciosam, nisi probetur Papam non esse revera Christi vicarium, et jurisdictione sua nonnumquam abuti ad rebelliones fovendas. Si enim Deus ipse summum pontificatum instituerit, ipsius erit providere, ut tantae potestatis exercitium nunquam noceat principum jurisdictioni, sed e contra eam obfirmet, quando principes juste imperant, et eam coerceat, quando injuste; et sic subditi, et promptiores fiant ad obediendum, et simul contra tyrannicam oppressionem protegantur. Hoc autem ita cecidisse, passim historia testatur. De caetero, auctoritas ecclesiastica et civilis non sunt ejusdem ordinis, nec timendus est conflictus, modo utraque intra proprios limites se contineat. Sed ne Ecclesia jus alienum usurpet, obstat jugis Spiritus sancti assistentia.

60. *Ad 4.* Jura hominis legitima omnia includuntur in Decalogo; et quae his superaddita fuerunt per coetum nationalem Gallicum anno 1789, sunt prorsus falsa et perniciosas, praesertim quando jura Dei postponuntur. Hinc factum est ut principia renovationis praetensae, ad praxim reducta, exterminaverint, et libertatem individuaalem, et jus proprietatis exclusivum, et jus associationis, et libertatem religiosam, et insuper, auctoritati humanae divinae suae originis

sigillum auferendo, loco stabilitatis, pacis et libertatis, inquietam mobilitatem, oppressionem arbitrariam, et perpetuam confusionem ubique induxerint.

## DISSERTATIO SECUNDA

DE DIVINITATE ECCLESIAE ROMANAE EX FACTO CHRISTI EAM  
INSTITUENTIS, ET PER NOVEM DECEM SEGULA MIRABILITER  
CONSERVANTIS, DEMONSTRANDA

(Vide Mazella : *de Relig. et Eccl.*, n. 422... 445.—  
Hurter : *Theol. gen.*, n. 279, 280, 281.)

61. Expensis notis intrinsicis Ecclesiae Romanae, transeundum est ad notas extrinsecas, quae ex Christi gestis ac dictis potissimum desumuntur. Et primo quidem arguimus ex ipsamet Ecclesiae per Christum institutione et conservatione, quod argumentum sic breviter contrahitur :

Christus instituit suam religionem sub forma societatis visibilis, et ad usque mundi finem indefectibiliter duraturae. Igitur, inter omnes societates christianas in mundo actu existentes, datur una quae cum Ecclesia primitus instituta moraliter identificatur. Porro evidens est solam Ecclesiam Romanam esse ejusmodi; cujus insuper indefectibilis per decem et novem secula conservatio, tot causis interitus non obstantibus, est novum divinitatis indicium. Ad haec explananda erunt quaestiones quinque.

utilissima. Indissolubilitas autem vinculi conjugalis innumera praecavet mala ex divortio diffluentia, ut experientia constat. Demum minime impediuntur principes a ferendis legibus quibus effectus civiles matrimonii ordinantur, et id plane sufficit.

59. *Ad 3.* Affirmare non licet subjectionem totalem legibus Romani Pontificis, esse bono pacis et obedientiae auctoritatis civilis debitae perniciosam, nisi probetur Papam non esse revera Christi vicarium, et jurisdictione sua nonnumquam abuti ad rebelliones fovendas. Si enim Deus ipse summum pontificatum instituerit, ipsius erit providere, ut tantae potestatis exercitium nunquam noceat principum jurisdictioni, sed e contra eam obfirmet, quando principes juste imperant, et eam coerceat, quando injuste; et sic subditi, et promptiores fiant ad obediendum, et simul contra tyrannicam oppressionem protegantur. Hoc autem ita cecidisse, passim historia testatur. De caetero, auctoritas ecclesiastica et civilis non sunt ejusdem ordinis, nec timendus est conflictus, modo utraque intra proprios limites se contineat. Sed ne Ecclesia jus alienum usurpet, obstat jugis Spiritus sancti assistentia.

60. *Ad 4.* Jura hominis legitima omnia includuntur in Decalogo; et quae his superaddita fuerunt per coetum nationalem Gallicum anno 1789, sunt prorsus falsa et perniciosas, praesertim quando jura Dei postponuntur. Hinc factum est ut principia renovationis praetensae, ad praxim reducta, exterminaverint, et libertatem individuaalem, et jus proprietatis exclusivum, et jus associationis, et libertatem religiosam, et insuper, auctoritati humanae divinae suae originis

sigillum auferendo, loco stabilitatis, pacis et libertatis, inquietam mobilitatem, oppressionem arbitrariam, et perpetuam confusionem ubique induxerint.

## DISSERTATIO SECUNDA

DE DIVINITATE ECCLESIAE ROMANAE EX FACTO CHRISTI EAM  
INSTITUENTIS, ET PER NOVEM DECEM SEGULA MIRABILITER  
CONSERVANTIS, DEMONSTRANDA

(Vide Mazella : *de Relig. et Eccl.*, n. 422... 445.—  
Hurter : *Theol. gen.*, n. 279, 280, 281.)

61. Expensis notis intrinsicis Ecclesiae Romanae, transeundum est ad notas extrinsecas, quae ex Christi gestis ac dictis potissimum desumuntur. Et primo quidem arguimus ex ipsamet Ecclesiae per Christum institutione et conservatione, quod argumentum sic breviter contrahitur :

Christus instituit suam religionem sub forma societatis visibilis, et ad usque mundi finem indefectibiliter duraturae. Igitur, inter omnes societates christianas in mundo actu existentes, datur una quae cum Ecclesia primitus instituta moraliter identificatur. Porro evidens est solam Ecclesiam Romanam esse ejusmodi; cujus insuper indefectibilis per decem et novem secula conservatio, tot causis interitus non obstantibus, est novum divinitatis indicium. Ad haec explananda erunt quaestiones quinque.

QUAESTIO I<sup>a</sup>

Utrum Christus suam religionem instituerit sub forma societatis constitutiva?

62. Resp. videri potest quod non.

Etenim, 1<sup>o</sup> non repugnat primos Christi discipulos novam iniisse societatem, eo quod falso existimaverint ab eo institutam Ecclesiam esse, cui Ecclesiae mox transtulerunt promissiones de temporali gentis judaicae gloria, et accommodaverunt ideas quas a Synagoga acceperant de ritibus, regimine et sacerdotio. Ubi autem haec societas satis excrevit, Synagogam ipsam impugnavit et supplantavit. Ita Rationalistae mythici, qui societatis catholicae efformationem affirmant complete peractam labente circiter seculo secundo, quo tempore existimant scripta fuisse Evangelia.

2<sup>o</sup> Praeterea, agendi et loquendi ratio Christi non fuit novam societatem instituere volentis. Non tantum enim custodivit ipse ritus mosaicos, sed declaravit se non esse missum nisi ad oves quae perierunt domus Israel (Matth. xv, 24); et voluit ut discipuli sui principibus Synagogae remanerent subjecti: *Super cathedram Moysis sederunt scribae et Pharisei; omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite* (Matth., xxiii, 2, 3).

3<sup>o</sup> Praeterea, ex gestis primitivae Ecclesiae satis cognoscitur, non ex Christi voluntate, sed ex facto hominum, sensim ortam fuisse Ecclesiam. Sane Apostoli ipsi, etiam mortuo Christo, servaverunt ritus mosaicos. Petrus ipse se subducebat a Gentilium con-

versatione; non nisi haesitanter et caeteris contradicentibus, sese ad gentes edocendas et baptizandas convertit. Paulus primus videtur induxisse ad Ecclesiam ex gentibus congregandam. Hinc factum est ut Synagoga primos fideles persecuta fuerit; et, aucto Christianorum numero ex gentibus, cum multi legis mosaicae jugum aversarentur, Apostoli adducti sint ad Ecclesiam instituendam a Synagoga separatam. Ita Sociniani et multi Protestantes.

63. Sed contra dico 1<sup>o</sup>: *Christus instituit suam religionem sub forma societatis constitutiva.*

Prob. 1<sup>o</sup> ex idea generali Ecclesiae passim a Scripturis tradita. Christus aperte dixit: *aedificabo Ecclesiam meam* (Matth., xvi, 19). Certe agitur de aedificio nondum existente, cum dicatur in futurum: *aedificabo*. Ergo Christus instituit novam societatem a Synagoga diversam.

Insuper, Ecclesia in Scripturis vocatur regnum, civitas, domus Dei, ovile, corpus; quae omnia formam referunt socialem.

Prob. 2<sup>o</sup> ex variis elementis quibus societas constituitur.

Alia sunt elementa omnibus societatibus communia, alia sunt cuique societati propria. Sed Christus, in sua religione, utriusque generis elementa condidit.

1<sup>o</sup> Condidit elementa omnibus societatibus communia. Illa elementa sunt, pluralitas personarum et auctoritas directrix, sub qua membra societatis moraliter uniuntur. Jam vero, Christus manifeste declarat fideles omnes colligendos esse sub aliqua auctoritate regente. Patet ex Matth. (xviii, 17, 18), ubi loquens de lite inter privatos dirimenda, ait: *Dic Ecclesiae; et si*

*Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus; dein amplam ligandi et solvendi potestatem Apostolis concedendam annuntiat: quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo.* Patet etiam ex munere sustentandi Ecclesiam, necnon cura pascendi agnos et oves Petro commissis (Matth., xvi, 18; et Joan., xxi, 15). Cum autem neque Apostoli, neque Petrus ullam ex lege mosaica haberent auctoritatem, hinc est quod praefata adunatio fidelium sub Apostolorum auctoritate, fuerit proprium Christi opus. Ergo Christus ipse in sua religione condidit elementa omnibus societatibus communia.

2º Condidit etiam elementa Ecclesiae suae exclusive propria. Sunt elementa cujusque societatis propria, finis proximus specialis et media huic proportionata. Atqui Christus Ecclesiae suae assignat, et finem proximum specialem, et media exclusive propria.

a) Finis proximus specialis Ecclesiae est continuatio ipsius missionis Christi, quemadmodum ipse clare testatur dicendo Apostolis: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Joan., xx, 21); et Patri suo: *Sicut me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.* (Joan. xvii, 17.) Igitur, sicut Christus venit ut procuraret hominum justificationem et salutem, ita et Ecclesia ad homines justificandos et beatificandos est instituta, et propter hoc vocatur *regnum coelorum.*

b) Item, Christus media fini assequendo propria dedit Ecclesiae, cujus rectores suae potestatis participes effecit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo...* (Matth., xxviii, 18).

Christus autem tribus muneribus perfunctus est: doctoris, sacerdotis et regis; et Apostolos suos hisce tribus muneribus insignitos voluit: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos...; docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis* (Matth., xxviii, 19, 20); *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt* (Joan., xx, 21); *Pascite qui in vobis est gregem Dei* (1. Pet., v, 2); *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (Act., xx, 28). Sane, Christo ut *doctori*, competit evangelizare regnum Dei; ut *sacerdoti*, peccata dimittere et sanctificare animas; ut *regi*, ovium suarum agere curam; sed, ex citatis textibus, Apostoli mittuntur ad haec omnia peragenda.

Prob. 3º *historia nascentis Ecclesiae.*

Nam hac historia, qualis habetur ex Libro actuum Apostolorum, necnon Apostolorum epistolis, aperte liquet eos in colligendis et dirigendis fidelibus auctoritatem indesinenter exercuisse, nempe: docendo veritates christianas quos intendebant sibi aggregare, edoctos baptizando, praeepta evangelica promulgando, abusus cohibendo, poenas minando contra inobedientes, castigando contumaces, instituendo diaconos, presbyteros et episcopos, et providendo ut episcopi a se instituti alios presbyteros et pastores ordinarent et informarent, concilium Jerosolymitanum cogendo ad dirimendas controversias, et statuta obligatoria decernenda. Atqui haec omnia gesta et dicta clare formam socialem indicant.

Prob. 4º *Traditione constanti et universali.*

Etenim, in asserendo facto institutionis Ecclesiae per Christum ipsum, unanimiter conspirant, cum Catholicis omnium saeculorum, omnes sectae antichristianae, item omnes haeretici; et qui contradicunt recentes et paucissimi inveniuntur. Jam vero, si hujusmodi factum, tot et talibus innixum testimoniis, in dubium revocetur, ruit omnis certitudo historica. Factum enim instituendi Ecclesiam, qualis est Ecclesia catholica, est factum immensum, publicum, maximi momenti, et facillimum cognitum, circa quod primi Christiani, nec decipi potuerunt, nec alios decipere potuissent.

Quibus adde illius facti negationem plurimum interfuisse Ecclesiae hostes; exinde enim haeretici suam cohonestassent ab Ecclesia defectionem, et sectae antichristianae confundissent Catholicos, ne gloriarentur se societatis a Christo ipso divinitus fundatae esse membra. Ergo, hanc institutionem non impugnando, confessi sunt illam in dubium non posse revocari.

**64. Dico 2° :** *Convenientissimum fuit ut religio christiana sub forma sociali institueretur.*

*Prob. 1° ex variis analogiis quae ex hac forma destuunt, et religionem pulchre decorant.*

1<sup>a</sup> analogia, cum veteri Synagoga, cui non decuit Ecclesiam esse inferiorem. — 2<sup>a</sup> cum civitate coelesti ad quam nos debet conducere. — 3<sup>a</sup> cum SS. Trinitate, quae est et ipsa trium personarum in una essentia societas ineffabilis. — 4<sup>a</sup> cum Verbo incarnato. Per incarnationem, humanitas et divinitas conjunguntur in unitate personae, Verbumque divinum humanitatem penetrat, regit, nobilitat, ad suum esse evehit, et ipsi confert sanctitatem, indefectibilitatem et infallibili-

tatem. Sic Ecclesia, quatenus societas, est quasi quoddam compositum divino-humanum, constans duobus elementis inter se intimius connexis, uno invisibili, quod est Spiritus sancti gratia, altero visibili, in quo multiformiter et inaequaliter prius se manifestat; unde Ecclesia, ad instar humanitatis Christi, a divino Spiritu informatur, nobilitatur, regitur, et accipit esse unam, sanctam, indefectibilem et infallibilem, meritoque dicitur corpus Christi mysticum, cujus Christus ipse est simul anima et caput.

*Prob. 2° ex adjumentorum socialium necessitate, ut christiana religio his in terris floreat.*

Necesse est 1° ut religio praedicetur in universo mundo. Porro, ad hoc requiritur quosdam apostolos designari, informari, mitti, dirigi, et convenientibus subsidiis instrui, et hoc extra societatem moraliter videtur impossibile.

Necesse est 2° religionem catholicam his characteribus praefulgere, quibus facile ut divinitus instituta a cunctis agnoscat. Atqui, posita forma sociali, notae illae splendidius emicant, quia in Ecclesia quasi individuantur et incorporantur, et in ipsius vita exteriori seu historia luculentius se produnt.

Necesse est 3° religionem catholicam ab omni errore puram servari. Sed nihil ad hoc efficacius, quam institutio magisterii socialis, infallibiliter per Ecclesiae caput aut rectores exercendi.

Necesse est 4° hanc eandem religionem ad praxim reduci, ita ut, unusquisque potenter adjuvetur ad mores suos juxta Evangelium componendos, ad Deo rependendum cultum internum et externum, necnon ad proficiendum in variarum virtutum exercitio.

Haec autem omnia requirunt ministros qui sacras functiones obeant, coetus convocent et illis praesideant, fideliumque necessitatibus spiritualibus occurrant; quae extra societatem difficilius obtinerentur. Insuper, in statu sociali abundantior materia et occasio frequentior praebentur in virtutibus proficiendi, v. g. prudentia, zelo, charitate, obedientia, humilitate... etc.

Necesse est 5<sup>o</sup> religionem catholicam obfirmari contra immanes et incessabiles persecutiones. At, data forma sociali, jam Christiani efformant quasi castrorum aciem bene ordinatam, quae, sub pastorum suorum directione et impulsu, majori cum fortitudine et alacriori cum fiducia, ad dimicandum procedit.

Uno verbo: Deus homini ad habendum cum caeteris commercium destinato, dedit aptitudines sociales, quas multo magis ad boni supernaturalis quam temporalis assecutionem ordinare convenit.

Neque dicas, huic fini sufficere formam socialem non a Christo sed ab hominibus inductam. Nisi enim Christus ipse hanc instituerit, jam nec una, nec invariabilis, nec ideo firma subsisteret, praesertim in religione quae universo humano generi proponitur, ad usque mundi finem observanda.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 62.

65. *Ad 1.* Ideo primi Christi discipuli vinculo sociali inter se colligati sunt, quia ipsius voluntatem apprime noverant, non vero ex falsa imaginatione decepti, ut satis probatum est in thesi, neque verum est Evangelia labente seculo secundo scripta esse, quem errorem in tractatu de vera religione confutavimus.

66. *Ad 2.* Vivente Christo, Ecclesia non existebat nisi quasi in germine; ergo nihil mirum si ritus mosaicos ipse servaverit, et suis discipulis subjectionem erga Synagogae principes commendaverit. Dicendo autem se non esse missum nisi ad oves domus Israel, loquitur de ministerio personaliter exercendo; sed alibi declarat se venisse *ut salvetur mundus per ipsum* (Joan. III. 17); et revera Apostolis praecepit ut praedicarent Evangelium *omni creaturae*, ut docerent *omnes gentes*.

67. *Ad 3.* Non erat illicitum Apostolis religionis judaicae caeremonias frequentare, quia Lex vetus nondum erat mortifera; et id fecerunt ex prudenti oeconomia, ne Judeos a se averterent. At minime probari potest eos de aggregandis Gentilibus dubitasse, cum jussa Christi de universo orbe evangelizando audivissent. Hinc Petrus primus baptizavit Gentiles, et in concilio Jerosolymitano judicavit jugum legis mosaicae nemini esse inponendum.

#### QUAESTIO II<sup>a</sup>

Utrum Christus instituerit Ecclesiam essentialiter visibilem?

(Vide Mazella: *de Rel. et Eccl.*, n. 446... 470.)

68. *Resp.* Non agitur hic de hac visibilitate formali, vi cuius Ecclesia Christi se manifestat ut unice veram inter alias sectas christianas; de qua visibilitate dicemus ubi de Ecclesiae notis; sed agitur de visibilitate materiali, vi cuius constat Ecclesia elementis quae externis sensibus percipiuntur.

Qui negant Ecclesiam esse hoc sensu visibilem sic ratiocinantur :

1° Apud Jeremiam prophetam, Dominus de novo foedere sic loquitur : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in cordibus eorum scribam eam.* (Jer. xxxi, 33.) Ergo foedus novum in hoc a veteri differt, quod vetus fuit visibile, et novum sit invisibile.

2° Praeterea, Christus ipse de Ecclesia sua ait : *Non venit regnum Dei cum observatione; neque dicent: ecce hic aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est* (Luc. xvii, 20); et apud Joannem (xv, 23) nuntiat Patrem jam adorandum esse *in spiritu et veritate*; sed haec omnia visibilitatem excludunt.

3° Praeterea, vocatur Ecclesia *domus spiritualis*, in qua fideles offerre debent *spirituales hostias* (I. Petr. ii, 5), et apud B. Paulum (Hebr. xii, 18) dicitur Ecclesia *mons non tractabilis*.

4° Praeterea, Ecclesia videtur esse congregatio praedestinatorum. Nam comparatur arcae Noe, in qua soli a diluvio salvandi continebantur, qui figurabant praedestinos. Item Christus de suis ovibus asserit : *Non rapiet eas quisquam de manu mea* (Joan., x, 28). Item Christus dicitur *caput Ecclesiae, salvator corporis ejus* (Eph., v, 23). Ita Wiclefita.

5° Praeterea, videtur Ecclesiam non esse nisi congregationem perfectorum, aut saltem justorum. Nam, ex B. Paulo, Christus *dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta*

*et immaculata* (Eph., v, 25, 26, 27). Item, Ecclesia in variis locis dicitur sancta, sponsa et amica Christi; quomodo autem si includat peccatores? Item, ex Apostolo : *si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* (Rom., viii, 9.) Peccator non animatur Christi spiritu, ac proinde non est membrum corporis ejus mystici, id est, Ecclesiae. Denique, juxta axioma receptum : qui non habet Deum patrem, neque habet matrem Ecclesiam; seu qui non est gratia filius Dei, nec est Ecclesiae filius. Ita Pelagiani et multi Protestantes.

69. Sed contra dico : *Christus instituit Ecclesiam essentialiter visibilem.*

Prob. 1° *Ex societatis humanae essentia.*

Ecclesia enim, quam fundavit Christus, est societas hominum, seu inter homines. Atqui, ad essentiam hujus societatis pertinet visibilitas. Profecto, nisi homines externis inter se signis communicent, quomodo in aliquod sociale consortium copulabuntur?

Et revera, Ecclesia a Christo instituta, ex una parte, coalescit ex pastoribus docentibus, baptizantibus, sacramenta ministrantibus, leges ferentibus, causas judicantibus, poenas infligentibus, alios pastores constituentibus; ex altera parte, constat fidelibus qui edocentur, baptizantur, sacramenta suscipiunt, qui reguntur, qui pro litibus suis dirimendis adeunt Ecclesiam et hanc tenentur audire. Atqui tali societate nihil visibilis.

Prob. 2° *ex fine Ecclesiae.*

Finis ille, juxta superius dicta, est Christi ipsius missionem perennem facere in terris, id est : salutis arcam hominibus patefacere, in qua religionem ve-

ram profitentes, Redemptionis fructum percipiant. At, numquid homines Ecclesiam invisibilem adire poterunt, ut in ea salutis viam inveniant? Sane visibilis fuit in mundo missio Christi, visibilis esse debet ejus religionis professio, visibilia sunt salutis media hominibus a Christo data. Est autem evidentissimum, ab invisibili Ecclesia, nec continuari posse visibilem Christi missionem, nec procurari visibilem professionem christianae religionis, nec dispensari visibilia salutis media hominibus a Christo data.

Prob. 3<sup>o</sup> ex sensu Scripturae.

Vox enim *Ecclesia*, quoties in Scripturis reperitur, semper significat congregationem visibilem, nec unus citatur locus in quo tribuatur coetui invisibili.

Designatur etiam tanquam regnum, civitas, domus, ovile, corpus. At haec omnia nomina non conveniunt nisi Ecclesiae visibili.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 68.

70. *Ad 1.* Oppositio quam Jeremias ponit inter utrumque foedus, in eo consistit: quod lex vetus erat timoris, nova autem amoris, et, hoc sensu, in cordibus scripta.

71. *Ad 2.* Christus excludere intendit apparatus regalem, quem sibi Judaei finxerant in Messiae adventu, et id confirmat dicendo jam regnum Dei esse in medio eorum: *Regnum Dei intra vos est.* Adoratio autem in spiritu et veritate de qua loquitur, optime Deo rependitur etiam in Ecclesia visibili; secus, exigendo hanc adorationem, Christus excluderet cultum externum, quod repugnat.

72. *Ad 3.* Ecclesia, licet visibilis, est tamen etiam

spiritualis domus in qua offeruntur spirituales hostiae, siquidem spiritu gratiae vivificatur, et Deo offert non carnales et cruentas victimas, sed sacrificium bonorum operum. Dicitur etiam mons non tractabilis, per oppositionem ad montem Sinai super quem lex vetus promulgata est.

73. *Ad 4.* Arca non sub omni respectu figuravit Ecclesiam, sed solummodo in quantum nemo extra eam aquas diluvii effugit, sicut nemo extra veram Ecclesiam salvatur. Oves autem quas nemo rapiet ex manu Christi, non sunt solae pertinentes ad ejus gregem, alioquin dicens Petro: *Pasce oves meas*, non commisisset ei nisi curam praedestinatorum, ac proinde Petrus scire non potuisset quinam suo imperio subiciebantur. Demum Christus dicitur Salvator Ecclesiae, eo sensu quo dicitur Redemptor omnium hominum, videlicet sufficientia virtutis, non autem efficaciter.

74. *Ad 5.* Christus indubie sibi proponit efformare Ecclesiam gloriosam, sine macula et ruga, et revera talis erit in coelo, ubi opus consummationis sanctorum habebit finem. Attamen, etiam his in terris, Ecclesia merito dicitur sponsa et amica Christi, quia nunquam ab eo deseritur, et indesinenter apud eam floret sanctitatis praerogativa, saltem in pluribus membris. Quod si multi Christiani spiritum Christi non habent, nec sunt ab eo perfecte vivificati per gratiam, imperfecte tamen vivificantur per fidem et caetera communionis vincula, et hac ratione remanent membra corporis ejus mystici. Denique, quamvis non habens Ecclesiam matrem, eo ipso Deum non habeat ut patrem, non tamen legitime concluditur e converso,



illum non esse Ecclesiae filium qui non est gratia filius Dei adoptivus, nam diversa est utriusque ratio, ut patet.

De caetero, Ecclesia assimilatur areae, in qua sunt frumentum et palea, reti capienti pisces bonos et malos, agro continenti triticum et zizania, decem virginibus quorum quinque sunt prudentes et quinque fatuae. Non ergo soli justi sunt membra Ecclesiae. Et revera, hoc posito, quomodo scire possent pastores quosnam regere debeant? Erit igitur impossibile exercitium jurisdictionis ecclesiasticae.

QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum Ecclesiae suae visibili Christus contulerit existentiam indefectibilem?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl. n. 738... 753.*)

75. Resp. Per indefectibilitatem Ecclesiae, intelligitur ejus perpetua permanentia in ea forma et in eo statu, in quibus fuit a Christo instituta. Hinc duos conceptus includit indefectibilitas : 1<sup>o</sup> quamdiu durat Ecclesia, invariabiliter retinet ea omnia quae a Christo accepit, ac proinde nec ejus doctrinam adulterat, nec ejus praecepta abrogare praesumit. 2<sup>o</sup> Ecclesia ad usque mundi finem durabit, ac proinde nunquam cessabit ex voluntate Dei, huic aliam religionem substituentis.

Qui contendunt Ecclesiam non esse hoc duplici sensu indefectibilem, sic ratiocinantur :

1<sup>o</sup> Membra Ecclesiae sunt essentialiter defectibilia. Atqui societas constans membris essentialiter defectilibus, est et ipsa essentialiter defectibilis.

2<sup>o</sup> Praeterea, absolute afirmandum non est Eccle-

siam esse indefectibilem, nisi absoluta fuerit promissio indefectibilitatis a Christo facta. Atqui non repugnat hanc promissionem fuisse conditionatam.

3<sup>o</sup> Praeterea, veteri Synagogae promissiones perpetuitatis factae videbantur, et tamen Synagoga saepe defecit, et saltem tota cum suis caeremoniis expiravit Christi temporibus. Ergo pariter Ecclesia deficere poterit aliquando.

4<sup>o</sup> Praeterea, satis innuitur in Scripturis Ecclesiam esse defecturam, cum Christus dixerit : *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* (Luc. XVIII, 8), et Apostolus : *nisi venerit discessio primum* (II Thess. II, 3), quae verba annuntiant apostasiam universalem aliquando futuram.

5<sup>o</sup> Praeterea, S. Hieronymus ipse, de sua aetate affirmare non dubitavit quod « Nicaenae fidei damnatio conclamata est ; ingemuit totus orbis et Ariannum se esse miratus est. » (In dial. adv. Luciferianos, n. 19.)

6<sup>o</sup> Praeterea, Christus asserit Spiritum sanctum a se et a Patre suo mittendum, sicut ipse a Patre missus est. Porro Christus a Patre missus est ad novam Ecclesiam instituendam Judaica perfectiorem. Ergo Spiritus sanctus et ipse veniet novam Ecclesiam instituere nostra excellentiorem.

7<sup>o</sup> Praeterea, vera religio debet variabilibus populorum necessitatibus accommodari. Atqui eadem religio a Christo usque ad seculorum finem invariabiliter perseverans, non potest variabilibus generis humani semper progredientis necessitatibus accommodari. Unde factum est religionem christianam jam esse antiquatam et transformandam.

76. Sed contra dico 1<sup>o</sup>: *Quamdiu durat Ecclesia visibilis, inviolabiliter retinet ea omnia quae a Christo illam instituyente accepit.*

Id est: nunquam Deus permittet Ecclesiam deficere doctrinam revelatam adulterando, aut ea quae sunt juris divini positivi abrogare tentando.

Prob. 1<sup>o</sup> *divinis promissionibus.*

Si Ecclesia, sensu supra dicto, deficeret, portae inferi adversus eam praevalerent. Atqui Christus de Ecclesia visibiliter super Petrum aedificanda dixit simpliciter: *Portae inferi non praevalent adversus eam.* (Matth. XVI, 19.)

Item, Christus mittens Apostolos ut omnes gentes doceant servare quaecumque mandaverat, addit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* (Matth. XXVIII, 20.) At quoties Deus in Scripturis annuntiat se creaturis suis adfuturum, toties eis promittit efficacem assistentiam. Christus ergo Apostolos eorumque successores, ad usque consummationem saeculi, efficaciter adjuvabit in adimplendo suo munere docendi omnia quaecumque mandaverat; ac proinde Apostoli eorumque successores, nunquam potuerunt aut poterunt vel minimum doctrinam sibi divinitus traditam adulterare, nec ea quae sunt juris divini positivi de medio tollere.

Prob. 2<sup>o</sup> *testimoniis Patrum.*

Sanctus Hieronymus (Comment. in e. 4. Isaiae) sic loquitur: « Super petram fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertitur. » Porro haec Ecclesia super petram fundata et tempestatibus obnoxia, est certe Ecclesia visibilis. Item, sic suum in Amos commentarium absolvit:

« Ex quo intelligimus, Ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari; et hoc fit quia Dominus Deus omnipotens pollicitus est. »

Sanctus Ambrosius (Lib. de Salom., c. 4) de navi Ecclesiae dicit: « Quae, etsi undarum fluctibus aut procellis saepe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium. » Evidenter loquitur de Ecclesia visibili, sub figura navis tempestatibus agitatae.

Sanctus Augustinus (in Ps. 101, Enarr. 2<sup>a</sup>, n. 8) vehementer objurgat Donatistas contententes Ecclesiam non quidem periisse, sed defecisse a sua Catholicitate. Ecclesia autem cui competit Catholicitas, certe est Ecclesia visibilis. At, si repugnat hanc deficere amittendo Catholicitatem, quanto magis repugnat eam deficere Christi religionem corrumpendo? Idem S. Aug. alibi indicat rationem indefectibilitatis, sic: « Quod est fundamentum... Ecclesiae... nisi Christus Jesus? Nutabit Ecclesia, si nutaverit fundamentum... Non nutante Christo, non inclinabitur in saeculum saeculi. » (Enarr. in Ps. 103. Sermon. 5, n. 5.) Atqui certe nutaret et inclinaretur aedificium Ecclesiae, si deficeret in substantia religionis christianae servanda.

Sanctus Joannes Chrysostomus (in orat. quod Christus sit Deus): « Constat Ecclesia solida et stabilis ac invicta, florens ac fulgens, et in dies magis ac magis vigens, crescens et plus roboris sumens, et omnibus qui ab illo die usque ad Domini adventum futuri sunt praestans, ut summos inde fructus... capere queant. » Et homil. de capt. Eutropio, n. 4: « Nihil fortius Ecclesia... nunquam senescit, sed semper viget, quamobrem ejus firmitatem stabili-

« tatemque demonstrans Scriptura, montem illam « vocat. » Certe Ecclesia florens ac fulgens, quae praesto omnibus adest ut fructus capiant, et mons vocatur, est Ecclesia visibilis. Atqui, ex S. Joanne Chrysostomo, haec Ecclesia est solida, stabilis, invicta, et nunquam senescit.

Prob. 3<sup>o</sup> *ratione*. Repugnat omnino Christum voluisse Ecclesiam suam hac destitui dote, cujus absentia a novatoribus refractariis, ad suam rebellionem cohonestandam, allegari possit, quin efficaciter confundi valeant. Atqui talis est indefectibilitas in religione Christi servanda. Ponamus enim Ecclesiam visibilem deficere posse, religionem Christi adulterando; jam novatoribus contententibus hanc reipsa defecisse, et ideo deserendam esse, nihil reponi poterit quo de falsitate convincantur, saltem coram rudibus et simplicibus; siquidem ad probandum Ecclesiam de facto non defecisse, opus erit difficili, laboriosa atque intricata investigatione, et discussione plerisque impervia. Et confirmatur experientia: non enim alia ratione unquam melius novatores confutati sunt, ac ipsamet indefectibilitate a Christo Ecclesiae suae promissa.

**Dico 2<sup>o</sup> :** *Ipsa Ecclesia visibilis ad usque mundi finem est permansura.*

Seu: ultima est salutis oeconomia cui nulla alia succedet.

Prob. 1<sup>o</sup> *argumento negativo.*

Etenim, nullibi invenimus hanc novam salutis oeconomiam clare fuisse praenuntiatam, aut praefiguratam. Atqui exinde legitime concluditur illam nunquam futuram fore. Certe legis evangelicae legi mosaicae substitutio, ideo fuit multipliciter in Testamento

veteri praenuntiata ac praefigurata, ut homines ad hanc suscipiendam paulatim suaviterque disponentur; et tamen lex mosaica non erat universalis, et multa prae se ferebat intrinseca futurae abrogationis indicia. Quanto magis, cum lex evangelica, quae abroganda supponitur, universum orbem impleat, et nulla prae se ferat indicia abrogationis futurae, si revera hujus loco alia excellentior et stabilior substituenda esset, Deus hanc substitutionem praenuntiandam ac praefigurandam curasset!

Prob. 2<sup>o</sup> *argumento positivo.*

Ecclesiae abrogatio fieret vel per ipsius destructionem saltem partialem, vel per alicujus puncti additionem. Atqui utrumque positive demonstratur falsum.

1<sup>o</sup> *Non est abroganda Ecclesia per destructionem etiam partialem.*

a) In veteri Testamento, multa sunt oracula de futuro regno Messiae, dicentia illud permansurum *amodo et usque in sempiternum* (Is. ix, 6), et quod *in aeternum non dissipabitur, alteri populo non tradetur, stabit in aeternum, non corrumpetur* (Dan., ii, 44; iv, 14), *non evellatur et non destruetur ultra in perpetuum* (Jer., xxxi, 40). Atqui regnum Messiae aliqua ex parte dissiparetur, stare desineret, evelleretur, destrueretur, si Ecclesia aliquid amitteret eorum quae ad eam jure divino, seu substantialiter, pertinent.

b) Apud S. Lucam, Angelus dicit ad Mariam de Christo: *Regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis* (Luc., i, 32, 33). Sed nonne regnum ejus acciperet finem, partialiter saltem,

in hypothesi quam impugnamus? Insuper Christus promisit se Apostolis docentibus servare *omnia quaecumque* mandaverat, adfuturum *usque ad consummationem seculi* (Matth., xviii, 18, 19, 20). Ergo, ante seculi consummationem, nihil omnino eorum quae Christus mandavit, abrogabitur. Per consummationem autem seculi, in Scripturis, semper significatur finis mundi; et Christus ipse alibi haec eadem verba hoc sensu usurpat, quando ait: *Messis, consummatio seculi est... sic erit in consummatione seculi* (Matth., xiii, 39, 40).

c) Assertio nostra concluditur etiam ex Patribus jam citatis. Sic S. Hieronymus dicit: « Ecclesiam « usque ad finem mundi... nequaquam posse subverti. » S. Aug. : « Non inclinabitur in seculum seculi. » Idem in Ps. 71, sic loquitur: « Putant (Gentiles) religionem « nominis christiani usque ad certum tempus in hoc « seculo victuram, et postea non futuram. Perma- « nebit ergo cum sole, quamdiu sol oritur et occidit, « hoc est, quamdiu tempora ista volvuntur, non « deerit Ecclesia Dei, id est, corpus Christi in terra. » Audivimus S. Joannem Chrysostomum dicentem Ecclesiam praesto adesse « omnibus qui, ab illo die « usque ad Domini adventum, futuri sunt. »

Ecclesia ergo non est abroganda per sui destructionem.

2<sup>o</sup> *Nec est abroganda Ecclesia per alicujus puncti additionem.*

a) Christus ipse dixit Apostolis: *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (Joan., xvi, 12, 13). Vox *omnem* non est sumenda absolute, ut patet, sed tantummodo de omni veritate quam

Apostoli eorumque successores docere debent usque ad mundi finem.

b) Haec additio, posito quod fiat, non erit proprie Ecclesiae abrogatio. Exclusa enim omni abrogatione per destructionem, sequitur semper permansuram esse Ecclesiam cum sua indefectibilitate et auctoritate. Ergo nulla esset legitima additio, nisi ea quam Ecclesia approbaret; sed per talem additionem, approbante Ecclesia factam, immerito diceretur Ecclesiam proprie abrogatam fuisse.

c) Quod tamen, de facto, id nunquam continget, certi omnino sumus. Nam est constans Ecclesiae traditio, nihil unquam deposito revelationis publicae accessurum esse, atque ita Apostolicitatem esse characterem necessarium cujuscumque doctrinae ab omnibus, tanquam de fide, credendae. « Christi Ecclesia, ait Vincentius Lirinensis (Commonit., c. 32), « sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, « nihil unquam in his permutat, nihil minuit, nihil « addit. » Et ita sentiunt communiter haeretici, qui suas doctrinas contendebant ab Apostolis ortas, et novatorum notam omni studio a se conabantur avertere.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 75.

78. *Ad 1.* Solus quidem Deus est essentia sua indefectibilis; at quamvis omnis creatura absolute loquendo sit capax deficienti, non est de ejus essentia ut revera deficiat; potest igitur, Dei beneficio, a defectu efficaciter praeservari; et hoc sensu dicimus Ecclesiam esse indefectibilem.

79. *Ad 2.* Promissiones Christi de indefectibilitate Ecclesiae exprimuntur verbis absolutis, et in sensu

absoluto semper fuerunt intellectae; eo magis quod iis in sensu conditionato semel sumptis, jam, ut diximus, nullum praesto aderit medium efficaciter vincendi eos qui, adversus Ecclesiam rebellantes, contenderent indefectibilitatis conditiones ab ea non fuisse impletas. Insuper, illae conditiones in eo consistenterent, quod Ecclesia fideliter omnia adhiberet media ad servandum concreditum sibi depositum, nempe christianam religionem. Sed promissio indefectibilitatis est praecise de hac fidelitate, secus illusoria foret ac pene ridicula.

80. *Ad 3.* Varias defectiones apud gentem judaicam observatae, nunquam fuerunt generales, si excipias ultimam quae a Prophetis praenuntiata erat. Ergo duratio illa, quae aliquando terminis generalibus legi mosaicae in Scripturis tribuitur, intra quosdam limites est circumscribenda. Et revera, nunquam de Synagoga, sicut de Ecclesia, dictum est unquam: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Caeterum, quia lex nova figuras legis veteris complevit, hanc non proprie abrogasse, sed potius perfecisse et consummasse dicenda est.

81. *Ad 4.* Verba Christi et Apostoli non de totali Ecclesiae defectione, sed de partiali individuorum, aut gentium recessione sunt interpretanda. In primo textu, agitur de defectione a fide viva quae charitati conjungitur; in secundo textu, praenuntiatur gentium, quatenus talium, apostasia socialis, vi cujus societas civilis constituitur independenter ab Evangelii lege, ut modo infeliciter videmus. At certe nullibi Scriptura asserit Ecclesiam hoc sensu defecturam, quod cessabit obligatio illi adhaerendi.

82. *Ad 5.* Sanctus Hieronymus hyperbolice loquitur, propter apparentem quamdam ac momentaneam multorum defectionem, qui, in concilio Ariminensi, fraudibus Arianorum decepti, dolosae formulae subscripserant. At mens eorum erat omnino catholica, et pars multo major episcoporum cum Romano Pontifice a tali deceptione immunes fuerunt.

83. *Ad 6.* Spiritus sanctus sane mitti debuit et revera missus est a Patre et Filio, quinimo quotidie invisibiliter mittitur, ut corda fidelium divini amoris igne purget et comburat. At quomodo probaretur hunc mittendum esse, sicut Filius missus est, ad novam condendam religionem?

84. *Ad 7.* Nihil vetat Ecclesiam, intactis suis dogmatibus ac praeceptis divinitus datis, sese omnium temporum et locorum necessitatibus accommodare; disciplina siquidem ecclesiastica nullatenus est immutabilis; et rem ita feliciter cessisse in Ecclesia Romana tota historia testatur. Nedum autem Catholicismus hodie videatur antiquatus, et bono generis humani procurando impar, mirabile e contra, quoties non impeditur, populis et individuis fructus gignere non cessat, novisque in dies mundum cumulat beneficiis. E contra, omnes institutiones, quas extra aut contra Ecclesiam homines conantur erigere, nec ad mores in melius mutandos, nec ad pacem atque veram civilisationem promovendas proficiunt, neque stabilitate gaudent, sed inquietae subjacent mobilitati, et post breve tempus vergunt in interitum.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Utrum, quia Christus instituit Ecclesiam visibilem et indefectibilem, jure concludatur Ecclesiae Romanae divinitas?

85. Resp. Affirmative.

Prob. 1<sup>o</sup> serie monumentorum non interrupta.

Etenim, Ecclesiae Romanae membra actu vivencia, certe non sunt membra alterius societatis, ac Catholici generationis immediate praecedentis quibus successerunt; vincula siquidem communionis ecclesiasticae, inter utramque generationem, innumerabilibus dictis, gestis, scriptis et documentis apertissime constant. At idem dici potest de aliis prioribus generationibus sibi succedentibus; sicque sine ulla continuitatis solutione retrogradiendo, pervenitur ad Ecclesiam Apostolorum. Unde, si poneretur aliquem Christianum Apostolis coaevum nondum obiisse, nec societatem cui primum incorporatus fuerat deseruisse, hodie reperiretur in sinu Ecclesiae Romanae degens. Ergo Ecclesia Romana est ipsissima illa societas, quam Christus fundavit indefectibilem et perpetuam.

Prob. 2<sup>o</sup> argumento praescriptionis.

Si Ecclesia Romana non est eadem ac ea quam Christus instituit, dicenda est industria hominum, temporum decursu, introducta. Institutum autem istud, et adhaerentium numero, et gestorum magnitudine, et constitutione sua mirabili, est indubitanter inter caetera omnia conspicuum. Ergo tanti operis executio non potuit oculos hominum effugere, et eorum attentionem imo et admirationem non provo-

care, necnon multas commotiones non excitare; et ideo clara, certa et illustria in monumentis historicis reliquit vestigia. Dicant igitur adversarii a quibus, quando, quomodo incoeptum sit, creverit et consummatum fuerit? At id nunquam praestare potuerunt, et interrogati qua ratione immensa haec societas fuerit in mundo sine Christo implantata, nihil clari, certi et uniformis respondent. Alii affirmant Romanismum incoepisse a concilio Constantiensi, alii a tempore ipso Apostolorum, alii varias afferunt epochas inter duo illa extrema; nec minus sunt incerti circa auctores, media, circumstantias et progressus institutionis Ecclesiae Romanae.

Prob. 3<sup>o</sup> ex comparatione inter Ecclesiam Romanam et caeteras sectas christianas.

Etenim, ex dictis, Ecclesia a Christo instituta jugiter ac visibiliter perseverare debuit. Ergo, posito quod haec societas diversa sit ab Ecclesia Romana, poterit, extra Romanam Ecclesiam, alia designari cujus origo ad Christum ascendat. Jam vero illud est omnino impossibile. E contrario, omnes noverunt singulas sectas christianas, extra Romanam, esse Christi temporibus posteriores, illarumque originem, tempus, auctores, progressus, variasque circumstantias in quibus propagatae sunt, passim in monumentis historicis clare et uniformiter declarari.

Equidem, illarum auctores contendebant se non novam afferre religionem, sed religionem Christi adulteratam ad priorem reducere puritatem; nullo autem modo negare possunt, se novam societatem ab omnibus aliis tunc existentibus distinctam efformasse. Ex quo sic arguitur: vel Ecclesia a Christo fundata jam

amplius non existeret, et hoc admitti nequit, cum vera Ecclesia sit indefectibilis; vel adhuc existeret, et novatores hanc inquirere, et ei cognitae adhaerere debuissent. Ergo novam condendo Ecclesiam, convincantur extra veram vagari.

QCAESTIO V<sup>a</sup>

Utrum ex indefectibili Ecclesiae Romanae, per novem et decem secula, conservatione, jure etiam concludatur ipsius divinitas?

(Vide Hurter: *Theol. gen. n. 120.* — Vincent: *de Vera Relig. n. 156.*)

86. Videri potest quod non.

1<sup>o</sup> Etenim, insatiabilis apud Ecclesiae Romanae sacerdotes et pastores fervet zelus propagationis; ex quo factum est, hanc ita universum orbem invasisse, ut omnes societates et institutiones humanas in sinu suo concluderet, et in nulla earum includeretur. Unde, singulis pereuntibus, supervivere debuit naturaliter.

2<sup>o</sup> Praeterea, in Catholicismo auctoritas suprema sibi vindicat jus infallibiliter docendi, imperiumque exercetur absolutum supra singulorum fidelium conscientias; et ideo, omnium cujuscumque nationis et ingenii intelligentias et voluntates sibi subjicit, et in unitate retinet. Sic itaque praecipua dissolutionis principia a se feliciter amovendo, debuit indesinenter perseverare.

3<sup>o</sup> Praeterea, ex nativa sua indole, Catholicismus et mentium activitatem comprimit, et semetipsum a quotidianis institutionum progressibus alienum prae-

bet, suosque et sua perpetuae devovet immobilitati. Quid igitur mirum si, inter humanarum rerum vicissitudines, naturaliter propriaque sua mole stet et conservetur?

4<sup>o</sup> Praeterea, catholica Ecclesia solerter in sui patrocinium, juxta circumstantias, modo invocavit principum civilium potentiam, ad populos in fide et obedientia redigendos; modo populos ipsos contra principes excitare non dubitavit, ut seipsam adversus eorum conatus defenderet; et sic mediis naturalibus potuit incolumis persistere.

87. Sed contra dico: *Perpetua Ecclesiae catholicae conservatio divinitatem illius demonstrat.*

Conservatio vi cujus Ecclesia Romana, actualiter existens, eadem est moraliter cum societate quam Christus instituit, est signum quo, omni tempore, ab aliis sectis pseudo-christianis, evidenter discreta est; sed factum illud, spectatum in se, independenter a Christi promissionibus, et quatenus jam a decem et novem seculis perseverat, non obstantibus innumeris ac potentissimis interitus causis, habet etiam vim demonstrativam ineluctabilem; quia in eo splendidissimum deprehenditur miraculum, et quidem multiplex.

I<sup>um</sup> miraculum: *Praeservatio ab interitu contra ipsammet diuturnitatem et universalitatem.*

Ea est enim rerum humanarum conditio, quod perpetuis subjaceant agitationibus, et post aliquod tempus in interitum vergant; et eo citius debilitentur, quo majorem et celeriore obtinuerint extensionem. At Ecclesia catholica celerrime per totum dilatata est orbem, et ejus membra nulla vi externa inter se colli-

gantur. Quomodo igitur naturaliter potuerit per tot saecula sic universalis et incolumis perseverare? Id sane Dei solius opus est, qui suo imperio omnia tempora et loca continens, providit: 1° ut religionis suae constitutio omnibus temporibus et locis accommodaretur; 2° ut omni loco et tempore hominum intelligentias et voluntates subjugaret, quamvis semper et ubique naturae corruptae esset contraria.

**II<sup>um</sup> miraculum:** *Praeservatio ab interitu, non obstante defectu mediorum naturalium, quibus falsae religiones subsistere solent.*

Cum enim falsa religio stare non possit motivorum suorum pondere, nec protectione divina, hinc est quod ejus conservatio, plus minusve diuturna, mediis humanis tribuenda sit; videlicet: 1° si cupiditatibus faveat; 2° si ejus cultores in aliqua regione detineantur, et a commercio cum aliis hominibus abstineant; 3° si apud eos torpescat ingeniorum activitas, et in quadam jaceant intellectuali immobilitate; 4° si continuo obvia sit principum temporalium protectio; 5° si fidem suorum per vim extorqueat; 6° si se tueatur adversus objectiones, dogmata sua dissimulando aut adulterando, vel disputationes declinando, vel ad subtilitates aut sophismata recurrendo, vel facta historica fraudulentè corrumpendo aut negando, vel demum, ubi desunt argumenta, caeteros ad silentium cogendo. Atqui nihil tale invenies in catholica Ecclesia.

1° Certe, ut omnes norunt, cupiditatibus non favet. — 2° Ejus asseclae toto orbe disseminati, cum omnibus gentibus habent commercium. — 3° Magna apud eos fervet ingeniorum activitas, omnium scientiarum studium potenter exstimulans. — 4° Saepe saepius prin-

cipum temporalium omni subsidio caruit, qui passim e contra sese illi infensissimos praebuerunt. — 5° Non vi, sed persuasione tantum mentes sibi subjicit. — 6° Ut adversus objectiones se tueatur, nulla sua dogmata dissimulat; nulla inflectit secundum rationis naturalis placitum; non declinat disputationes, sed semper parata est ad rationem reddendam secum contententibus, nihilque magis timet quam ignorari; nec his qui contradicunt silentium imponit, bene vero quascumque dubitandi rationes libentissime audit atque ponderat. Atqui, haec omnia satis ostendunt Ecclesiam catholicam puro veritatis sensu animari, et invictam habere propriae indefectibilitatis fiduciam; quae omnia in nulla alia religione aut secta observantur.

**III<sup>um</sup> miraculum:** *Praeservatio ab interitu contra naturale propriae constitutionis periculum.*

Ecclesia catholica — 1° dogmatum suorum obscuritate multorum intelligentiarum superbiam offendit, et novitatum amatoribus occasionem praebet, varia quotidie opinionum commenta proferendi, ex quo multae haereses scaturire debuerunt; — 2° praeceptorum suorum auctoritate, voluntates jugi impatientes exasperat; ex quo innumera scandala prodire necesse fuit; — 3° apud eam, sunt multi episcopi inter se aequales et Romano Pontifici subjecti, dignitates ecclesiasticae magnos secum afferunt honores, et ordinarie maxima emolumenta, et insuper sunt electivae. Ex quo, multorum ambitio et cupiditas, innumeris factionibus, machinationibus, rebellionibus, non potuerunt viam non aperire; — 4° Ecclesia demum seipsam profitetur societatem perfectam, ab omni principum civilium auctoritate independentem, in suo ordine supremam.



Sed quanta inde oriri debuit adversus eam aemulatio! quanta cupido imperium sacerdotale usurpandi et cum temporali imperio conjungendi! Quot ideo colluctationes ac tempestates! Quot lugenda schismata!

Atqui tamen, praefatis non obstantibus, inviolata remansit substantialis religionis catholicae constitutio; quinimo, ipsius jura et praerogativae magis ac magis enituerunt; Romani pontificis imperium spirituale splendidius exaltatum est; hodieque plus quam praecedentibus aetatibus, omnes sive episcopi, sive fideles Sedi apostolicae intime agglutinantur.

IV<sup>um</sup> **miraculum** : *Doctrinae catholico-romanae incolumitas contra dogmatizantium impugnationes.*

Jam ab initio doctrinam catholicam pervertere conati sunt Gnostici, Marcionitae, Ebionitae, Manichaei... etc.. Elapsis autem tribus prioribus saeculis, ex Ecclesiae gremio insurrexerunt Ariani, Donatistae, Nestoriani, Pelagiani, Eutychiani, Monothelitae, Iconomachi, alique haeretici quam plurimi; quibus successerunt Albigenses, Hussitae, Wiclefitae, et praesertim innumerae Protestantium sectae, in decimo sexto saeculo. Ultimo, vix dici potest quanta perfidia, et quam fervido impetu eam aggressi sint Jansenistae, Deistae, Rationalistae, et nunc Liberales et Socialistae. Qui omnes Catholicismum insectati sunt, tum verbis, tum scriptis publice editis, per sophismata, per apparentes antilogias, per malignas calumnias, per cumulas irrisiones, per sacrae Scripturae necnon historiae dolosas corruptiones, aut investigationes scientificas, etc.

Atqui tamen, nedum hisce conatibus fidei unitas

labefactata fuerit, multo magis exinde felix nata est occasio veritates revelatas in majori luce collocandi, verbis expressioribus definiendi, contra omnium sophismata gloriosius vindicandi; et sic contigit mirabilius clarescere omnium Catholicorum in iisdem dogmatibus profitendis conspirationem, licet sint innumeri, ubique gentium dispersi, inter se ingenio, lingua, moribus et regiminis civilis forma dissiti, et nonnunquam in medio Gentilium, aut haeticorum, aut schismaticorum degentes.

V<sup>um</sup> **miraculum** : *Ecclesiae catholicae stabilitas contra cujusvis generis persecutiones.*

Persecutiones enim quasi continuas sustinuit, sive ab extraneis, sive a perversis etiam Catholicis. Per tria priora saecula, dirissimae saevierunt in toto imperio Romano Christianorum caedes. At quot aliae machinationes adversus eam molitae sunt, saeculorum decursu, in omnibus mundi partibus! Quid non passa fuerit a Juliano Apostata, a Barbaris, a Mahumetanis, et heu! saepe nimium, ab ipsis regibus et imperatoribus catholicis? quid ab illis nefandis hominibus qui, saeculo nuper elapso, in Gallia totum statum ecclesiasticum perverterunt et cruentarunt? Quis ignorat hodie Ecclesiae catholicae hostes foedera inter se atrociter iniisse, quibus sese jusjurando obstrinxere, nullis parcendi mediis, nullis sumptibus, nullis industriis, ut Catholicismus tandem de medio tollatur? Quod iniquitatis mysterium indesinenter progreditur, et cum incredibili solertia omnes politicos eventus ad finem intentum dirigit.

Atqui tamen, ex omnibus praedictis procellis Ecclesia catholica semper egressa est purior, vegetior

et fortior; hodie magis ac magis dilatatur, et sub multiplici respectu, nunquam tantopere floruit. Quinimo, factum est varias illas tempestates causas fuisse cur clarius refulgerent Ecclesiae sanctitas, Pontificum zelus et fortitudo, fidelium erga Christum ejusque membra amor, sanctorum patientia et longanimitas; cur etiam multorum excenteretur tepiditas, et per apostatarum secessum, membra pestifera reseccarentur.

*VI<sup>um</sup> miraculum: Modi mirabiles quibus divina Providentia suae Ecclesiae, pro variis circumstantiis, semper auxilium opportunum attulit.*

Etenim, 1<sup>o</sup> furentes tempestates, contra omnem spem, insperate et subito sedatae sunt, aut morte, aut eversione, aut conversione persecutorum.

2<sup>o</sup> Deus, quoties opus fuit, inter Catholicos suscitavit doctores eximios, ad grassantes errores contendendos; principes potentissimos ac piissimos, qui religionis patrocinium suscipere; spirituales militiae variis variarum aetatum necessitatibus accommodatas, necnon pastores virosque sanctitate extraordinaria praeditos quibus, apud caeteros, fidei et morum integritas efficaciter procuraretur.

3<sup>o</sup> Quando barbari Romanum imperium invaserunt, Deus ipse, ne omnis civilis definitiva periret, in Catholicismo omnia paraverat elementa, ut novae illae gentes adhuc incultae, rudes, spiritu evangelico sensim informarentur, et Europam christianam constituerent.

4<sup>o</sup> Quoties religio catholica vidit gentes a se avulsas, alios eodem tempore populos numerosiores sibi copulavit, ita ut nunquam cessaverit esse universalis.

Quam historiam ecclesiasticam tantisper attendenti,

clarum fit omnes eventus ad Christi regnum, per religionem catholicam disseminandum, servandum atque roborandum, dirigi. Ergo.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 86.

88. *Ad 1.* Ingens Catholicismi dilatatio naturaliter magnum secum affert impedimentum unitati, tum fidei, tum regiminis, atque causas interitus multiplicat, ut patet.

89. *Ad 2.* Deus equidem principio auctoritatis utitur ad fideles coadunandos, ad dirigendas conscientias, vigoremque disciplinae servandum. Sed quominus per hujus auctoritatis exercitium praeaudati fines obtineantur, obstant innumerae difficultates jam memoratae, et naturaliter insuperabiles.

90. *Ad 3.* Falsum esse quod ibi praetenditur constat historia. Nulla siquidem institutio, tanto ardore et tam efficaciter ac catholica, allaboravit ad philosophiae et scientiarum cultum atque evolutionem. Nunquam vero progressum ullum adversata est, nisi ubi iudicavit hunc esse veritati oppositum. Atqui progressus extra et contra veritatem est certe eminentis et maxime exitialis.

91. *Ad 4.* Cum Catholicismi praecones et rectores, ut jura veritatis et virtutis tuerentur, nec populis nec principibus parcere consueverint, quomodo sibi, modo principum, modo populorum subsidium poterint obtinere? Quae omnia supponunt, et principes et populos Ecclesiae catholicae addictissimos fuisse, et in hoc praecise jacet difficultas. Caeterum, saepissime et principes et populos sibi simul infensissimos experta est, et inconcussa permansit.

DISSERTATIO TERTIA

DE DIVINITATE ECCLESIAE ROMANAE EX INSTITUTIONE  
PRIMATUS PROBANDA

(Vide Hurter : *Théol. génér.*, n. 467... 540;  
Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 843... 947.)

92. Illud argumentum sic breviter contrahitur :  
Christus, Ecclesiam instituendo, hanc aedificavit supra  
Petrum, cui contulit verum primatum jurisdictionis  
in omnes fideles, etiam episcopos, voluitque hunc esse  
perpetuum. Unde, nisi dicatur veram Ecclesiam  
periisse, seu non esse indefectibilem, necesse est,  
inter varias societates christianas, unam reperiri cui  
praesit legitimus B. Petri successor. At alia non datur  
nisi Ecclesia Romana. Sint igitur quatuor quaestiones  
sequentes :

QUAESTIO I<sup>a</sup>

Utrum B. Petrus acceperit a Christo primatum  
jurisdictionis super universos fideles ?

93. Resp. Primatus est duplex : unus honoris, alius  
jurisdictionis. Primatus honoris, est praeminentia  
sine auctoritate, qualis in collegio aequalium, primo  
inter pares competere solet. Jurisdictionis primatus,  
est praerogativa qua quis constituitur verus aliorum  
superior, veram in eos tanquam sibi subditos pro-  
testatem habens. Ex primatu jurisdictionis sponte  
fluit primatus honoris. De priori ergo tantum agen-  
dum est.

Hunc Petro collatum esse negantes sic ratioci-  
nantur :

1<sup>o</sup> Ex S. Marco IX, 34, sic Christus ad Apostolos :  
*si quis vult primus esse erit omnium novissimus,  
et omnium minister.* Ergo omnem inter eos domi-  
nationem reprobat.

2<sup>o</sup> Praeterea, ex B. Paulo : *Fundamentum aliud  
nemo potest ponere, praeter id quod positum est,  
quod est Christus Jesus* (I Cor., III, 11). Ergo petra  
illa supra quam Christus dicit aedificandam Ecclesiam,  
est Christus ipse, non persona Petri.

3<sup>o</sup> Praeterea, inter SS. Patres, alii dicunt per hanc  
petram designari Christum, alii fidem Petri, alii con-  
fessionem fidei ab eo factam, alii Apostolorum colle-  
gium. Ergo nolunt Ecclesiam aedificatam fuisse supra  
Petrum.

4<sup>o</sup> Praeterea, potestas ligandi atque solvendi Petro  
promissa, eadem est ac ea quae caeteris Apostolis  
traditur per haec verba : *Quorum remiseritis pec-  
cata remittuntur eis, et quorum retinueritis,  
retenta sunt.* (Joan., XX, 23.) Ergo non promittitur  
Petro nisi remittendi ac retinendi peccata potestas.

94. Sed contra dico 1<sup>o</sup> : *Ex S. Matthaeo constat  
Christum B. Petro promisisse primatum jurisdic-  
tionis super universalem Ecclesiam.*

Post intrepidam divinitatis Christi confessionem,  
B. Petrus haec a Magistro audivit : *Beatus es, Simon  
Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi,  
sed Pater meus qui in coelis est. Et ego dico tibi,  
quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo  
Ecclesiam meam, et portae inferi non praeva-  
lebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni*

*coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis* (Matth., xvi, 17, 18, 19).

Unde sic: Promissio quam haec verba continent respicit ipsiusmet Petri personam. Atqui illa promissio est de conferendo primatu jurisdictionis super universam Ecclesiam. Ergo... Utraque praemissa probanda est.

**Probatur major.**

Promissio Christi ad hunc dirigitur, qui declaratur beatus ob fidei confessionem, cujus refertur nomen familiae *Simon*, nomen patris *Jona*, cujus memoratur cognomen a Christo jam antea impositum, *Petrus*. Sed haec omnia apertissime soli personae Petri conveniunt.

Insuper, aedificanda est Ecclesia super *hanc petram*; quod pronomen *hanc* ad subjectum immediate praecedens, id est, ad Petrum, necessario refertur. Nec te moveat Christum, juxta latinum et graecum idioma, primum appellasse *Petrum* in masculino genere, et postea *petram* in feminino. Nam in lingua syriaca, qua usus est Christus, eadem vox adhibetur: Tu es *Cepha*, et super hoc *Cepha*. At in textu latino et graeco, ideo mutatur genus, quod masculinum genus melius congruit ad designandum virum, et femininum ad designandum lapidem. Unde prius vocabulum significat Petrum ut est persona, et posterius significat eundem, prout habet rationem saxi sustentantis Ecclesiam.

Demum verba: *Ego dico tibi... tu es... tibi dabo... quodcumque solveris*, evidentissime ad personam

Petri spectant, nisi dicas Christum inintelligibiliter et contra omnes regulas grammaticas locutum esse. Ergo constat major.

**Probatur minor.**

Seu: promissio Christi est de conferendo primatu jurisdictionis super universam Ecclesiam; et id concluditur 1° ex metaphora fundamenti, 2° ex metaphora clavium; 3° ex potestate ligandi et solvendi.

1° *Ex metaphora fundamenti*, et quidem dupliciter:

a) Aedificium spirituale, qualis est Ecclesia, in tantum erigitur supra Petrum, in quantum omnes fideles, servando communionem cum Petro, ad invicem coadunabuntur, quoad doctrinam profitendam, et quoad disciplinam observandam; nulla, siquidem, est unitas socialis in societate spirituali, absque hac duplici mentium et voluntatum communione. Atqui, non poterat Petrus procurare unitatem mentium, sine auctoritate docendi, nec unitatem voluntatum, sine auctoritate regendi.

b) Fundamentum aedificii non solummodo unitatem impertitur, sed firmitatem etiam; firmitas autem Ecclesiae super Petrum aedificandae, tanta esse debet, ex Christo, ut portae inferi adversus eam non praevalent. Debuit igitur Petrus Ecclesiam tutam et incolam praestare contra omnia pericula. Sed nullus potest aliquam societatem hoc modo tueri, nisi habeat universalem in ea jurisdictionem. Tenetur enim, ad talem finem obtinendum, res et membra societatis inspicere, has et illas leges, haec et illa munera decernere, ministros idoneos praeficere, poenas infli-

gere delinquentibus, etc... Porro in his omnibus includitur vera et universalis jurisdictio. Ergo.

2° *Ex metaphora clavium.*

Etenim, quicumque singulariter accipit alicujus regni claves, habet in eo auctoritatem supremam. Atqui regnum coelorum, cujus Petrus singulariter accipere debet claves, est Ecclesia militans. Ergo.

*Major constat.* Collatio enim clavium alicujus loci, praesertim apud veteres Orientales, semper habita fuit ut symbolum collatae potestatis, vi cujus, eas accipiens potest disponere de rebus et personis in eo loco inclusis. Et si quis solus has teneat claves, jam ejus potestas est suprema, cum a nullius alterius consortio limitetur et pendeat. Unde, etiam apud nos, regi solemniter ingredienti civitatem traduntur claves, in signum subjectionis.

*Minor constat.* Agitur siquidem de Ecclesia adversus quam insurgent inferorum portae, et super quam potestatem exercens, Petrus ligabit et solvet in terra. Ergo de Ecclesia militante.

3° *Ex potestate ligandi et solvendi.*

Promittitur Petro potestas quodcumque ligandi et solvendi super terram. Atqui talis potestas est suprema, cum non restringatur, nec quoad loca, nec quoad res, nec quoad personas.

a) Non restringitur quoad *loca*. Quoties vox *terra* in Scripturis comparatur cum voce *coelum*, designat terram universam, et non tantum ejus partem. Ergo, cum in textu S. Matthaei, terra, super quam Petrus potest ligare et solvere, opponatur coelo ejus sententias ratihabituero, promittitur Petro auctoritas in omni loco exercibilis.

b) Non restringitur quoad *res*. Verbum enim *quodcumque* sensum habet universalem, nec limitatur ejus significatio ad hoc vel illud ligamen. Hinc omne vinculum, cujus impositio vel solutio Deo non reservatur, a Petro imponi et solvi potuit; aliis verbis: omnis potestas a Deo Ecclesiae data, in Petro etiam reperiri debuit. Sic, v. g. Ecclesia potest leges ferre, causas judicare, poenas decernere, impedimenta matrimonium dirimentia instituere, dispensare a votis, edere decreta dogmatica... etc... ergo et Petrus id potuit.

c) Nec restringitur potestas Petri quoad *personas*. Id sequitur evidenter ex illius universalitate quoad loca et res. Auctoritas sane non exercetur circa loca et res, nisi relative ad personas quae rebus utuntur et loca habitant. Promittitur ergo Petro auctoritas sine restrictione, seu primatus jurisdictionis super universalem Ecclesiam.

95. Dico 2°: *Ex sancto Joanne, constat Christum B. Petro contulisse primatum jurisdictionis super universam Ecclesiam.*

Sic legimus (Joan., XXI, 15, 16, 17): *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: amas me? Et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oves meas.*

Unde : Pascendi munus, de quo agitur in praefato colloquio, soli Petro singulariter tribuitur. Atqui munus illud secum fert supremam jurisdictionem in Ecclesia. Ergo.

**Probatur major.**

Juxta Evangelistam, sermo Christi dirigitur ad Simonem Petrum, *dicit Simoni Petro Jesus*; Christus interpellat Petrum, et nomine proprio et nomine patris, et quidem tribus vicibus : *Simon Joannis*; illum interrogans : *Diligis me plus his?* aperte excludit alios etiam Apostolos, cum ibi, ex textu sacro, adessent Nathanael, Jacobus, Joannes, Thomas et duo alii discipuli; Petrus, audita trina interrogatione, contristatus est, memor sane trinae negationis, et ideo intelligens se solum interpellari; demum, verbis immediate sequentibus, Christus Petro annuntiat futuram ejus crucifixionem : *Cum sederis, extendes manus tuas, et alius te cinget....*

*Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum* (ibid. 18, 19); et hoc soli Petro convenit. Ergo...

**Probatur minor.**

Ad hoc sufficit ut verbum *pasce* significet veram auctoritatem, et haec auctoritas Petro absque limitatione ulla conferatur.

1° Jam vero, verbum *pasce*, seu, ut legitur in Graeco *poimaine*, quoties exprimit curam de personis gerendam, sumitur in Scripturis pro munere regendi, et *pastor hominum* idem est ac rector; v. g. *Dixit Dominus ad te : Tu pasces* (graece *poimaneis*) *populum meum* (2. Reg., v, 2.); *Hic est Deus noster... Ipse reget* (graece *poimanei*) *nos*

(Ps. XLVII, 15); *Ex te exiet dux qui regat* (graece *poimanei*) *populum meum* (Matth., II, 6).

De caetero, pastoris est non solum ovibus cibum procurare, sed etiam eas ducere, reducere, tueri, regere, castigare; quae omnia, ubi erga homines fiunt, veram jurisdictionem important. Ergo vera confertur Petro auctoritas.

2° Illa auctoritas, quam significat vox *pasce*, confertur Petro absque limitatione, seu extenditur ad omnes personas et ad res omnes.

a) *Ad omnes personas.* Dicit enim Christus : *oves meas, agnos meos*; sed verba *meos, meas* indicant omnes quae sunt de Christi ovili; ergo omnes Christianos. Et aliunde, nisi Christus omnes agnos et oves, seu omnes Christianos, Petro commiserit regendos, debuisset definire quinam forent ab eo regendi, quinam non; secus Petrus, individuos sibi subjectos ignorans, neminem potuisset regere.

b) *Ad omnes res.* Vox *pasce* indefinite significat omnia pastoralis muneris officia; alioquin Christus debuisset definire quaenam officia a Petro gerenda vellet, ne Petrus, de suae potestatis objecto incertus, nullum opus ausus fuisset aggredi.

**96. Dico 3° : Primatum jurisdictionis B. Petro collatum sancti Patres agnoverunt.**

Ne longior sim, ad quatuor classes sanctorum Patrum testimonia reducam.

1° *classis* est eorum qui, verba Christi ad Petrum interpretantes, aperte declarant Ecclesiam supra Petrum aedificatam, et universum gregem dominicum Petro fuisse commissum. Sic Origenes (homil. in Exod., n, 4). Petrum vocat magnum fundamentum Ecclesiae,

ac petram solidissimam, « super quam Christus fundavit Ecclesiam ». Idem (in Ep. ad Rom., c. 6): « Petro, cum summa rerum de pascendis ovibus traderet, et supra ipsum velut petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi caritatis exigitur ». — Ex S. Basilio (Prooem. de Judic. Dei, n. 7), Petrus, omnibus discipulis praelatus, Ecclesiae aedificationem in seipsum recepit. — Ex S. Amb. (in Ps. 40, n. 93). « Ipse est Petrus cui dixit: Tu es Petrus... Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia ». Idem (l. 10, in Luc. ad c. 24) de Petro, sic: « Jam non agnos, ut primo quodam lacte pascendos, nec oviculas, ut secundo, sed oves pascere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret ». Ex Theophylacto (in cap. ultimo Joan.): « Finito prandio, praefecturam ovium totius mundi Petro commendabat, non autem alii, sed huic tradidit ».

2<sup>a</sup> classis est eorum qui exhibent Ecclesiam ut aedificatam supra fidem Petri non abstractam, id est, aedificatam supra Petrum, quatenus singulari et eximia fide praeditum et armatum, propter hanc fidem electum, et per hanc solidam et indeficientem fidem, Ecclesiam contra portas inferi conservantem. Usus enim convaluit ut, quando quis sua sapientia, fortitudine, aliquid effecit, id ejus sapientia et fortitudine dicatur effectum. Vide S. Epiphanium (haer., 59, n. 7), S. Cyrillum Alex. (Dialog. 4, de Trinit.), etc., etc.

3<sup>a</sup> classis est eorum qui perpetuitatem primatus B. Petro collati asserunt, et de quibus infra, n. 113.

4<sup>a</sup> classis est eorum qui Romano Pontifici juris divini primatum ideo tribuunt, quod sit successor B. Petri, et illos infra appellabimus, n. 113.

Jam vero, nullus est Ecclesiae doctor, nullus priorum quinque saeculorum auctor ecclesiasticus, nulla liturgia Orientalis aut Occidentalis, quae non recenseatur semel aut pluries in una saltem ex his quatuor classibus.

Hinc patet quam merito conc. Vatic. definierit (Sess., IV, c. 1): « Si quis dixerit beatum Petrum Apostolum, non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit. »

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 93.

97. *Ad 1.* Christus solum primatum fastu et ambitione plenum reprobatur, non autem illum qui cum humilitatis et charitatis spiritu exercetur.

98. *Ad 2.* Fundamentum, de quo loquitur Paulus in 2. Ep. ad Cor. est fundamentum primum et im-participatum, quod non excludit aliud participatum et secundarium; secus, cur dixisset (Eph., II, 20) Ecclesiam supraaedificatam *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum?*

99. *Ad 3.* Illae nonnullorum Patrum interpretationes datae sunt juxta sensum accommodatum, sed non sensu proprio immediato ac litterali, quem in multis locis clare intelligunt de persona Petri. Hinc, licet ab eis Christus dicatur petra princeps et angularis, Petrus tamen exhibetur ut petra subordinata. Item, ut vividius extollant meritum fidei necnon confessionis a Petro prolatae, asserunt Ecclesiam

super hanc fidem aut confessionem aedificatam esse, quia hac Petrus caeteris praeferrri obtinuit; quo simili modo S. Hieronymus (Cont. Jovin., n. 35) et S. Ambr. (De interpel. Job. l. 1, c. 5, n. 15) dicunt super aquas ambulasse, non corpus sed fidem Petri. Sensu pariter accommodatio affirmant Ecclesiam fundatam esse super collegium Apostolorum, ut melius collegii Apostolici unitatem cum Petro magnificent.

100. *Ad 4.* Immerito potestas ligandi atque solvendi confunditur cum potestate remittendi ac retinendi peccata. Prior est de quocumque ligamine, posterior de solo peccati vinculo; in priori, facultas ligandi ante solvendi facultatem exprimitur, quia primario tendit ad libertatem coercendam; in posteriori, facultas remittendi peccata ponitur ante facultatem retinendi, quia primario ordinatur ad peccatorum remissionem. Denique, attento contextu, haec ligandi atque solvendi potestas est evidenter illa, vi cujus Petrus sustentat Ecclesiam militantem, et ejusdem claves accipit, seu, est potestas rectoria.

QUAESTIO II<sup>a</sup>

Quomodo speciatim ostendatur B. Petrum obtinisse primatum supra caeteros Apostolos?

101. *Resp.* Aliqui volunt omnibus Apostolis collatam fuisse a Christo aequalem regendi Ecclesiam potestatem; ita Marsilius Patav. Quidam Jansenistae dixerunt S. Paulum Petro aequalem fuisse in primatu jurisdictionis.

In eorum favorem sic ratiocinari potest:

1<sup>o</sup> Potestas ligandi et solvendi eadem ac Petro pro-

mittitur Apostolis (Matth., xviii, 18); et Christus mittens Apostolos, omnibus pariter jubet ut fideles quoscumque baptizatos informet ad servandum omnia quaecumque mandaverat (Matth., xxviii, 20). Ergo in regendi potestate omnes Apostoli aequiparantur Petro.

2<sup>o</sup> Praeterea, B. Paulus dicit Ecclesiam aedificatam *super fundamentum Apostolorum* (Eph., ii, 20), et in corpore Christi mystico, seu in Ecclesia, Deum posuisse primum Apostolos (I Cor., xii, 28). Ergo iterum omnes Apostoli aequae primatum tenuerunt.

3<sup>o</sup> Praeterea, in Actibus Apostolorum, narratur Petrum rationem reddidisse de Gentilium admissione in Ecclesiam (Act. xi, 4...), et Petrum ab Apostolis missum fuisse ad Samariam (Act. viii, 14). Atqui nullus suarum actionum rationem reddit suis inferioribus, nec ab eis missionem accipit.

4<sup>o</sup> Praeterea, Paulus saltem videtur Petro aequalis. Etenim declarat caeteros Apostolos nihil ipsi contulisse, sibi creditum esse Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis, imo se in faciem Petro restitisse (Gal., ii, 6, 7, 11). Insuper, Romani Pontifices, in suis Constitutionibus, appellare solent auctoritatem Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et in sigillis diplomatum pontificiorum utriusque Apostoli exhibentur imagines.

102. *Sed contra dico: Petrus primatum habuit supra omnes Apostolos.*

Prob. 1<sup>o</sup> *ea jam stabilitis.*

Jam stabilivimus Petrum, quatenus ab aliis Apostolis distinguitur, a Christo accepisse ut esset fundamentum Ecclesiae, ut haberet claves regni coelo-



rum, necnon potestatem ligandi atque solvendi omnes homines, et ut pasceret universum Christi gregem, non tantum agnos, sed etiam oves. Atqui caeteri Apostoli erant partes Ecclesiae supra Petrum aedificatae, erant cives regni cujus Petres habebat claves, erant oves dominici gregis Petro commissi. Ergo.

Prob. 2<sup>o</sup> ex SS. Patribus.

Nam 1<sup>o</sup> interpretando textus ex S. Matthaeo et S. Joanne supra allatos, unanimiter Patres affirmant Petri praeeminentiam prae caeteris Apostolis, hujus praelationis varias afferunt rationes, huncque primatum bono unitatis institutum esse docent.

Nam 2<sup>o</sup> in aliis locis innumeris, Petrum tanquam caeterorum Apostolorum principem et caput celebrant: Sic v. g. Origenes (in divers. Evang. hom. 2): « Quis esset altior Apostolorum illo qui est et dicitur « vertex eorum? » — S. Cyrillus Hierosol. (Catech., 2, 7, 18) nuncupat Petrum « Apostolorum summum et « principem ». — S. Basilius (Proem. de Jud. Dei): « Beatus Petrus omnibus discipulis praelatus fuit, cui « majora data sunt quam aliis testimonia, qui prae- « dicatus est beatus, cui claves regni concredita « sunt. » — S. Greg. Nazian. (Carm. de seipso et « adv. episc.) Petrum appellat « principem Aposto- « lorum ». — S. Greg. Nyss. (Serm. 2, de Steph.) de Petro dicit: « Qui Apostolorum est caput ». — S. Ambr. (in 1. Cor. 12): « Prior Andreas secutus est « Salvatorem, sed primatum non accepit, sed Pe- « trus. » — S. Hieron. (lib. 1, cont. Jov.): « Licet « super omnes Apostolos ex aequo Ecclesiae fortitudo « solidetur, tamen propterea inter duodecim unus « eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur

« occasio ». Ibi aequalitas Apostolorum cum Petro est evidenter sola aequalitas ordinis et Apostolatus. Eodem sensu S. Cyprianus dicit: « Hoc erant utique « et caeteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio « praediti et honoris et potestatis. Sed exordium ab « unitate proficiscitur, ut Ecclesia una esse mon- « stretur. » Antea idem dixerat de Petro: « Super « illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pas- « cendas mandat oves suas. »

Prob. 3<sup>o</sup>. *Variis praerogativis quibus legimus Petrum decoratum fuisse inter caeteros Apostolos.*

Privilegiatum inter caeteros Apostolos Petrum novimus, tum modo quo passim in Scripturis nominatur, tum singulari inter ipsum et Christum consuetudine, tum ejusdem in nascente Ecclesia dictis et gestis, tum Cathedrarum quas tenuit eminentia.

1<sup>o</sup> De modo quo Petrus passim nominatur in Scripturis.

a) Ipsi, et quidem soli, a prima sua vocatione, per Christum nomen imponitur novum, *Petrus*, et quidem maxime significativum, sub quo post Christi Ascensionem constanter designatur.

b) Si paucissima Scripturae loca excipias, ubique Petrus primus nominatur, et cum affectatione quadam distinctionis. Sic v. g. apud Matth. X, 2: *Primus Simon qui vocatur Petrus*. In quadruplici recensione Apostolorum, licet pro aliis idem non semper servetur ordo, Petrus tamen ante alios ponitur.

c) Saepe solus nominatim designatur, caeteri autem conglobatim et quasi ejus familia, v. g. *Pe-*

trus et qui cum illo erant (Luc., viii, 45); *Dicite discipulis ejus et Petro* (Marc., xvi, 17); *Stans Petrus cum undecim* (Act., ii, 15).

2° *De singulari Christum inter et Petrum consuetudine.*

a) Solus Petrus cum Christo ambulat supra mare (Matth., xiv, 29).

b) Christus pro se et pro solo Petro simul tributum solvit (Matth., xvii, 27).

c) Christus navem Petri eligit ut ex eo populum doceat (Luc., v, 1).

d) Ad Petrum Christus singulariter dicit : *Duc in altum* (Luc., v, 4).

e) Christus suam resurrectionem Petro singulariter et ante caeteros Apostolos manifestat. (Luc., xvii, 34; I Cor., xv, 5.)

3° *De Petri in nascente Ecclesia dictis et gestis.*

a) Petrus primus est in magisterio et regimine exercendis; nempe : promovet electionem Mathiae; Judaeis Evangelium promulgat, tanquam dux aliorum; Ecclesiam Jerosolymis fundat; Apostolorum causam tuetur coram Synedrio (Act., ii, 14; iv, 8; v, 29); recipit in Ecclesiam gentilitatis primitias post visionem coelestem (Act. x); visitat universos coetus in Judaea, Galilaea et Samaria, imperatoris instar (Act., viii); primus etiam suam aperit sententiam in concilio Jerosolymitano (Act., xv, 7).

b) Petrus est primus in exercenda potestate miraculorum (Act., iii, 6); item et judiciaria, ut patet exemplo Ananiae et Saphirae, necnon Simonis Magi (Act., v, 2, 3, 4; viii, 19, 20).

c) Fideles a Petro primum fidem exquirunt (Act., ii,

37, 38); et ipse Paulus qui gloriabatur se a Christo immediate missum, venit tamen Jerosolymam videre Petrum, et mansit apud eum diebus quindecim (Gal., i, 17, 18, 19).

3° *De Cathedrarum quas Petrus tenuit eminentia.*

Ecclesia Anthiochena, ex quo habere meruit Petrum ut primum suum pastorem, inter alias omnes facta est insignis, et in toto orbe hujus Cathedrae celebratur festum. Insuper Roma, totius orbis caput, a Petro eligitur tanquam propria sedes ad usque mortem, et inde etiam ejusdem Cathedrae festum ubique pro solemnibus habetur.

Porro hae omnes praerogativae quibus Petrus singulariter decoratur, per merum honoris primatum explicari nequeunt. Est enim a spiritu et exhortationibus Christi, necnon a doctrina evangelica alienum, ut aliquis nulla super alios auctoritate fruens, sic semetipsum extollat et extolli patiatur; tota siquidem Ecclesia in humilitate fundata est.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 101.

103. *Ad 1.* Auctoritas etiam suprema, collegio Apostolorum data, haud potuit esse summa in singulis, quia nullus eorum, vi talis concessionis, habuit potestatem super alios. At, ubi eadem auctoritas uni eorum singulariter attribuitur, caeteros omnes sibi subjectos tenet. Cum ergo Christus id quod jam caeteris conjunctim promiserat et contulerat, uni Petro promiserit et contulerit, evidens fit Petrum super omnes alios esse constitutum.

104. *Ad 2.* B. Paulus asserit Ecclesiam esse aedi-

ficatam *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum*. Sed Prophetæ sunt fundamentum doctrina non auctoritate. Ergo necesse non est ut verba Apostoli significant, hoc loco, Apostolos habuisse munus regendi Ecclesiam. Insuper, nihil vetat Apostolos esse Ecclesiae fundamenta Petro subordinata, sicut Petrus est fundamentum subordinatum Christo. Equidem B. Paulus notavit Christum in Ecclesia posuisse *primum Apostolos*; non tamen ideo vult omnes Apostolos esse inter se jurisdictione aequales, sicut conc. Trid. docet ecclesiasticam hierarchiam constare episcopis, presbyteris et diaconibus, licet mens ejus non sit episcopus omnes parem habere auctoritatem.

105. *Ad 3.* Petrus reddidit rationem susceptae ad Gentiles excursionis, non ex obedientiae debito, sed ex prudenti oeconomia; item, ejusdem missio ad Samaritanos fuit per exhortationem, non per imperium.

106. *Ad 4.* B. Paulus significat alios Apostolos nihil ipsi contulisse; quia immediate a Christo missus fuerat, et inde reprimit falsos doctores arguentes eum ab hominibus, non a Deo missum, ac proinde ipsius evangelium minoris esse faciendum. Item, se Petro aequiparat ratione destinationis primariae ac specialis, quatenus Petrus speciatim Judæos evangelizabat, Paulus vero specialim Gentiles, quamvis non exclusive; sed nullo modo se jactitat Petro (posito quod Cephas de quo loquitur Paulus sit revera Primas Ecclesiae, de quo disputant auctores) in jurisdictione aequalem. Item, ejus reprehensio erga Petrum fuit ex charitate, non ex auctoritate. Demum, ideo Romani Pontifices Petri et Pauli auctoritatem allegant, et eorum imagines in suis sigillis exhibent, quia eos

venerantur veluti insignes patronos Sedis Romanae, quam ambo suo sanguine eodem die purpurarunt.

QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum primatus, mediante Ecclesia, B. Petro fuerit collatus?

107. *Resp.* Videri potest quod sic, uti sentiunt Febronius, Dupinius, Marcus Antoninus de Dominis, Riccius et Jansenistae.

Etenim, 1<sup>o</sup> plures Patres, uti S. Ambr., S. Aug., S. Greg. et alii, docuerunt potestatem clavium datam esse Ecclesiae a Christo, et B. Petrum eas claves accepisse, quatenus gestabat Ecclesiae personam.

2<sup>o</sup> Praeterea, quidam asserunt cum S. Aug., Ecclesiam ipsam ligare et solvere, seu dimittere peccata. Ergo Petrus non ligat neque solvit, nisi tanquam Ecclesiae minister.

3<sup>o</sup> Praeterea, Deus et natura prius atque immediatius ad totum suppositum quam ad aliquam suppositi partem, quamvis nobilissimam, attendunt; v. g. facultas videndi non tam oculis quam toti homini data est, ut nempe homo per oculum, tanquam per organum et ministerium, suam videndi facultatem exerceret; oculus enim et per hominem et propter hominem existit. Ergo a pari ratiocinandum est de Ecclesia relative ad Petrum. Ita Richerius (De eccles. et polit. potest. c. 1).

108. *Sed contra dico: Primatus B. Petro a Christo collatus est, et non mediante Ecclesia.*

*Prob. 1<sup>o</sup> ex jam demonstratis.*

*Textus allati ex SS. Matthæo et Joanne, aperte*

ficatam *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum*. Sed Prophetæ sunt fundamentum doctrina non auctoritate. Ergo necesse non est ut verba Apostoli significant, hoc loco, Apostolos habuisse munus regendi Ecclesiam. Insuper, nihil vetat Apostolos esse Ecclesiae fundamenta Petro subordinata, sicut Petrus est fundamentum subordinatum Christo. Equidem B. Paulus notavit Christum in Ecclesia posuisse *primum Apostolos*; non tamen ideo vult omnes Apostolos esse inter se jurisdictione aequales, sicut conc. Trid. docet ecclesiasticam hierarchiam constare episcopis, presbyteris et diaconibus, licet mens ejus non sit episcopus omnes parem habere auctoritatem.

105. *Ad 3.* Petrus reddidit rationem susceptae ad Gentiles excursionis, non ex obedientiae debito, sed ex prudenti oeconomia; item, ejusdem missio ad Samaritanos fuit per exhortationem, non per imperium.

106. *Ad 4.* B. Paulus significat alios Apostolos nihil ipsi contulisse; quia immediate a Christo missus fuerat, et inde reprimit falsos doctores arguentes eum ab hominibus, non a Deo missum, ac proinde ipsius evangelium minoris esse faciendum. Item, se Petro aequiparat ratione destinationis primariae ac specialis, quatenus Petrus speciatim Judæos evangelizabat, Paulus vero specialim Gentiles, quamvis non exclusive; sed nullo modo se jactitat Petro (posito quod Cephas de quo loquitur Paulus sit revera Primas Ecclesiae, de quo disputant auctores) in jurisdictione aequalem. Item, ejus reprehensio erga Petrum fuit ex charitate, non ex auctoritate. Demum, ideo Romani Pontifices Petri et Pauli auctoritatem allegant, et eorum imagines in suis sigillis exhibent, quia eos

venerantur veluti insignes patronos Sedis Romanae, quam ambo suo sanguine eodem die purpurarunt.

QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum primatus, mediante Ecclesia, B. Petro fuerit collatus?

107. *Resp.* Videri potest quod sic, uti sentiunt Febronius, Dupinius, Marcus Antoninus de Dominis, Riccius et Jansenistae.

Etenim, 1<sup>o</sup> plures Patres, uti S. Ambr., S. Aug., S. Greg. et alii, docuerunt potestatem clavium datam esse Ecclesiae a Christo, et B. Petrum eas claves accepisse, quatenus gestabat Ecclesiae personam.

2<sup>o</sup> Praeterea, quidam asserunt cum S. Aug., Ecclesiam ipsam ligare et solvere, seu dimittere peccata. Ergo Petrus non ligat neque solvit, nisi tanquam Ecclesiae minister.

3<sup>o</sup> Praeterea, Deus et natura prius atque immediatius ad totum suppositum quam ad aliquam suppositi partem, quamvis nobilissimam, attendunt; v. g. facultas videndi non tam oculis quam toti homini data est, ut nempe homo per oculum, tanquam per organum et ministerium, suam videndi facultatem exerceret; oculus enim et per hominem et propter hominem existit. Ergo a pari ratiocinandum est de Ecclesia relative ad Petrum. Ita Richerius (De eccles. et polit. potest. c. 1).

108. *Sed contra dico: Primatus B. Petro a Christo collatus est, et non mediante Ecclesia.*

*Prob. 1<sup>o</sup> ex jam demonstratis.*

*Textus allati ex SS. Matthæo et Joanne, aperte*

hanc collationem immediatam expriment. Sane haec verba : *super hanc petram aedificabo Ecclesiam*, non significant : *super Ecclesiam aedificabo Ecclesiam* ; illa : *Tibi dabo claves*, non significant : *dabo Ecclesiae et Ecclesia dabit tibi* ; illa : *pascue oves*, non significant : *oves pascuntur a grege*. Uno verbo : Christus conferens primatum loquitur ad Petrum, prout distinguitur ab Ecclesia ; soli ergo Petro, non Ecclesiae confert primatum.

Prob. 2<sup>o</sup> ex Patribus.

Praeterquam Patres jam allegati, jurisdictionem immediate a Christo Petro datam clarissime supponunt, nonnulla tamen luculentiora eorundem testimonia referre iuvabit.

Tertullianus (Scorpiac., c. 10) : « Memento claves a Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse. » — S. Optatus (Lib. 7. cont. Parmen. c. 3) : « Bono unitatis B. Petrus et praeferrri omnibus meruit, et claves regni caelorum communicandas caeteris solus accepit. » — S. Joannes Chrysost. (Hom. 14. in Matth.) : « Et tibi dabo, inquit, claves regni caelorum ; quasi diceret : sicut Pater dedit tibi me cognoscere, ita et ego aliquid dabo, scilicet, claves regni caelorum. » At Pater dedit immediate Petro Christum cognoscere ; ergo et Christus dedit immediate Petro claves habere. — Ex S. Aug. (Lib. 2, cont. Gaudent. c. 23), et S. Hilario (in Ps. 134, n. 4), huic eidem collatae sunt claves, qui paulo post a Christo reprehensus est his verbis : *vade post me, Satanas*. Atqui haec reprehensio certe non dirigitur ad Ecclesiam. Ergo Petro, non Ecclesiae, immediate a Christo datae sunt claves.

Prob. 3<sup>o</sup> ex inconvenientibus.

Si Petrus non a Christo sed ab Ecclesia claves accepit, ergo Romanus Pontifex qui, ex probandis et ut concedunt adversarii, habet eundem primatum, non erit nisi Ecclesiae caput ministeriale, cujus leges non obligabunt antequam a fidelium coetu approbatae et acceptatae fuerint. Habebunt igitur fideles jus inspectionis super acta Romani Pontificis, et debent de ejus judiciis judicare. Porro talia consecraria bono Ecclesiae exitiosissima forent, et constanti omnium seculorum praxi opponuntur. Ergo.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 107.

109. Ad 1. Loquendi modus Patrum qui objicitur, significat clavium potestatem datam fuisse Ecclesiae *finaliter*, seu ad ejus utilitatem, ac proinde non debuisse cum Petro et Apostolis perire, uti contendebant Novatiani ac Montanistae, quos refellendos Patres susceperant ; at non intendebant hanc potestatem datam esse Ecclesiae *formaliter*. Asserendo autem collatas fuisse claves Petro, quatenus personam Ecclesiae gerenti, intelligebant Petrum personam gessisse Ecclesiae quatenus ejus *caput*, non quatenus ejus delegatum. Ita S. Aug. (in Ps. 108). « Cujus Ecclesiae ille agnoscitur gessisse personam, propter primatum quem in discipulis habuit. »

110. Ad 2. S. Augustinus alique Patres eo sensu dicunt Ecclesiam remittere peccata, quia nullus justificatur nisi ad sacramentum cum pace unitatis catholicae accedat.

111. Ad 3. Deus et natura immediatius ad totum suppositum respiciunt *finaliter*, quia bonum suppo-

siti procurare nituntur; sed non respiciunt suppositum *formaliter ac subjective*, quasi facultates ad ejus bonum collatae in supposito ipso, tanquam formali subjecto, recipiantur; sic oculus essentialiter et immediate videt, homo vero mediate tantum, nimirum per oculum, sed oculus est ad hominis utilitatem. Ita primatus in Petro residet *formaliter*, et ordinatur ad bonum Ecclesiae *finaliter*.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Utrum, quia Christus B. Petro contulerit jurisdictionis primatum, merito concludatur Ecclesiae Romanae divinitas?

112. Resp. Videri potest quod non, uti sentiunt acatholici multi, eo quod Beati Petri primatus non debuerit esse perpetuus.

Etenim, 1<sup>o</sup> ratio cur Petrus acceperit supremam potestatem est mere personalis, nempe, intrepida fidei confessio, ejusque erga Magistrum devotio ardens. Ergo soli personae Petri inhaeret, nec alteri transmittitur, nisi specialis interveniat Dei revelatio.

2<sup>o</sup> Praeterea, si alicui episcopo transmitteretur, certe Romano Pontifici. Atqui hoc non, cum Romani Pontificis primatus causis pure humanis referendus videatur; quae causae, ut ait Palmer (p. 7. c. 3) sunt: Romanae Ecclesiae numerus ingens fidelium, non obstantibus persecutionibus, divitiae magnae et eximia charitas, origo apostolica, pura fides, et ardens studium in damnandis haereticis, urbis etiam dignitas, etc...

3<sup>o</sup> Praeterea, concilium Nicaenum, canone VI, vi-

detur primatum Romani Pontificis coarctare ad Italiam; sic enim canon ille exprimitur a Rufino (Lib. 10, hist. c. 6): « Apud Alexandriam et in urbe Roma « vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti, « vel hic suburbicariarum sollicitudinem gerat. » At primatus sic restrictus non oritur a primatu Petri, sed est jure ecclesiastico, consuetudine scilicet, introductus.

4<sup>o</sup> Praeterea, Romanae sedis praeceminentia dici potest originem ducere a synodo Sardicensi, quae praerogativas plerasque, et speciatim jus appellationes recipiendi, eidem decrevit. Ita Ellies Dupin, Van Espen, Basnage, Quesnel, Febronius et alii.

5<sup>o</sup> Praeterea, conc. Constantinop. I<sup>um</sup>, in canone III, haec habet: « Constantinopolitanae civitatis episcopum habere oportet primatus honorem, post « Romanum episcopum, propterea quod sit nova « Roma. » Ergo existimavit concilium jus praeceminentiae, quo gaudebat Romanus Pontifex, profluere ex dignitate temporali urbis Romae, ac proinde non esse juris divini.

6<sup>o</sup> Praeterea, Patres conc. Chalcedonensis, can. XXVIII, vindicant Ecclesiae Constantinopolitanae aequalitatem cum Ecclesia Romana, hac ratione nixi, quod privilegia a Patribus ideo Romae concessa *quod urbs illa imperaret*, deberentur etiam urbi *quae et imperio et senatu honorata sit*. Ergo juri humano non divino tribuebant Romani Pontificis primatum.

7<sup>o</sup> Praeterea, si primatus Romanus sit juris divini, ergo quoties vacat sedes Romana aut Papa est dubius, jam deficit Ecclesia, aut saltem fit invisibilis; quod certe repugnat.

113. Sed contra dico 1<sup>o</sup>: *Christus voluit primatum B. Petro concessum perpetuo manere in Ecclesia.*

Prob. 1<sup>o</sup> ex *Ecclesiae indefectibilitate.*

Ecclesia, cum sit indefectibilis, perpetuo duratura est in ea forma quam a Christo accepit. Instituta est autem a Christo, ad instar aedificii super Petrum fundati, ad instar regni cuius claves traditae sunt Petro, ad instar ovilis cuius cura commissa est Petro, ad instar scholae in qua fideles edocendi sunt usque ad consummationem saeculi, per Apostolos sub Petri regimine positos. Atqui, Petrus non potuit aedificium perpetuo permansurum sustentare, nec regni perpetuo duraturi claves gerere, nec oves Christi in perpetuum pascere, nec Apostolis usque ad consummationem seculi docentibus praeesse, nisi per successores perpetuos. Ergo.

Prob. 2<sup>o</sup> ex *universali et constanti traditione.*

Ecclesia est institutio juris divini, ac proinde aliud regimen non habet praeter illud quod a Christo suo institutore accepit, nec potuit unquam formam regiminis sibi debitam ignorare. Vivente autem Petro, certo et clare novit se constitutam cum forma monarchica, sub Petri primatu. Unde, mortuo Petro, debuit iudicare hanc eandem formam permansuram sub Petri successoribus, nisi voluisset Christus huic formae aliam esse substituendam. Sed si talis fuit Christi voluntas, hanc per se aut per Apostolos declarare non omisit, et ideo tantae mutationis Ecclesia fuit conscia et certa. Ergo, in hac hypothese, statim post Petri mortem, Ecclesiae pastores providere conati sunt ut novum regimen priori substituendum

ad praxim reduceretur; de qua re impossibile est quod non reperiantur in monumentis historicis multa et clara vestigia; quanto magis impossibile est universam traditionem contrarium testari!

Atqui Ecclesiam, post Petri decessum, a regimine monarchico ad aliud, aristocraticum aut democraticum, transiisse, nedum ullo testimonio ostendatur, innumeris e contra monumentis aperte adstruitur primatus B. Petro collati indeficiens duratio.

I. Sunt qui, de Petro loquentes, affirmant ob bonum unitatis procurandum et servandum, hanc supremam accepisse potestatem, quae ratio pro omnibus temporibus valet. Sic S. Cyprianus (De unitate Eccl.) enarrata institutione primatus, illiusque vi ac fine explicatis, pergit: « Qui Ecclesiae renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit? » — S. Amb. (in Ps. 40. n. 40) Ecclesiam cum Petro quasi identificat: « Ubi Petrus, ibi Ecclesia. Non habent Petri haereditatem, qui Petri sedem non habent. » — S. Hieronymus (in Jov., lib. I, n. 26; Ep. 16, n. 6) declarat ideo eminentem Petro potestatem fuisse attributam, ne tot in Ecclesia efficerentur schismata, quot sacerdotes, et addit se eum solum agnoscere qui cathedrae Petri jungitur. — S. Pacianus (Ep. 3): « Ipso referente Matthaeo, paulo superius ad Petrum locutus est Dominus, ad unum ideo, ut unitatem formaret ex uno. »

II. Sunt qui Romanum Pontificem exhibent tanquam successorem B. Petri in primatu jure divino, nempe:

a) Qui sedem et cathedram Romanam vocant sedem et cathedram Petri.

b) Qui dant indicem Romanorum Pontificum, incipientes a B. Petro. Sic S. Irenaeus (Lib. 3, c. 3) a Petro ad Eleutherium; Tertullianus (Lib. 3, cont. Marcion, cap. ultim.) a Petro ad Siricium; S. Aug. (Ep. 165) a Petro ad Anastasium.

c) Qui dicunt Petrum vivere et loqui in suis successoribus. Sic, in conc. Eph. (Act. 3), Philippus legatus Romani Pontificis dixit, nemine reclamante: « Nulli « dubium est, imo saeculis omnibus notum, quod « S. Petrus... ad hoc usque tempus et semper, in « suis successoribus vivit et iudicium exercet. » In conc. Chalced. (Act. 2): « Petrus per Leonem locutus « est. » In conc. generali sexto (Acti. 18), episcopi dixerunt: « Per Agathonem Petrus loquebatur. »

d) Qui asserunt Romano Pontifici, in Petri persona, datum esse munus sustentandi Ecclesiam, datas esse claves regni coelorum, commissam esse curam totius gregis christiani. Sic v. g. S. Hieronymus (Ep. ad Damas. de hypost.) « Super illam petram aedificatam « Ecclesiam scio. » S. Joannes Chrysost. (Lib. 2, de sacerdotio.) docet Christum sanguinem fudisse « ut « pecudes eas aquireret, quarum curam tum Petro, « tum Petri successoribus committebat ».

Prob. 3<sup>o</sup> ex necessitate perpetuitatis in primatu.

Christus profecto voluit ut primatus ab ipso institutus pro Ecclesiae utilitate exerceretur. Sed Ecclesiae utilitas multo magis exigebat ut ille primatus exerceretur post Petri mortem, quam eo adhuc vivente. Quamvis enim oportuerit ut Petrus ipse interdum munus aliquod primatiale ageret, etiam in exemplum saeculorum sequentium, usus tamen istius potestatis, viventibus adhuc Apostolis, et praesertim quoad

Apostolos ipsos, nequaquam ita necessarius erat. Sed multo magis oportuit ut primatus ille plenam vim sortiretur, mortuis Apostolis, quando eorum successores non ita donis extraordinariis pollerent; quando fideles facti fuerunt numerosiores, in orbe disseminati, moribus, lingua, legibus, ingenio, inter se multum discrepantes, et insuper minus erant ferventes; quando demum multiplicati sunt, inter ipsosmet episcopos, haeretici, schismatici, atque pullularunt omnis generis scandala. Vel ergo dicendum est Christum instituisse primatum duraturum, quando nulla fere ejus necessitas existeret, atque eo tempore cessaturum quo Ecclesia eo plus indigeret; vel fatendum est Christum munus illud potissimum destinasse ad tempora Petri mortem subsequutura.

Hinc merito conc. Vatic. in Constit. *Pastor aeternus* cap. 2 sic se habet: « Quod autem in beato « Apostolo Petro, princeps pastorum et pastor magnus « ovium, Dominus Christus Jesus, in perpetuam salutem ad perenne bonum Ecclesiae instituit, id, « eodem auctore, in Ecclesia quae, fundata super « petram, ad finem saeculorum usque firma stabit, « jugiter durare necesse est. » Et in canone concludit: « Si quis dixerit non esse ex ipsius Christi « Domini institutione, seu jure divino, ut beatus « Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores... anathema sit. »

114. Dico 2<sup>o</sup>: *Ecclesia Romana merito gloriatur se habere successorem B. Petri in primatu.*

Prob. 1<sup>o</sup> ex jam demonstrata primatus perpetuitate.

Cum enim Ecclesia a Christo instituta nunquam



desinit, necesse est ut, inter varias societates christianas actu existentes, una sit quae a successore B. Petri regatur. Jam vero nulla est hujusmodi praeter Ecclesiam Romanam; quia nullus unquam, extra Romanum Pontificem, habitus est tanquam jure primatus gaudens super universos Christianos, eo quod esset B. Petri successor. Unde Patres jam citati, qui loquuntur de hoc successore, Pontificem Romanum et non alium indicant. Ergo, vel perit Petri primatus, ac proinde Ecclesia Christi defecit, vel Ecclesia Romana habet legitimum B. Petri in primatu successorem, seu est vera Ecclesia a Christo instituta.

Prob. 2<sup>o</sup> ex monumentis certissimis.

Testatur historia ecclesiastica Romanum Pontificem, a saeculo IV saltem, habitum fuisse tanquam jure divino universae Ecclesiae rectorem. Atqui haec traditio est argumentum veritatis invictissimum.

Constat major ex innumeris tum Romanorum Pontificum, tum episcoporum, tum haereticorum gestis et dictis, quae, cum sint notissima, sic brevi compendio contrahimus.

I. *Gesta et dicta Romanorum Pontificum respiciunt:*

a) Causas fidei, quas multoties suis decretis dogmaticis absolverunt.

b) Leges, quas variis temporibus pro bono totius Ecclesiae tulerunt, vel a quibus, licet universalibus, dispensarunt, vel quas etiam abrogarunt.

c) Varios legatos quos, in dissitis etiam regionibus, pro negotiis ecclesiasticis deputaverunt, vel quos ab aliis regnis aut provinciis deputatos admiserunt.

d) Appellationes episcoporum, quas ex totius mundi partibus susceperunt.

e) Concilia etiam generalia, quorum convocatio, praesidentia per se aut per legatos, et confirmatio penes illos fuerunt, ita ut omne concilium ab eis non probatum caruerit vi oecumenicitatis.

Talia autem agendo, Romani Pontifices passim invocant sancti Petri auctoritatem, dicendo sibi in ejus persona datas esse claves, dominici gregis oves esse sibi commissas, aut demandatum munus confirmandi fratres.

II. *Gesta et dicta aliorum episcoporum eandem in Romani Pontificis primatum fidem ac devotionem testificantur.*

Deprehenduntur enim episcopi, in omnibus haeresibus et schismatibus reprimendis, ad Papae auctoritatem recurrere; errantes convincere ex necessitate adhaerendi Pontifici Romano, veluti centro totius unitatis ecclesiasticae; ad ejus tribunal deferre causas majoris momenti; denique ipsius patrocinium et sententiam invocare in suis angustiis, et quoties se injuste oppressos conquerentur.

In his autem omnibus semper allegant Romanum Pontificem Ecclesiae universae, in persona Petri, a Christo fuisse praepositum.

Quae totius christiani episcopatus consors sententia, potissimum se prodidit in concilio Lugdunensi secundo, et in concilio Florentino. Illud posterius, cui omnes Orientales ecclesiae, etiam Graecorum schismaticorum, aliquamdiu adhaeserunt, definivit: « Romanum Pontificem in universum orbem tenere primum .. successorem esse B. Petri... et ipsi in

« B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino nostro Jesu Christo, plenam potestatem traditam esse, quemadmodum in gestis oecumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur. » Similiter conc. Vat. defini- nit (loc. cit.): « Si quis dixerit... jure divino... Romanum Pontificem non esse B. Petri in primatu successorem; anathema sit. »

III. *Gesta et dicta haereticorum* hanc fidem mirabiliter confirmant. Quamdiu illis spes affulget damnationem declinandi, a judicio episcoporum ad Papam appellare solent, cujus gratiam aucupari omni studio contendunt. A Papa damnati, non statim ejus inficiantur auctoritatem; sed a Papa decepto, ut aiunt, ad Papam melius edoctum provocant, aut etiam ad concilium generale, quia opinantur eum, licet primatu gaudentem, a concilio oecumenico emendari et corripi posse. Ergo constat major.

*Constat minor*, seu praefata traditio subministrat argumentum invictissimum.

Etenim, juxta adversarios, Ecclesia saeculo I. credidit episcopos omnes ita jure divino aequales esse, ut nullus eorum caeteris praeesset ex Christi institutione. Unde a saeculo I ad IV mutata fuit totius Ecclesiae fides de hac re. Atqui talis mutatio ex omni parte repugnat.

Sane fuisset mutatio maximi momenti, cum respeceret unitatem in fide ac regimine; fuisset notissima, cum Ecclesia ignorare non potuerit suam fundamentalem constitutionem; fuisset fidelibus ac maxime pastoribus summopere odiosa, sive naturaliter, ob innatum in unoquoque independentiae amorem, sive

etiam supernaturaliter, cum episcopi et doctores omnimoda diligentia deposito fidei invigilarent, multique inter eos, et sanctitate ac doctrina insignes fuerint, et pro religione sanguinem profundere non haesitaverint; quae mutatio excitare insuper debuisset aemulationem Orientalium ecclesiarum, quarum episcopi non multum ad Pontificem Romanum erant propensi; denique hujus mutationis conscii ac imo praecipui auctores fuissent ipsimet Pontifices Romani, qui tamen fere omnes, eo temporis, Sanctorum honores adsecuti sunt, et multi martyrio sunt coronati.

Atqui evidentissimum est mutationem praedictam nec moraliter potuisse tentari, et multo magis non potuisse moraliter in universo orbe catholico praevalere. At praesertim prorsus impossibile est ut illius introductionis, posito quod et tentata et consummata fuerit, non clara et certa reperiantur in veteribus monumentis vestigia. Quomodo enim, et adversarii quos obviam habuit, et machinationes quibus fuit propagata, ejus item auctores, tempus, progressus, circumstantiae assignari nequeant? Mutationes in ritibus, quaestio de die celebrandi Pascha, et alia ejusdem generis facta, licet multo minoris momenti, totam rempublicam commoverunt; credibilene erit primatus indebitam usurpationem super omnes mundi Ecclesias, prorsus in monumentis taceri? Ergo publicum et inconcussum auctoritatis supremae exercitium a Romano Pontifice, post tria priora saecula, alia ratione non potest explicari, nisi quia fuit in B. Petri persona irrevocabiliter institutus primatus jurisdictionis.

Prob. 3<sup>o</sup> *ex ratione*. (Vide Bonal : *de vera Eccl.*, n. 129.)

Quae ratio triplex dari potest :

1<sup>a</sup> *ratio* : Quaecumque mirabilia, sancta, salutaria in mundo per Ecclesiam facta sunt, a Sede Romana habuerunt, vel primam sui originem, vel principalem impulsus. Opera siquidem Romanorum Pontificum, canones editi, concinnatae fidei formulae, propagatum Evangelium, pia instituta formata, scientiae et artes evolutae, repressae tyrannides, frenatus Barbarorum furor, servata incolumis disciplina ecclesiastica, et societatum ipsarum civilium decus et felicitas assecurata. Porro repugnat ex illegitima institutione tot defluxisse bona. Deus equidem nonnunquam malo instrumento utitur tanquam boni occasione, sed nunquam permisisset primatum ab eo reprobatum tot beneficiis, ex nativa sua indole, cumulasse genus humanum.

2<sup>a</sup> *ratio* : Omni aevo, perversi cujuslibet generis homines, incredibili furore, primatum Romani Pontificis aggressi sunt et evertere conati. E contra ejus defensionem sese invincibili et constanti zelo devoverunt, quotquot extiterunt Christiani scientia et virtutibus praestantiores. Atqui repugnat, ex una parte, ille omnium sceleratorum concentus, ad jura veritatis et justitiae tuenda contra iniquam usurpationem, et, ex altera parte, omnium sanctorum virorum conspiratio, ad institutionem Satanae propugnandam ac servandam.

3<sup>a</sup> *ratio* : A novemdecim saeculis, primatus ille, non obstantibus persecutionibus et procellis undique irruentibus, immotus perseverat, quamvis saepe omni

destituatur humano subsidio, ac solo amore dominetur; semper hostiles impetus confregit, haereses protrivit, schismata debellavit, et cunctis adversantibus potestatibus supervixit. Atqui nemo admittet Deum tanta sollicitudine curam gerere institutionis quae ipsius voluntati contradiceret. Potius ergo dicendum est, ex hac Sede Ecclesiam Romanam divinum robur, et sapientiam, et sanctitatem, et indefectibilitatem suam, providente Deo, haurire.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 112.

115. *Ad 1.* Alia est ratio cur Christus voluerit esse primatum, alia cur hanc Petro potius quam aliis contulerit. Posterior est Petro personalis, in ejus dotibus eximiiis fundata, sicut ratio cur talis eligatur ut Petri successor, est ejus aptitudo singularis ad gerendum primatum. At prior ratio est bonum Ecclesiae procurandum, et tamdiu durat, quamdiu durat Ecclesia.

116. *Ad 2.* Inter causas a Palmer indicatas, aliae sunt rationes cur episcopus urbis Romae potius quam alterius sit successor B. Petri, nempe : Ecclesiae Romanae origo apostolica, et urbis dignitas; aliae sunt potius effectus hujus electionis, nempe : eximia charitas, pura fides, et studium contra haereticos. At vera ratio cur Petrus debuit habere successorem in primatu, est utilitas Ecclesiae procuranda per principium unitatis in doctrina et regimine.

117. *Ad 3.* Talem non esse canonis Nicaeni sensum quem adversarii proferunt, constat indirecte et directe. Indirecte quidem : nam Leo I Papa hunc canonem probavit, et tamen nemo ignorat Leonem I fuisse primatus sui acerrimum propugnatorem; non

putavit ergo suum primatum laedi a praedicto canone. Directe etiam idem probatur, assignando sensum veriore. Episcopus Lycopolitanus, nomine Meletius, ausus fuerat episcopos in Aegypto ordinare, contra jus patriarchae Alexandrini. Hujus patriarchae jura tuetur canon Nicaenus, statuendo ut servetur consuetudo vi cuius, et Episcopus Alexandrinus ordinat episcopos in Aegypto, et Pontifex Romanus episcopos in Italia. Hinc jus papale de quo agitur, non est jus primatus in universam Ecclesiam, sed jus primatiale in Italiam, aut patriarchale in totum Occidentem.

Quinimo, si ad litteram vertatur canon, sic concluditur : « Quoniam et Episcopo Romae hoc consuetum est, » id est : quoniam illa consuetudo apud Romanum Pontificem recepta est, et ab eo approbata. Ergo nullo modo assignatur territorium cuius Papa est primas ; sed e contra asseritur ejusdem jurisdictio universalis, cum consuetudo allegata ideo haberetur ut legitima, quia ipsius Papae auctoritate fulciebatur.

118. *Ad 4.* Habita est synodus Sardicensis ut ejus suffragio confirmaretur sententia, qua Julius I restituerat episcopos, quos Ariani injuste dejecerant, et qui ad illum appellaverant. Porro tales appellationes, quas synodus agnovit ut legitimas, supponunt Romani Pontificis primatum. Imo, ibidem statuitur quod, ubi aliquis episcopus a sententia injusta, non ad Papam, sed ad aliud episcoporum tribunal appellaverit, causa statim deferatur Pontifici Romano, et ejus decisionis motivum Patres dant, ne scilicet, in persona successoris debitus honor denegetur B. Petro. Ergo Patres credebant Papam esse Petri successorem.

119. *Ad 5.* Neganda sunt canonis qui objicitur auctoritas et sensus ipsi attributa.

Auctoritas nulla est : concilium enim illud non fuit oecumenicum in sua convocatione, nec in sua celebratione, et vim legis non habet nisi ex Papa Damaso, qui illud approbavit solummodo quoad definitiones fidei latas contra Macedonium et alios haereticos. Sensus autem non est, Constantinopolitano episcopo tribuendam esse jurisdictionem primatus, sed alias praerogativas jure ecclesiastico inductas, ita ut in illis primum locum teneret post Romanum Pontificem, eo quod civitas Constantinopolitana prima post Romam principatu civili effulgeret.

120. *Ad 6.* Eadem est solutio. Nulla est auctoritas praefati canonis Chalcedonensis, cum fuerit editus absentibus ac contradicentibus legatis, et rejectus a S. Leone. Sensus vero non est de jure primatus, sed de jure patriarchali quod petit concilium attribui Ecclesiae Constantinopolitanae, loco Ecclesiae Antiochenae et Alexandrinae, penes quas antea vigerat.

121. *Ad 7.* Ecclesia, cum sit corpus morale, non est in omnibus corpori physico assimilanda. In hoc posteriori, caput nequidem unico instanti deficere potest, quin corpus pereat. At in corpore morali, adesse potest interruptio in existentia capitis. Sic v. g. in regno, ubi rex moritur et nondum habet successorem, non ideo perit regnum. Quando autem Papa deficit aut est dubius, manet in Ecclesia caput virtualiter, et imo visibiliter ; quia manet, et necessitas caput certum habendi, et medium illud eligendi, et communis fidei professio de ejusdem futuritione, et animorum sincera dispositio illud legitime electum

agnoscendi, nec non actio, tum eorum qui postulant, tum eorum qui curant ut quantocius designetur.

#### DISSERTATIO QUARTA

DE DIVINITATE ECCLESIAE ROMANAE EX INSTITUTIONE  
MAGISTERII INFALLIBILIS COMPROBANDA

(Vide Hurter : *Theol. gen.*, n. 159... 175; 360, 361.  
— Knöll : *Theol. gen.*, § 208... 222. — Brugère :  
*de Eccl.*, n. 14... 23. — Mazella : *de Virt. infus.*,  
n. 923... 935; 963... 991.)

122. Illud argumentum sic breviter contrahitur : Christus decrevit ut in Ecclesia sua, per viam auctoritatis docentis, veritates religiosae transmitterentur et servarentur, non autem per viam examinis privati. Omnis itaque societas quae hac auctoritate destituitur, jam convincitur non esse Ecclesiam Christi. Sed apud solam Ecclesiam Romanam sufficienter reperitur auctoritas docens. Ergo Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia. Ad quorum elucidationem quatuor erant quaestiones.

##### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Utrum institutio magisterii infallibilis ex sacris litteris fiat manifesta?

123. Resp. Videri potest quod e contrario sacrae litterae hominum magisterium in rebus fidei excludant.

• Sic enim legimus apud Isaiam (xvi, 13) : *Ponam*

*universos filios tuos edoctos a Domino*; apud Jeremiam (xxxi, 34) : *Non docebit ultra vir proximum suum*; apud Matth. (xxiii, 10) : *Magister vester unus est Christus*; apud Joann. (xvi, 13) : *Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem*; in I. Ep. Joan. (ii, 26, 27) : *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed unctio ejus (Spiritus sancti) docet vos de omnibus*.

124. Sed contra dico : *Institutionem magisterii infallibilis ac perpetui in rebus fidei et morum aperte declarant Scripturae sacrae*.

Primus textus apud S. Matth. XXVIII, 18, 19.

Christus sic loquitur ad Apostolos : *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo, doceite omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*.

In quo textu, 1<sup>o</sup> agitur de jure docendi omnem Christi doctrinam, scilicet, *omnia quaecumque mandavit Christus*.

2<sup>o</sup> Agitur de jure auctoritativo, quia : a. — jus illud confertur tanquam participatio potestatis Christo datae in coelo et in terra : b. — Christus dicendo : *Ecce ego vobiscum sum*, vobiscum scilicet docentibus, satis indicat seipsum per eos docere, ac proinde eorum magisterium rejicientes, Christo ipsi injuriam facere ; c. — demum, seclusa obligatione credendi, praedicatio finem suum non obtinebit.

3<sup>o</sup> Agitur de jure exercendo, non solum erga infideles, ut adducantur ad baptismum, sed erga baptizatos, ut informentur ad fidelem observantiam eorum omnium quae Christus observari mandavit, *docentes*

*eos servare omnia...* Et revera, per baptismum homines Ecclesiae incorporabantur, et nedum tunc fierint ab auctoritatis doctrinalis jugo immunes, huic e contra strictiori vinculo obligati manebant.

4° Agitur de jure infallibiliter docendi. Id clare exprimunt verba: *ecce ego vobiscum sum*; quia haec locutio, quoties in Scripturis usurpatur, significat auxilium efficax ad felicem exitum incepti alicujus. Enimvero, quomodo diceretur Christus esse cum Apostolis falsum docentibus? Caeterum, jus auctoritative docendi, in eo qui in docendo errare potest, nullatenus concipitur.

5° Agitur de jure in perpetuum duraturo sine interruptione. Christus, siquidem, praecipit Apostolis ut doceant *omnes gentes*, quae vox *omnes* extenditur ad homines omnium locorum atque temporum; eo magis quod gentes sic edocendae sunt gentes baptizandae, et obligatio suscipiendi baptismum est sub omni respectu universalis. Insuper, promittit Christus se Apostolis adfuturum *omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi*; quae saeculi consummatio, ut jam dictum est, intelligitur de fine mundi. Ergo, donec intereat mundus, nullo die deficiet efficax Christi assistentia.

**Secundus textus apud S. Marc. XVI, 15, 16.**

*Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur.*

Hoc textu 1° confertur jus docendi auctoritative, cum damnatio immineat non credentibus, qui non

*crediderit condemnabitur.* Imo major videtur necessitas credendi quam baptismum suscipiendi, siquidem non dicitur absolute damnandus qui non baptizatus fuerit, sed qui non crediderit.

2° Confertur vera infallibilitas in docendo, cum sine ea obligatio credendi non concipiatur.

3° Confertur magisterium exercendum non tantum erga baptizandos, sed erga omnes fideles. Est enim finis hujus magisterii generare fidem salutiferam, ac proinde quae perseveret ad usque mortem. Atqui eadem causa res conservatur qua fuit primo producta. Unde, si ex Apostolorum magisterio fideles incoeperint credere, ad illud etiam recurrere debebunt ut in sua fide proficiant et roborentur.

4° Confertur denique magisterium perpetuo duraturum; quia eos omnes tenet obligatio credendi quos urget obligatio baptismum suscipiendi, seu, omnes omnium temporum homines.

**Tertius textus apud S. Matth. XVIII. 17, 18.**

Christus, postquam remiserit ad Ecclesiae judicium fratres litigantes, ait de illo qui denunciatus fuerit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Illa Ecclesiae potestas respicit praecise fideles, cum agatur de lite inter fratres dirimenda. Atqui haec potestas includit jus edendi sententias doctrinales. Nam Christus semetipsum explicans statim addit: *Amen, dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis.* Possunt itaque Apostoli imponere quodcumque vinculum, ad bonum commune societatis spiritualis spectans. Sed nihil magis ad commune Ecclesiae spirituale bonum

refert, quam edere sententias doctrinales, quibus fidei unitas et integritas servantur. Ergo Christus Apostolis contulit jus auctoritative, ac proinde infallibiliter docendi. Insuper, jus illud perpetuo durat, quia verba: *quaecumque ligaveritis* expriment legem constitutivam Ecclesiae in perpetuum duraturae.

Quartus textus ex epist. ad Eph. IV, 11, 12, 13, 14.

*Et ipse (Christus) dedit quosdam quidem apostolos... alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum... donec occurramus omnes... in eum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi; ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, ad circumventionem erroris.*

Duo affirmat Apostolus: 1° munus apostolicum docendi tamdiu duraturum quamdiu erunt sancti consummandi, et donec corpus Christi mysticum attigerit mensuram aetatis plenae ac perfectae, seu, usque ad mundi exitum; 2° finem magisterii ecclesiastici esse, ne simus parvuli fluctuantes, ne circumferamur omni vento doctrinae, et nequitia hominum erroribus circumveniamur; quod supponit jus assensum eis qui edocentur imponendi, ac proinde infallibile magisterium; et iterum supponitur magisterii perpetuitas, quia periculum cui obviat, nedum labentibus temporibus minuatur, augetur potius. Ergo...

Sic igitur respondendum ad id quod opponitur n. 123.

125. 1° *Modo generali*: Textus allati non intelligendi sunt in sensu magisterii exclusivo, alioquin

Christus non misisset Apostolos ad docendum, nec Apostoli fideles viva voce aut scriptis docuissent.

2° *Ad singula loca*, sic:

*Ad 1.* Ideo Isaias exhibet homines tanquam edoctos a Domino, quia eos sub Lege nova Deus edocere dignatus est, non per Prophetas, sicut antea, sed per proprium suum Filium.

*Ad 2.* Jeremias dicens: *non docebit ultra vir proximum suum*, conciliandus est cum Isaia dicente (LII, 7): *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem!* Loquitur ergo de majori facilitate assequendi veritatem sub Lege nova, vi cuius jam non erit necessarium recurrere ad philosophorum scholas; vel etiam, ut alii interpretantur, de communicanda Dei cognitione, non tantum ad Israelitas fratres, sed ad omnes populos.

*Ad 3.* Unus est magister principalis Christus, quo non excluduntur secundarii; alioquin quid significarent haec alia verba quae Christus ibidem profert: *Unus est Pater vester qui in coelis est?*

*Ad 4.* Quando dicitur: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, res est de dono inspirationis Apostolis, necnon de dono assistentiae eorum successoribus praestando, non autem de simplicibus fidelibus.

*Ad 5.* S. Joannes intendit fideles amovere a seductoribus doctrinam Christi adulterantibus, quam doctrinam ii fideles jam ex auctoritate Ecclesiae docentis, et adjuvante Spiritus sancti unctione, sufficienter acceperant; unde semetipsum explicans ait (ibid.); *hoc scripsi vobis de his qui seducunt vos.*

QUAESTIO II<sup>a</sup>.

Utrum, ex his quae constanter gesta sunt in Ecclesia, constat magisterii infallibilis institutio?

126. Resp. Videri potest quod non.

Etenim 1<sup>o</sup> Christus ipse Judaeos remittit ad Scripturas, ut ex eis, non autem ex hominum magisterio, accipiant veritatem (Joan., v, 39): *Scrutamini Scripturas... illae sunt quae testimonium perhibent de me.*

2<sup>o</sup> Praeterea, in Act. Apost. (xvii, 11) de Beroeen-sibus legitur: *Quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent.* Ergo non utebantur magisterio Ecclesiae.

127. Sed contra dico 1<sup>o</sup>: *Agendi ratio Apostolorum evidenter ostendit existentiam magisterii infallibilis in Ecclesia..*

Certe Apostoli, dum vixerunt, plenam docendi auctoritatem sibi vindicaverunt. Non tantum per eorum praedicationem conversi sunt Judaei et Gentiles, sed erga fideles quoscumque magisterium suum constanter exercuerunt. Unde enim tot conciones ad populos habitae? Unde epistolae Pauli, Petri, Jacobi, Judae et Joannis, nisi ad quaestiones circa fidem et mores solvendum, et controversias inter Christianos ortas dirimendum? Ad quid concilium Jerosolymitanum, nisi ad definienda puncta quae in dubium venerant? Cujus concilii definitio cum maxima reverentia recepta est ab omnibus. Multoties etiam Apostoli, in suis scriptis, haereticos profligant, dicunt se illos Satanae tradidisse (I Tim., I, 20), eos vocant

antichristos, eo quod a sua doctrina recesserint (I Joan., II, 18, 19), declarant *arma militiae suae esse potentia ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitate redigendum omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu ulciscendum omnem inobedientiam* (II Cor., x, 4). Igitur, viventibus Apostolis, priusquam compleretur canon librorum N. T., auctoritas docens erat regula fidei pro omnibus.

Sed inquirendum venit an, mortuis Apostolis, cessaverit haec prior regula, ut ei nova substitueretur, videlicet, Scriptura sacra privato sensu interpretanda, quod volunt Protestantes. Atqui haec substitutio cum agendi ratione Apostolorum minime conciliatur. Nam tanti momenti substitutio, cum spectet ad fundamentalem religionis constitutionem, certe fieri non potuit insciis Apostolis. Apostoli autem, de hac futura consci, debuissent: 1<sup>o</sup> inter se inire consilium, et providere ut in suis scriptis integrum doctrinae christianae corpus contineretur; 2<sup>o</sup> curare ut haec sua scripta ad omnes ecclesias pervenirent; 3<sup>o</sup> praesertim fideles sedulo et clare admonere ut deinceps Librorum sacrorum lectioni et interpretationi attentius incumbere, ex illis doctrinam tenendam haurirent, et ad hunc judicem recurrerent pro suis dubiis solvendis et controversiis dirimendis.

Jam vero multum abest quin Apostoli ita se gesserint.

1<sup>o</sup> Non videntur sibi proposuisse integram doctrinam christianam in suis scriptis exponere. Non nisi enim occasione data, rogantibusve fidelibus scripserunt, ad quasdam, scilicet, quaestiones solvendas, ad



quosdam coercendos abusus; neque respiciunt ad omnes omnium saeculorum necessitates; neque veritates revelatas ordinatim exponunt quasi ex professo, sed eas potius memorando, eisve alludendo tanquam rebus jam alias traditis et explicatis.

2° Non videntur solliciti ut singula sua scripta ad omnes mundi fideles perveniant, sed ad quasdam tantum particulares ecclesias ea dirigunt. Ex quo factum est, ut testatur S. Iraeneus (Adv. haer., I, 3, c. 4), multas fuisse gentes Christo credentes « sine charta et atramento, scriptam habentes per Spiritum sanctum in cordibus salutem ».

3° Multo minus clare et aperte fideles praemonuerunt de novae hujusce regulae fidei, loco prioris cui assueti erant, substitutione. E contrario, sibi alios pastores et praedicatores consociarunt, uti Mathiam, Paulum, Barnabam, Timotheum, Titum, Marcum... etc., quibus praeceperunt pascere Ecclesiam Dei, praedicando verbum, increpando rebelles, contradicentes arguendo; quos etiam monuerunt ut alios episcopos per civitates constituerent, et ea quae audierant commendarent fidelibus hominibus idoneis ad alios edocendos. Atqui talis agendi et loquendi modus non est nisi eorum, qui sentiunt potestatem docendi creditam sibi, non esse cum seipsis perituram, sed tamdiu duraturam quamdiu erunt fideles edocendi.

128. Dico 2: *Agendi ratio Christianorum, post Apostolorum mortem, arguit magisterii infallibilis existentiam.*

Tria sunt enim facta generalia quae historiam ecclesiasticam totam illustrant:

1° In quaestionibus circa doctrinam, fideles ad Ec-

clesiae docentis magisterium finaliter et constanter recurrunt, cujus sententiis dirimuntur controversiae, uti factum legimus in tot conciliis ex communi episcoporum consensu celebratis.

2° Innumeri sunt auctores ecclesiastici, qui scripta sua iudicio Ecclesiae humiliter subjecerunt; iique omnes passim in disputationibus, argumenta ab auctoritate docente potissimum mutuuntur; et ad definitiones Ecclesiae appellant, tanquam ad probationes decretorias.

3° Ipsimet haeretici saepissime, ne dicam semper, hanc auctoritatem formaliter agnoverunt, quamdiu ab ea non fuerunt damnati, aut ejus sententias speraverunt se posse dolosis infirmare explicationibus; imo non raro et ipsi suam causam detulerunt ad tribunal alicujus episcopi, dein Papae, dein concilii generalis, nec aperta fronte omnem obedientiam detrectaverunt, nisi tandem definitivo ac irrefragabili iudicio pro-  
triti.

Atqui hujusmodi facta evidenter ostendunt, viginisse apud omnes fidem in magisterium infallibile Ecclesiae; quae fides explicari nequit, si revera Christus in Ecclesia non instituerit tribunal supremum, ad controversias circa doctrinam infallibiliter dirimendas.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 126.

129. *Ad 1.* Illis, qui nondum Ecclesiae docentis auctoritatem percipiunt, non potest haec auctoritas esse fidei regula. Ergo scrutari possunt Scripturas, ut ex illis, et divinam Christi missionem, et institutam ab eo Ecclesiam sibi demonstrent. Judaei autem quos Christus provocat ad scrutandas Scripturas, magisterio

Ecclesiae nondum instituto certe non poterant esse subjecti.

130. *Ad 2.* Beroeenses Scripturarum criterio utebantur, ut de veritate Christianismi in veteri Testamento praenuntiati et praefigurati judicarent.

QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum, in praesenti statu, institutio magisterii infallibilis fuerit bono Ecclesiae necessaria?

131. *Resp.* Videri potest quod non.

Etenim, 1<sup>o</sup> Synagoga floruit sine subsidio magisterii infallibilis, ergo absque eo Ecclesia pariter florere potest.

2<sup>o</sup> Praeterea, etiam in systemate catholico, definitiones Ecclesiae uniuscujusque judicio privato apprehendi et explicari debent, nec id praepjudicat unitati et integritati fidei. Ergo nec iisdem praepjudicat, si verba Scripturae, ut volunt Protestantes, interpretationem ab uniuscujusque sensu privato accipiant. Ex utraque parte viget ejusdem judicis auctoritas, solum objectum diversum est.

3<sup>o</sup> Praeterea, accipere sensum Scripturae ex sensu Ecclesiae, est verbum divinum per verbum humanum quasi per canalem haurire; quod nec licet nec expedit.

4<sup>o</sup> Praeterea, posito Ecclesiae magisterio infallibili, jam Christiani a lectione et studio Scripturarum avertentur; dum in Protestantium sententia, efficacius et salubrius fideles huic lectioni et studio se dederunt.

132. *Sed contra dico 1<sup>o</sup> : Auctoritas infallibiliter docens moraliter videtur necessaria ad unitatem et integritatem fidei.*

*Prob.* Revelatio christiana efformat systema religiosum completum, multa continens dogmata sublimia et rationi impervia, multaque praecepta eximiae perfectionis et cupiditatibus adversa; insuper haec revelatio dirigitur ad omnes omnium locorum et temporum homines. Jam vero, si attendamus ad humani intellectus activitatem, ad indiscretam rationis curiositatem, ad indocilem superbiam, ad novitatum amorem multis ingenitum, necnon naturae lapsae infirmitates, passiones ac praepjudicia, fieri nequit ut, circa praedictam revelationem tantopere completam et diffusam, non oriantur innumera dubia, difficiles controversiae, et ut adversus eam non insurgant haereticorum et incredulorum cavillationes, et subtilitates; quae omnia fidei christianae unitatem et integritatem in maximum adducunt periculum. Huic autem periculo moraliter non potest obviari, nisi praesto et jugiter adsit auctoritas ad infallibiliter docendum divinitus instituta.

Et haec ratio eo magis urget, quo magis receditur a temporibus apostolicis. Etenim, apud Ecclesiam primaevam, et crebriora erant miracula, et fideles pauciores, et fides vividior, et ardentior charitas, et haereses ac schismata rariora. Labentibus autem annis, facti sunt fideles numerosiores, loco, lingua, ingenio, moribus magis ab invicem discreti, minus in fide et charitate radicati; errores, haereses, schismata evaserunt frequentiora et periculosiora, persecutionesque crudeliores. Ergo magis ac magis crevit necessitas magisterii infallibilis.

133. *Dico 2<sup>o</sup> : Scriptura sacra privato sensu intellecta non potest esse fidei regula proxima, ut volunt Protestantes.*

Nam ut Christiani fidem suam ex Scripturis, seclusa auctoritate infallibili docente, hauriant, plura sunt necessaria quae probantur impossibilia.

**Necessarium est** : 1° ut extra viam auctoritatis, unusquisque certo sciat quinam sint Libri inspirati, ne uno quidem excepto, cum in singulis hisce libris reperiri possit aliqua veritas scitu necessaria. Atqui illud est impossibile. Etenim, Scriptura ipsa catalogum Librorum inspiratorum non continet, et inspiratio est factum quod sensu aut gustu individuo legentis non innotescit. Ergo ad testimonium recurrendum est. Sed vetera testimonia circa Libros inspiratos non concordant; unde, seclusa auctoritate Ecclesiae infallibiliter docentis, non habetur certus librorum inspiratorum canon.

**Necessarium est** 2° ut fideles omnes Scripturam sacram prae manibus habeant. Porro hoc majori hominum numero impossibile fuit ante artis typographicae inventionem; et hodie est innumeris imperivium, sive ob egestatem, sive quia in dissitis regionibus aut apud gentes barbaras degunt.

**Necessarium est** 3° ut Biblia integre et fideliter vertatur in omnes populorum linguas et omnia idiomata, quia plerique non nisi in sua vernacula lingua eam legere possunt. At hujusmodi translatio integra et fidelis tantae est difficultatis, ut merito pro moraliter impossibili habeatur, et de facto nunquam peracta fuerit. Ergo, si credas Protestantibus, ingens hominum numerus, sine sua culpa, nondum potuerunt regulam fidei necessariam adhibere: quid autem divinam Providentiam magis dedeceat!

**Necessarium est** 4° ut singuli Christiani libros sic

translatos legere queant et perscrutari. Excluduntur ergo caeci, infirmi, aegrotantes, nescientes legere, necnon qui variis hujus vitae negotiis nimium detinentur.

**Necessarium est** 5° ut legentes Scripturam, sufficienter illius intelligentiam adipiscantur, qua sibi symbolum credendorum efforment. Porro huic conditioni invincibiliter obstat Scripturae obscuritas, quae et auctoritate, et experientia, et ratione probatur.

1° *Auctoritate*. Ipse S. Petrus de B. Pauli epistolis ait: *In quibus sunt quaedam difficulta intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et caeteras Scripturas, ad suam ipsorum perniciem.* (II Ep., III, 16). Idem Patres asserunt. Sic Origenes (Cont. Cels. I., VII, n. 11): « Scripturae, in multis locis, revera obscurae sunt. » S. Amb. (Ep. 2): « Mare est Scriptura habens in se sensus profundos, altitudines propheticorum aenigmatum. » Si talis sit Scriptura pro tantis ingeniis, quid erit pro vulgaribus? Sed audiatur Lutherus ipse (Praef. in Psalm. in Symposiacis, c. I, fol. 2, 3, 6): « Scio impudentissimae esse temeritatis, eum qui audet profiteri unum Scripturae locum a se in omnibus intellectum... In Scripturis vix scimus a, b, c, et adhuc non recte... Dei verbum est inscrutabile... Unicum Scripturae... verbum perscrutari et e profundo eruere omnino impossibile est. Nego eruditos et theologos id posse. »

2° *Experientia*; videlicet: 1° tot ingentibus et laboriosissimis doctorum commentariis; 2° tot variis ac contrariis Protestantium, circa textus maximi momenti, interpretationibus; quae pro solis verbis, hoc est corpus meum, plus quam ducentae nume-

rantur; 3° tot insuper variis haeticorum sectis, quarum singulae Scripturam sacram in sui patrocini-um invocant.

3° *Ratione.* Difficultas interpretandi Scripturam alia est subjectiva, alia objectiva. Prior ex dispositionibus legentis oritur, nimirum: vel ex indole personae; vel ex vitio intellectus, propter naturalem tarditatem animi, aut inopiam institutionis, aut praejudicia inducentia ad textus, juxta sententias alte menti defixas, explicandos. Posterior provenit, tum ex rebus quae tractantur in Biblia, tum ex modo eas tractandi. — a) ex rebus quidem. Sunt enim dogmata in se valde alta et sublimia, aut veritates morales verbis generalibus et indeterminatis propositae, et quarum ideo extensio, obligationis gradus, et applicatio ad praxim non facile percipiuntur. — b) ex modo autem loquendi augetur difficultas, ratione phraseologiae quae, in libris praesertim veteribus, obscuritatem generat, ob orationes imperfectas, hebraicas locutiones, et nonnumquam ob verba alludentia ad mores et usus hodie non satis compertos.

Nihil autem ad vincendas praefatas difficultates proficeret invocare Spiritus sancti illuminationem aut supernaturalem gustum. Quis enim non videt tale adjutorium prorsus gratuito asseri, neque ejus praesentiam tuto discerni unquam posse; unde fit, defectu regulae certae et obviae, qua verus Dei interventus a putativo discernatur, omnibus deliriis et hallucinationibus aperiri viam? Et revera nonne illi qui de hoc supernaturali auxilio gloriantur, in iisdem explicandis textibus, quotidie magis ac magis dissentiant?

Necessarium est 6° ut quisquis, ineunte rationis

aetate, faciliter et absque mora, sibi ex Scripturis certum faciat fidei symbolum, quo possit vitam suam ad finem supernaturalem ordinare. Atqui, nedum id sit possibile, potius e contra vitari non potest quin puer in positivo dubio versetur circa praecipua religionis mysteria, donec et cognoverit Libros inspiratos, et eos attente perlegerit, et ex eis veritates fundamentales deduxerit.

Necessarium est 7° ut ope solius Scripturae, dirimantur controversiae omnes quae circa ejus sensum, saltem in rebus majoris momenti, quotidie insurgunt. Sed illud etiam est impossibile. Scriptura enim est judex mortuus qui semetipsum non explicat, interroganti non respondet, adversus eum male interpretantes non reclamatur, neque pronuntiat inter litigantes. Itaque, velle omnia dissidia ad hujusmodi tribunal submittere ut componantur, ejusdem esset insaniae ac, in societate civili, ad solum codicem legum appellare, pro dubiis circa ejus sensum solvendis, et pro litibus inter privatos dirimendis.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 131.

134. *Ad 1.* Magna est inter Synagogam et Ecclesiam disparitas. Revelatio mosaica uni tantum populo, et quidem transitorie data est; paucis constabat dogmatibus religioni naturali additis; et eorum conservationi sufficienter provisum est: 1° per innumeras caeremonias, et multiplicia festa, quae gentem hebraicam ab aliarum commercio sejungebant, et ipsius memoriae veritates religiosas incessanter revocabant; 2° per quotidianas patrumfamilias et Levitarum instructiones; 3° per missionem extraordinariam

Prophetarum dono inspirationis pollentium. Sed, ut patet, alterius omnino conditionis est revelatio christiana. Caeterum, non constat inter eruditos an defuerit apud Judaeos magisterium infallibile.

135. *Ad 2.* Nulla paritas inter necessitatem uniusque, etiam juxta nos, incumbentem interpretandi Ecclesiae definitiones, et eam quam inducunt Protestantes interpretandi Scripturas. Cum enim Ecclesia sit auctoritas semper vivens et loquens, semper potest, inter varias suorum decretorum explicationes, declarare quae sit vera et quae falsa, et, si opus sit, clarioribus verbis elucidare sensum suum. Unde, quamvis rationis privatae exercitium ibidem interveniat, id facit, non dogmatizando, non judicando, sed dicta humiliter audiendo et reverenter suscipiendo, atque omni tempore se exhibendo paratam corrigendi proprios conceptus, quoties eos erroneos Ecclesia jadicaverit. Qui rationis privatae interventus multum discrepat ab eo, juxta quem homo individuus ipse de Scripturarum sensu judicaret, quin ab ulla auctoritate visibili corripere.

136. *Ad 3.* Definitiones Ecclesiae propter Spiritus sancti assistentiam, verbum divinum objective continent; et ideo iis assentiri est Deo dignum, hominibusque utile ac necessarium. At definitiones doctrinales quas homo privatus, juxta Protestantes, profert interpretando Scripturas, minime probantur semper objective continere verbum Dei; et ideo illas assumere tanquam fidei regulam non est licitum nec expediens.

137. *Ad 4.* Lectio ac studium Scripturae sacrae, ea mente ut de ejus sensu ratio individua decretorie judicet, est quid maximam sapiens praesumptionem

ac periculosissimum, et talis est mens Protestantium. Catholicis autem minime interdicitur legere Scripturas, ut Christi doctrinam magis calleant, efficacius propugnent, et ut verbum divinum devotius meditentur, modo in hujusmodi lectione et studio, a directione Ecclesiae infallibiliter docentis nunquam se subtrahant. Quinimo, si quis certo comperiat in Libris sacris veritatem nondum ab Ecclesia definitam, non poterit eam, absque gravi infidelitatis peccato, negare aut in dubium revocare.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Utrum ex institutione magisterii infallibilis, jure concludatur Ecclesiae Romanae divinitas?

138. *Resp.* Videri potest quod non.

Etenim magisterium infallibile collatum a Christo collegio apostolico, perseverare debuit in corpore episcoporum. At corpus episcoporum non coarctatur intra limites Ecclesiae Romanae, sed complectitur etiam episcopos Anglicanos et Graecos. Ergo sententia doctrinalis, ut vim legis habeat, proferri debet nomine trium communionum: Romanae, scilicet, Anglicanae et Graecae. Igitur ex institutione praedicti magisterii, non legitime concluditur Ecclesiam Romanam, exclusis omnibus aliis, esse divinam. Quod si rejiciatur validitas ordinationis episcopalis apud Anglicanos, saltem admitti debet apud Graecos, et ideo vera Ecclesia coalescit ex duabus communionibus, Romana et Graeca.

139. *Sed contra dico: Apud solam Ecclesiam Romanam reperitur magisterium a Christo institutum.*

Etenim illa Ecclesia, et quidem sola, habet magis-

terium a Christo institutum, quae sola, inter omnes societates christianas, profitetur auctoritatem docentem, vestitam conditionibus requisitis ut finem suum obtineat. Atqui talis est Ecclesia Romana. Omnes siquidem sectae, praeter Ecclesiam Romanam, vel expresse asserunt, dogmatis instar, nullam dari in mundo auctoritatem doctrinalem divinitus institutam extra Scripturae, et ita passim Protestantes; vel hanc agnoscunt auctoritatem, sed in iis conditionibus quae faciunt eam inexercibilem et sine fructu, et tales sunt Graeci schismatici, et, inter Anglicanos, Puseyistae.

Puseyistae docent ex tribus communionibus, Anglicana, Graeca et Romana, efflorescere veram Ecclesiam, et in harum conjunctione reponi supremum magisterium. Unde, si daretur concilium has tres communionem repraesentans, gauderet vera infallibilitate divinitus instituta. Atqui patet hanc supremam magisterii auctoritatem esse vere inexercibilem, ob unius aut alterius partis pertinaciam, neque huic impedimento adesse remedium, cum, juxta adversarios, nihil infallibiliter decerneretur absque partium separatarum consensu, nec ulla possit sua auctoritate privari. Dicendum ergo erit Christum, sapientissimum legislatorem, eo modo auctoritatem docentem statuisset, quo aliquando fieri posset inexercibilis ac sine fructu, quod repugnat.

Graeci schismatici non habent et ipsi auctoritatem docentem vere et fructuose exercibilem. Tenent enim non dari sententiam doctrinalem definitivam, nisi ex consensu utriusque communionis Romanae ac Graecae. Ergo idem recurrit argumentum ac supra. Quinimo, nec in ipsa Graeca communionem dari potest aucto-

ritas docens. Apud Graecos enim numerantur, ut vidimus, duodecim capita ab invicem independentia. Nullus igitur erit episcopus qui caeteros auctoritative et efficaciter possit convocare. Ea est ratio cur Graeci communiter affirmant, in prioribus sex conciliis oecumenicis omnes circa religionem quaestiones agitatae et solutae fuisse, nec novo opus esse concilio; unde practice negant magisterii divini perpetuitatem.

Itaque, vel nulla est in mundo societas habens magisterium divinitus institutum, ac proinde perit Ecclesia Christi; vel Ecclesia Romana est sola Ecclesia quam fundavit Christus.

Sic igitur respondendum ad id quod opponitur n. 138.

140. Validitas ordinationis episcopalis confert equidem radicalem aptitudinem ut ordinatus gaudeat hac jurisdictione, vi cuius, cum aliis episcopis ferat decreta dogmatica irreformabilia; sed non dat jus sic auctoritative docendi, etiam episcopis qui ab Ecclesia vera per schisma aut haeresim separarentur, alioquin, uti diximus, auctoritas docens fieret inexercibilis ac sine fructu.

#### DISSERTATIO QUINTA

DE DIVINITATE ECCLESIAE ROMANAE NOTARUM  
OPE DEMONSTRANDA

141. Illud argumentum sic breviter contrahitur:

Religio catholica, cum sit necessaria ad salutem, his debuit a suo institutore insigniri notis, quibus ab unoquoque facile dignoscatur. Notae illae, sensu ge-

terium a Christo institutum, quae sola, inter omnes societates christianas, profitetur auctoritatem docentem, vestitam conditionibus requisitis ut finem suum obtineat. Atqui talis est Ecclesia Romana. Omnes siquidem sectae, praeter Ecclesiam Romanam, vel expresse asserunt, dogmatis instar, nullam dari in mundo auctoritatem doctrinalem divinitus institutam extra Scripturae, et ita passim Protestantes; vel hanc agnoscunt auctoritatem, sed in iis conditionibus quae faciunt eam inexercibilem et sine fructu, et tales sunt Graeci schismatici, et, inter Anglicanos, Puseyistae.

Puseyistae docent ex tribus communionibus, Anglicana, Graeca et Romana, efflorescere veram Ecclesiam, et in harum conjunctione reponi supremum magisterium. Unde, si daretur concilium has tres communionem repraesentans, gauderet vera infallibilitate divinitus instituta. Atqui patet hanc supremam magisterii auctoritatem esse vere inexercibilem, ob unius aut alterius partis pertinaciam, neque huic impedimento adesse remedium, cum, juxta adversarios, nihil infallibiliter decerneretur absque partium separatarum consensu, nec ulla possit sua auctoritate privari. Dicendum ergo erit Christum, sapientissimum legislatorem, eo modo auctoritatem docentem statuisse, quo aliquando fieri posset inexercibilis ac sine fructu, quod repugnat.

Graeci schismatici non habent et ipsi auctoritatem docentem vere et fructuose exercibilem. Tenent enim non dari sententiam doctrinalem definitivam, nisi ex consensu utriusque communionis Romanae ac Graecae. Ergo idem recurrit argumentum ac supra. Quinimo, nec in ipsa Graeca communionem dari potest aucto-

ritas docens. Apud Graecos enim numerantur, ut vidimus, duodecim capita ab invicem independentia. Nullus igitur erit episcopus qui caeteros auctoritative et efficaciter possit convocare. Ea est ratio cur Graeci communiter affirmant, in prioribus sex conciliis oecumenicis omnes circa religionem quaestiones agitatae et solutae fuisse, nec novo opus esse concilio; unde practice negant magisterii divini perpetuitatem.

Itaque, vel nulla est in mundo societas habens magisterium divinitus institutum, ac proinde periit Ecclesia Christi; vel Ecclesia Romana est sola Ecclesia quam fundavit Christus.

Sic igitur respondendum ad id quod opponitur n. 138.

140. Validitas ordinationis episcopalis confert equidem radicalem aptitudinem ut ordinatus gaudeat hac jurisdictione, vi cuius, cum aliis episcopis ferat decreta dogmatica irreformabilia; sed non dat jus sic auctoritative docendi, etiam episcopis qui ab Ecclesia vera per schisma aut haeresim separarentur, alioquin, uti diximus, auctoritas docens fieret inexercibilis ac sine fructu.

#### DISSERTATIO QUINTA

DE DIVINITATE ECCLESIAE ROMANAE NOTARUM  
OPE DEMONSTRANDA

141. Illud argumentum sic breviter contrahitur:

Religio catholica, cum sit necessaria ad salutem, his debuit a suo institutore insigniri notis, quibus ab unoquoque facile dignoscatur. Notae illae, sensu ge-

nerali, sunt, ut dictum est, quaelibet facta divina, satis obvia, et cum religionis veritate clare et indivulse connexa; inter quae potissimum numerantur miracula et prophetiae. At quia Christus suam religionem cum forma sociali existere voluerit, hinc illam quibusdam instruxit proprietatibus illi permanenter inhaerentibus et maxime perspicuis, quae hanc a falsis sectis secernunt. Hae dotes sunt: *Unitas, Apostolicitas, Catholicitas et Sanctitas*. Porro facillimum est ostendere illas, recte juxta Christi mentem intellectas, reperiri omnes in Ecclesia Romana, et quidem sola. Ergo Ecclesia Romana est vera Ecclesia Christi. Quod argumentum evolvitur in quaestionibus tredecim.

QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quid intelligatur per Ecclesiae notam, et quibus notis dignoscatur vera Ecclesia?

(Vide Mazella: *de Rel. et Eccl.*, n. 827-837. — Knoll: *Theol. gen.*, § 282.)

142. Resp. ad I. Nota Ecclesiae est aliqua proprietas verae Ecclesiae essentialis, et quae legitime invocari potest, vel ad probandum talem societatem esse Ecclesiam divinitus institutam, vel saltem ad alicujus sectae falsitatem demonstrandam. Quatenus directe invocatur ad stabiliendam veritatem Ecclesiae, habet rationem *notae positivae*; quatenus directe adhibetur ad alicujus sectae falsitatem adstruendam, habet rationem *notae negativae*.

Ut aliqua proprietas sit nota Ecclesiae, sive positiva sive negativa, duo necessaria sunt: 1<sup>o</sup> quod sit notior Ecclesia, quia res ducons in alterius notitiam debet

esse magis nota, ut patet; 2<sup>o</sup> quod sit cognitu facilis, ita ut periti propria indagatione, imperiti vero per explicationes peritorum facile percipiant, et hanc proprietatem esse verae Ecclesiae necessariam, et illam, de facto, in tali societate reperiri, vel a tali societate abesse; secus enim non foret hominibus satis accommodata, et immerito *nota* vocaretur.

Posita autem hac duplici conditione, omnis proprietas verae Ecclesiae essentialis inservire potest, per modum notae negativae: 1<sup>o</sup> *directe*, ad convincendum de falsitate societatem ea carentem, siquidem essentialis est verae Ecclesiae; 2<sup>o</sup> *indirecte*, ad vindicandam veritatem alicujus societatis, quando, videlicet, ostenditur praefatam dotem in caeteris omnibus sectis desiderari; tunc enim valet argumentum: vel haec societas est vera Ecclesia Christi, vel nulla est in mundo vera Ecclesia.

Sed ut ex sola hujusce proprietatis praesentia in aliqua societate directe inferatur illam esse veram Ecclesiam, necessarium est insuper, ut haec proprietas sit verae Ecclesiae exclusive propria, nec in falsa reperiri possit; quod enim vero et falso potest convenire, non distinguit unum ab altero.

Hinc notam Ecclesiae *negativam*, dicimus hanc dotem ex cujus absentia *directe* concluditur falsitas sectae ea carentis, sed ex cujus praesentia non concluditur veritas societatis ea praeditae, nisi *indirecte*, in quantum omnes aliae sectae hac destituerentur. Notam autem *positivam* Ecclesiae hanc dicimus, ex cujus praesentia *directe* concluditur veritas societatis apud quam invenitur.

143. Resp. ad II. Protestantes in assignandis verae



Ecclesiae notis, non omnino concordant. Alii unicam assignant, nempe, legitimam verbi divini praedicationem: ita confessiones Helveticae. Alii huic adjiciunt legitimum usum sacramentorum: ita Calvinus et plures confessiones. Alii, praeter duas priores, requirunt disciplinam ecclesiasticam recte administratam: ita confessio Scotica.

Schismatici, sive Graeci, sive Rutheni, dicunt illam Ecclesiam esse veram, quae inviolabiliter servat ea quae tenebantur ab antiqua Ecclesia oecumenica, et contendunt hoc constare, quando servantur ea omnia quae credenda et observanda definita fuerunt in sex prioribus conciliis generalibus, quibus tamen, ad complendum mysticum septenarii numerum, addunt synodum *in Trullo* vocatam.

144. *Contra quos omnes, dico 1<sup>o</sup>: Non sufficient notae a Protestantibus assignatae.*

Vel enim Protestantes intelligunt illam Ecclesiam esse veram, in qua praedicantes verbum, Sacramenta ministrantes et curam habentes disciplinae, ad haec implenda munia legitime missi fuerunt; vel (quod ad eorum mentem magis videtur accedere) dicunt hanc esse veram Ecclesiam, in cujus sinu fides quam profitentur Christiani, Sacramenta quae recipiunt, et leges quibus reguntur, nihil continent quod cum verbo divino perfecte non concordet. Atqui in utroque sensu notae illae non sufficient.

I. In priori sensu, sunt equidem dotes soli verae Ecclesiae competentes, sed non ipsa notiores, saltem *directe*. Etenim, cum praedicta munera non nisi in sinu verae Ecclesiae jure exercentur, ut *directe* constet verbi praedicationem, Sacramentorum collatio-

nem, et disciplinae administrationem fieri cum legitima missione, necesse est ut cognoscatur an fiant apud veram Ecclesiam; ergo necesse est ut jam cognoscatur ubinam sit vera Ecclesia Christi.

Dixi: *Saltem directe*. Concedimus enim has notas, in priori sensu intellectas, *indirecte* conferre ad detegendam veram Christi Ecclesiam, veluti notas negativas. Nam clare demonstratur, apud singulas sectas pseudochristianas, verbum praedicantes, Sacramenta, conferentes, et disciplinam administrantes, id facere absque ulla legitima missione, et solos Ecclesiae Romanae pastores de hoc legitimae missionis defectu nunquam convictos esse.

II. Nec etiam in posteriori sensu sumptae, notae quas assignant Protestantes, ipsis prodesse possunt ad veram Ecclesiam discernendam.

1<sup>o</sup> Certe non prosunt tanquam notae positivae. Ad hoc enim deberent esse verae Ecclesiae exclusive propriae. Atqui tales non sunt; quia absolute non repugnat dari sectam pure schismaticam, seu sectam nihil in doctrina, nihil in Sacramentis, nihilque in sua disciplina continentem verbo divino contrarium. Ergo...

2<sup>o</sup> At, nequidem notarum negativarum instar, Protestantes ducere queunt ad verae Ecclesiae cognitionem. Juxta Protestantes enim, non qualiscumque oppositio cum verbo divino arguit sectae alicujus falsitatem, sed illa tantum quae contrariatur veritatibus revelatis majoris momenti, seu, ut aiunt, articulis fundamentalibus. Unde, ut notarum protestanticarum ope, pronuntietur talem societatem esse pseudochristianam, oportebit primum, independenter ab Ecclesiae verae magisterio, efformare symbolum horumce arti-

eulorum fundamentalium. Atqui id non parvam habet difficultatem, ut constat ex dictis supra de privata Scripturarum interpretatione, et ex Protestantium experientia, qui in hoc conficiendo symbolo nunquam fuerunt concordēs. Ergo.

Dixi: has notas *Protestantibus* non prodesse; quia Catholici hisce notis, veluti negativis, optime utuntur ad indirectam Ecclesiae Romanae demonstrationem. Nam rationibus claris et obviis ostendunt magisterii infallibilis et primatus perpetui institutionem. Cum ergo in omnibus societatibus Christianis, si Romanam excipias, desit illud magisterium, et deficiat primatus ille, jam illico et facile concluditur fidem ac regimen harumce societatū verbo divino contradicere.

145. Dico 2<sup>o</sup>: *Non valet nota verae Ecclesiae a Graecis schismaticis excogitata.*

I. Certe non valet ut nota *positiva*; quia non est verae Ecclesiae *exclusive* propria. Si enim esset verae Ecclesiae *exclusive* propria, jam ut quis pertineret ad veram Ecclesiam, ipsi sufficeret ea profiteri quae in sex prioribus conciliis generalibus (addito concilio in Trullo) credenda et observanda definita sunt. Sed undenam constet id sufficere? Non ex alio certe principio, quam ex obligatione obsequium praestandi magisterio auctoritativo Ecclesiae. Porro illud magisterium non coaretatur ad tempora praefatorum conciliorum, sed est perpetuum, sicut ipsamet Ecclesia Christi, ex jam probatis. Ergo necessarium quoque est ea admittere quae ab infallibili Ecclesiae magisterio postea definita sunt aut definientur. Ergo nota a Graecis schismaticis excogitata non valet ut *positiva*.

II. At nequidem ut nota *negativa* inservire potest

ad veram Ecclesiam discernendam; quia nec est vera Ecclesia notior, nec est cognitu facilis.

a) Non est vera Ecclesia notior. Prius enim quam ea utamur, debemus certi esse Ecclesiam, in cuius sinu sex priora concilia oecumenica celebrata sunt, fuisse veram Ecclesiam.

b) Non est cognitu facilis. Nam, cum jam, fatentibus Graecis, desit in mundo magisterium *exercibile*, sequitur neminem posse praefatam notam abhibere, nisi prius, solius ope rationis naturalis, priorum horumce conciliorum decreta inquisierit, legerit, interpretatus fuerit, et deinde, juxta eorundem normam, investigaverit et judicaverit an variae sectae christianae aliquid teneant illis decretis contrarium; et ideo varia dubia et varias controversias, quae circa oppositionem aut conformitatem alicujus sectae cum praedictis conciliis oriri possunt, sola sua privata auctoritate solvat et dirimat. At id non est quid facile et obvium. Ergo.

146. Dico 3<sup>o</sup>: *Unitas, Apostolicitas, Catholicitas et Sanctitas sunt notae Ecclesiae.*

Prob. 1<sup>o</sup> *ex symbolo Constantinopolitano.*

In hoc symbolo confitemur: *Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam.* Hunc autem articulum semper intellexerunt pastores et fideles, de proprietatibus quibus innotescit vera Ecclesia, seu de genuinis ejusdem notis, ut infra latius ostendemus; unde per eas Patres et Doctores conati sunt schismaticos et haereticos refellere.

Prob. 2<sup>o</sup> *ex ratione.*

Habent siquidem omnia requisita ad veras Ecclesiae notas.

1° Sunt verae Ecclesiae essentiales, quod patebit ex dicendis.

2° Sunt facile cognoscibiles, quia de earum existentia aut absentia facile constat. Sic Unitas fidei manifestatur per ejusdem fidei professionem, quae in coetu universim spectato supponi nequit simulata; Unitas regiminis patet per regiminis ipsius externi visibilitatem; Apostolicitas, per successionem ab Apostolis quae externa est, et praesertim per communionem cum B. Petri successore; Catholicitas, per latam diffusionem in universo orbe; Sanctitas, per virtutum externam heroicam, per mirabilem fecunditatem, necnon per miracula.

3° Sunt notiores vera Ecclesia. Etenim, ut percipiatur eas reperiri in tali societate vel a tali secta abesse, non est necessarium ut prius cognoscatur veritas societatis illa fruētis, aut falsitas sectae hac destitutae.

Quibus positis, jam illarum notarum ope, saltem quatenus habentur ut negativae, evidenter demonstratur Ecclesiae Romanae divinitas, cum de facto, ex dicendis, in omnibus aliis sectis desiderentur. At modo videbimus qua ratione sint verae Ecclesiae exclusive propriae, et hanc quatenus notae positivae directe manifestent.

In hisce notis infra paulo latius explanandis et applicandis, iterum sermo recurret de primatu Romani Pontificis et de infallibili magisterio. Sed haec considerabimus sub alio respectu, nempe, in quantum sunt principia ex quibus profluunt Unitas et Apostolicitas, tum in fide, tum in regimine. Erit igitur argumentandi ratio diversa, quae in divinitatis Ecclesiae Romanae demonstratione non est negligenda.

QUAESTIO II<sup>a</sup>

Quibus variis modis intelligatur Ecclesiae Unitas?

(Vide Mazella : *de Relig. et Eccl.*, n. 628, n. 645.)

147. Resp. Unitas Ecclesiae alio modo intelligitur a Catholicis, alio modo a Graecis, alio a Protestantibus Juriaeo adhaerentibus, alio ab Anglicanis Pu-seystis.

I. Conceptus Unitatis ecclesiasticae apud Catholicos.

Juxta doctrinam catholicam, haec unitas, generatim sumpta, in eo sita est, quod Ecclesia a Christo instituta unica sit et non multiplex. Alia est unitas *simultanea*, alia *successiva*. Unitas *simultanea*, seu in spatio, illa est vi cujus, omnes in sinu verae Ecclesiae degentes, quocumque loco reperiantur, sunt unius ejusdemque societatis membra. Unitas *successiva*, seu in tempore, ea est vi cujus, eadem Ecclesia Christi semper in statu verae Ecclesiae perseverat, nec fuit unquam mutata aut est mutanda in aliam; quae unitas successiva refertur ad indefectibilitatem, et continet Apostolicitatem. Agimus nunc de sola unitate simultanea, et haec est duplex : fidei et regiminis.

*Unitas fidei* per hoc constituitur, quod omnes fideles per orbem dispersi credant omnes et eosdem articulos, quos Ecclesia ipsis credendos proponit. Haec unitas, praeter unitatem *facti*, seu factum ipsum unitatis in credendo, importat unitatem *juris*, seu principium unitatem facti producens et conser-

vans, et illud principium reponitur in magisterio infallibili Ecclesiae. Sed ut ab eo profuatur unitas facti, necessarium non est omnes articulos definitos a singulis fidelibus *explicite* cognosci; quia sufficit si formaliter credant ea omnia esse revelata, quae veluti talia ab Ecclesia docente proponuntur; tunc enim omnia dogmata creduntur *implicite*.

Ex hac unitatis fidei notione, sequitur Ecclesiam non posse conflare ex variis sectis, quarum singulae habent suam propriam ac diversam fidei professionem, ita ut, quod una habet tanquam de fide credendum, ab altera vel rejicitur, vel relinquatur liberae disputationi; et ideo inter varias hujusmodi societates, vel una tantum, vel nulla est vera Ecclesia Christi; nam impossibile est eas omnes esse veras, quamvis omnes possint esse falsae.

*Unitas regiminis* per hoc constituitur, quod omnia verae Ecclesiae membra eidem capiti, id est, eidem supremo regimini subjiuantur. Etenim, si alia uni capiti, alia alteri subiaceant, et nullum sit caput cunctis praelatum, evidenter deest unitas regiminis. Hinc diversae sectae habentes singulae suum proprium regimen ab aliis sectis independens, non efformant collectionem cui competit veram esse Christi Ecclesiam; sed inter omnes hos coetus, vel nullus, vel unicus est vera Ecclesia Christi.

Unitati *fidei* contrariatur *haeresis*, seu error in fide pertinax. Unitati *regiminis* contrariatur *schisma*, seu illa rebellio vi cuius aliquis non vult profiteri se regimini ecclesiastico subjectum. Igitur haeresis et schisma conveniunt in frangenda unitate, et discrepant in modo. At schismatici mox haeretici fiunt,

quia suam rebellionem cohonestare plerumque conantur negando aliquam veritatem definitam.

#### 148. II. Conceptus Unitatis ecclesiasticae apud Graecos.

Graeci schismatici, ut vidimus, unicum agnoscunt principium unitatis christianae, nempe, coetum episcopalem quo repraesentarentur episcopi utriusque communionis, Romanae et Graecae. Ex hoc principio fluit unitas facti doctrinalis, qua creduntur omnia quae definita sunt in sex prioribus conciliis generalibus. At tale principium jam factum est plane inefficax, cum ipsius auctoritas, propter divisionem, sit inexercibilis. Imo, apud ipsosmet Graecos nullus est episcopus supremus, qui alios ad concilium cogere possit, et in unitate continere; quamvis enim dicant episcopos suis respective patriarchis subditos esse, asserunt tamen patriarchas a se invicem esse independentes.

#### 49. III. Conceptus Unitatis ecclesiasticae apud Protestantes Juriaeo adhaerentes.

Juriaeus, cujus systema apud Protestantes praevaluit, contendit ad unitatem verae Ecclesiae essentialem, sufficere si fideles in certis quibusdam articulis majoris momenti, quos *fundamentales* vocat, credendis concordent. Vera igitur Ecclesia est coetus quidam universalis, constans ex omnibus Christianorum sectis, quae non errant in fundamentalibus, quamvis unaquaeque diversam circa alios articulos professionem habeat, propriumque regimen a caeteris prorsus independens, et variae illae Ecclesiae particulares sese mutuo ex-

communicent et anathematizent. Unde, quisquis adhaeret fundamentalibus, potest quidem extra unitatem suae particularis ecclesiae ejici, at non extra unitatem ecclesiae universalis.

Insuper, juxta Juriaem, variae sectae in fundamentalibus consentientes non efformant unicum corpus sociale, nec ullam in communi actionem exercere possunt: « L'Eglise universelle, inquit, ne juge point, « elle ne décide pas, elle n'a pas de tribunal, elle ne « peut pas s'assembler... L'Eglise universelle ne « prêche point, elle n'enseigne pas, elle ne saurait ins- « truire, non plus qu'elle ne peut rien juger ni décider; « ce sont les églises particulières qui font tout cela. »

At non sola Ecclesia universalis regimine externo destituitur, sed et unaquaeque particularis ecclesia, juxta idem systema, caret proprio regimine divinitus instituto; pastores enim a Protestantibus habentur ut meri consiliarii, non ut veri principes spirituales gaudentes potestate legislativa.

#### 150. Conceptus Unitatis ecclesiasticae apud Anglicanos Puseyistas.

Nonnulli doctores universitatis Oxoniensis in Anglia, post Pusey, mediam viam inter Catholicos et Protestantas, circa Unitatem Ecclesiae definiendam, inierunt. Dicunt ergo Ecclesiam veram constare omnibus societatibus christianis, quae auctoritatem doctrinalem retinuerunt, etiamsi eadem dogmata non admittant, et unaquaeque proprium et ab aliis independens regimen habeat. Hinc ad unitatem Ecclesiae pertinent, Ecclesia Romana, Graeca, Russica et Angliae constituta; et coetus episcoporum, quo variae illae communionem

repraesentarentur, esset efficax principium unitatis in fide. Et revera, necesse est ut singuli fideles profiteantur omnes articulos a sex prioribus conciliis oecumenicis definitos, ante Graecorum schisma, et sint dispositi ad credendum omnia quae definirentur a coetu universalem Ecclesiam repraesentante, si postea congregaretur. Nonnulli tamen Puseyistae, post duces suum, hanc necessitatem postea coarctasse videntur ad contenta in symbolo Apostolorum.

Quoad unitatem regiminis, prout a Catholicis intelligitur, dicunt Puseyistae illam non esse essentialem, quamvis sit perfectior, et forsitan de praecepto positivo divino. At nonnunquam, ratione circumstantiarum, non est obligatoria, imo licite servari nequit, nempe: ubi regimen a Christo institutum sit corruptum in fide aut moribus. Tunc separatio facienda est ab Ecclesia, non quatenus vera, sed quatenus corrupta, manetque communio in iis quae vera et recta sunt. In eo casu, sufficit ut in qualibet societate maneat ministrorum hierarchia. Attamen, lugenda est valde, inquit, separatio actualis communionum, et ideo Londini, anno 1859, fundata est associatio precum quibus obtineretur a Deo Christianitatis unitas.

#### QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum admittenda sit Unitatis ecclesiasticae notio a Catholicis tradita?

(Vide Mazella: *de Rel. et Eccl.*, n. 647... 672. — Perriot: *de Eccl.*, p. 46... 67. — Hurter: *Theol. gen.*, n. 394... 410.)

151. Resp. Videri potest quod non.

communicent et anathematizent. Unde, quisquis adhaeret fundamentalibus, potest quidem extra unitatem suae particularis ecclesiae ejici, at non extra unitatem ecclesiae universalis.

Insuper, juxta Juriaem, variae sectae in fundamentalibus consentientes non efformant unicum corpus sociale, nec ullam in communi actionem exercere possunt: « L'Eglise universelle, inquit, ne juge point, « elle ne décide pas, elle n'a pas de tribunal, elle ne « peut pas s'assembler... L'Eglise universelle ne « prêche point, elle n'enseigne pas, elle ne saurait ins- « truire, non plus qu'elle ne peut rien juger ni décider; « ce sont les églises particulières qui font tout cela. »

At non sola Ecclesia universalis regimine externo destituitur, sed et unaquaeque particularis ecclesia, juxta idem systema, caret proprio regimine divinitus instituto; pastores enim a Protestantibus habentur ut meri consiliarii, non ut veri principes spirituales gaudentes potestate legislativa.

#### 150. Conceptus Unitatis ecclesiasticae apud Anglicanos Puseyistas.

Nonnulli doctores universitatis Oxoniensis in Anglia, post Pusey, mediam viam inter Catholicos et Protestantas, circa Unitatem Ecclesiae definiendam, inierunt. Dicunt ergo Ecclesiam veram constare omnibus societatibus christianis, quae auctoritatem doctrinalem retinuerunt, etiamsi eadem dogmata non admittant, et unaquaeque proprium et ab aliis independens regimen habeat. Hinc ad unitatem Ecclesiae pertinent, Ecclesia Romana, Graeca, Russica et Angliae constituta; et coetus episcoporum, quo variae illae communionem

repraesentarentur, esset efficax principium unitatis in fide. Et revera, necesse est ut singuli fideles profiteantur omnes articulos a sex prioribus conciliis oecumenicis definitos, ante Graecorum schisma, et sint dispositi ad credendum omnia quae definirentur a coetu universalem Ecclesiam repraesentante, si postea congregaretur. Nonnulli tamen Puseyistae, post duces suum, hanc necessitatem postea coarctasse videntur ad contenta in symbolo Apostolorum.

Quoad unitatem regiminis, prout a Catholicis intelligitur, dicunt Puseyistae illam non esse essentialem, quamvis sit perfectior, et forsitan de praecepto positivo divino. At nonnunquam, ratione circumstantiarum, non est obligatoria, imo licite servari nequit, nempe: ubi regimen a Christo institutum sit corruptum in fide aut moribus. Tunc separatio facienda est ab Ecclesia, non quatenus vera, sed quatenus corrupta, manetque communio in iis quae vera et recta sunt. In eo casu, sufficit ut in qualibet societate maneat ministrorum hierarchia. Attamen, lugenda est valde, inquit, separatio actualis communionum, et ideo Londini, anno 1859, fundata est associatio precum quibus obtineretur a Deo Christianitatis unitas.

#### QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum admittenda sit Unitatis ecclesiasticae notio a Catholicis tradita?

(Vide Mazella: *de Rel. et Eccl.*, n. 647... 672. — Perriot: *de Eccl.*, p. 46... 67. — Hurter: *Theol. gen.*, n. 394... 410.)

151. Resp. Videri potest quod non.

Etenim, 1<sup>o</sup> juxta Catholicos ipsos, dantur veritates revelatae quae tamen non reputantur fundamentales, et ideo negari possunt sine praejudicio unitatis Ecclesiae Romanae. Ergo dari queunt veritates, etiam ab Ecclesia Romana definitae, quarum negatio non praejudicat unitati Ecclesiae universalis.

2<sup>o</sup> Praeterea, B. Paulus (I Cor., III, 12) nonnullos errores in fide assimilat ligno, stipulae, foeno, quibus incendio consumptis, obtinetur tamen salus. Ergo non omnis error in fide excludit ab Ecclesia extra quam nemo fit salvus. Ita Juriaeus.

3<sup>o</sup> Praeterea, unitati in fide ad salutem requisitae sufficere videtur fides in Christum Jesum verum Deum; sic enim legimus apud Joan. (III, 36): *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam*, et (I Ep., IV, 15): *Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo*. Ita Chillingworth, Hobbius, Lockius et alii.

4<sup>o</sup> Praeterea, historia testatur plures olim anathematizatos fuisse ob errorem in fide aut rebellionem adversus Papam, qui tamen in unitate Ecclesiae Catholicae, id est, universalis remanserunt; uti, v. g., episcopi Orientales in controversia de die celebrandi Pascha, S. Cyprianus aliique episcopi Africani et Orientales, asserentes baptismum haereticorum iterandum esse.

5<sup>o</sup> Praeterea, durante magno schismate Occidentis, per quadraginta annos, fuerunt plures obedientiae, primo duae, dein tres, et unaquaeque proprium et independens habuit regimen supremum; et tamen in singulis his obedientiis vera mansit Ecclesia, ut omnes concedunt. Ergo unitas regiminis non est essentialis verae Ecclesiae.

152. Sed contra dico 1<sup>o</sup>: *Omnino necessarium est ad salutem, ut omnes fideles per orbem dispersi conveniant, tum in credendo quicquid Ecclesia docens definit, tum seipos uni supremae auctoritati subjectos profitendo*.

Utraque pars aperte sequitur ex jam stabilitis de Ecclesiae magisterio, necnon de primatu perpetuo B. Petri.

1<sup>o</sup> Christus dedit Apostolis et eorum successoribus, usque ad consummationem saeculi, jus auctoritative et infallibiliter docendi omnia quaecumque mandavit, jus praedicandi Evangelium, sane integrum; ideoque nullum est dogma ab Ecclesia definitum quod possit negari aut in dubium poni, quin gravis injuria Christo inferatur.

Item, Christus Petro commisit munus sustentandi Ecclesiam, claves regni coelorum gerendi, quoscumque Christianos ligandi atque solvendi; quod munus exerceri debet quamdiu durabit Ecclesia, id est, jugiter. Ergo quicumque non vult aedificari super B. Petri successorem, nec ab eo ligari aut solvi, jam divinae institutioni contradicit et gravissime peccat.

2<sup>o</sup> Christus religionem suam hominibus non proposuit, nisi sub forma sociali in Ecclesia, et quidem unica, observandam. Hinc Christianismus extraecclesiasticus non est nisi pseudochristianismus. At quicumque non adhaeret doctrinae Christi qualis ab Ecclesia definiente proponitur, item quicumque non vult haberi tanquam membrum influxui Ecclesiae capitis imperativo subjectum, certe non profitetur Christianismum illum socialem a Christo institutum.

Ergo est pseudochristianus, seu immerito gloriatur se esse Christi discipulum, atque inter ejus membra mystica computandum; proindeque a beneficio Redemptionis excluditur.

153. Dico 2<sup>o</sup>: *Impossibile est veram Ecclesiam coalescere ex variis sectis, quae circa articulos quosdam majoris momenti, seu, fundamentales concordant.*

Et hoc tripliciter constat: 1<sup>o</sup> argumento auctoritatis negativo, ex ipsamet institutione Ecclesiae deducto; 2<sup>o</sup> argumento auctoritatis positivo, seu, ex his quae dicta et gesta sunt in Ecclesia, ante Juriaeum; 3<sup>o</sup> argumento rationis.

**I. Argumento auctoritatis negativo.**

Certe Christus non multiplicem fundavit Ecclesiam, sed unicam prorsus, ad quam omnes gentes vocavit, et ejus praefecturam B. Petro in perpetuum per ejus successores gerendam commisit. Non fuit igitur ab initio Ecclesia plurium sectarum collectio, proindeque toto caelo differebat ab ea quam sibi Juriaeus confinxit. Ergo, si credamus Juriaeus, dicendum erit Christum, unicam aedificando Ecclesiam, Christianis licentiam reliquisse alias erigendi societates separatas, ea tantum conditione, ut retinerent articulos fundamentales. Talis autem licentia: 1<sup>o</sup> cum a nemine erat praesumenda, admitti non debet, nisi positive et clare, aut a Christo, aut ab Apostolis, Christi nomine, significata fuerit; eo magis quod ratio unitatis ecclesiae essentialiter constitutiva nunquam potuit ignorari; 2<sup>o</sup> supponit traditam simul fuisse regulam obviam et facilem discernendi articulos fundamentales a non fundamentalibus; secus licentia foret inutilis, imo

noxia evaderet, et vergeret in scandalum. Porro utrumque penitus deest.

° Nullum reperitur in tota antiquitate praedictae licentiae vestigium. Neque enim Patres hanc aliquando memorant, neque haeretici aut schismatici illam allegaverunt unquam, ut se contra Ecclesiam Romanam tuerentur, dicendo ipsis licitum esse, articulos fundamentales retinendo, semetipsos ab Ecclesia tunc existente separare.

2<sup>o</sup> Neque assignatur aliquod criterium, quo tuto et facile secernantur articuli fundamentales a non fundamentalibus. Quatuor equidem a Protestantibus proposita fuerunt, sed prorsus insufficientia.

1<sup>um</sup> criterium est, illud esse fundamentale quod clare continetur in Scripturis. At unusquisque privatas suas opiniones semper existimabit invenire in Scripturis clare expressas, ut probant innumerae Protestantium dissensiones. Insuper, dato tali criterio, jam inter articulos fundamentales reponendum erit canem Tobiae habuisse caudam, clarissimis verbis in textu sacro expressam; dum praesentia realia et Missae sacrificium erunt articuli non fundamentales.

2<sup>um</sup> criterium est, illud esse fundamentale quod cum religionis fundamento essentialiter connectitur. Sed nemo non videt ibi definiri idem per idem, seu declarari id esse fundamentale quod revera tale est.

3<sup>um</sup> criterium est, illud esse fundamentale quod communi consensu tenent omnes sectae christianae. Sed haec regula ad nihil inservit, quia prius judicandum esset, ope ejusdem, quae sint sectae vere



christianae. Aliunde, ubi nova secta efformatur novi alicujus dogmatis praedicatione, vel cessat eo ipso consensus communis, et tunc nullus erit error fundamentalis; vel non cessat, et tunc omnis nova haeresis erit circa articulum fundamentalem, siquidem omnis nova haeresis oritur consensui communi contradicendo.

*4<sup>um</sup> criterium* est, illud esse fundamentale quod tale judicatur ex gustu interno. At quid magis arbitrarium et obscurum concipi potest? Cur Protestantes, hunc gustum invocantes, tantopere inter se discordent? Ergo...

## II. Argumento auctoritatis positivo.

Afferitur enim auctoritas 1<sup>o</sup> Scripturae, 2<sup>o</sup> Patrum, 3<sup>o</sup> historiae.

### 1<sup>o</sup> Auctoritas Scripturae.

Christus mittens Apostolos ad praedicandum Evangelium, ait: *Qui non crediderit condemnabitur* (Marc., xvi, 17), seu: qui non obtemperaverit Apostolis munus suum praedicandi implentibus, erit extraviam salutis. Atqui munus apostolicae praedicationis usque ad consummationem saeculi exercendum, non restringitur ad solos articulos majoris momenti, sed extenditur ad totum Evangelium.

Unde B. Paulus, scribens ad Galatas, dicit anathema cuicumque ipsis evangelizaverit, *praeter id* quod evangelizaverat (Gal., i, 9), et addit (ibid., v, 2): *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Atqui Paulus non evangelizaverat Galatis solos articulos fundamentales; et speciatim, necessitas recipiendi circumcisionem non habetur ab ipsis Protestantibus veluti error fundamentalis.

### 2<sup>o</sup> Auctoritas Patrum.

Quorum testimonia ad quatuor classes referri possunt:

*Prima classis* est eorum qui asserunt cuicumque haereseos sectatores non esse Christianos, esse adversarios Christi, antichristos, et synagogam Satanae. Sic, v. g., S. Aug., enumeratis haeresibus octoginta octo (De haer., in fine), sic concludit: « Possunt... » aliae haereses, quae in hoc opere nostro commemoratae non sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam quisquis tenuerit, catholicus Christianus non erit. » S. Cyprianus (Ep. 69, ad Magnum): « Neque Dominus noster Jesus Christus, cum in Evangelio suo testaretur adversarios suos esse qui secum non essent, aliquando speciem haereseos designavit, sed omnes omnino haereticos... Beatus Joannes Apostolus nec ipse ullam haeresim aut schisma decrevit, sed universos qui de Ecclesia exiissent, antichristos appellavit... Unde apparet adversarios Domini antichristos omnes esse, quos constat a charitate atque ab unitate Ecclesiae catholicae recessisse. » S. Hieronymus (Dial. adv. Lucifer.): « Apertam animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanentem, quae ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quocumque alio nuncupari, utpote Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas, scio non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. »

*Secunda classis* est eorum qui, locutione familiari et usitata, Ecclesiam dicunt per orbem dispersam uno ore praedicare, docere, tradere, etc.; quod minime

verificatur de collectione sectarum ab invicem independentium, ut fatetur ipse Juriaeus.

*Tertia classis* est eorum qui extollunt potestatem illam, qua quis ab unitate Ecclesiae catholicae abscinditur. Nam in plurium sectarum collectione nulla datur huiusmodi potestas. Uniuscujusque sectae superior potest, equidem, a propria sua Ecclesia ejicere, minime vero ab omni unitate ecclesiastica, seu ab Ecclesia universali.

*Quarta classis* demum est eorum qui, ut supra vidimus, affirmant Romanum Pontificem esse catholicae unitatis centrum divinitus institutum, a quo quis se separans fit alienus a Christo.

3<sup>o</sup> *Auctoritas historiae.*

Neminem quippe fugit Ecclesiam quoslibet haereticos, etiam in fundamentalibus non errantes, uti Novatianos, Montanistas, Quartodecimanos anathematizasse; notum est etiam, haereticos nunquam se excusasse dicendo quaestionem moveri de non fundamentalibus, sed e contra, Ecclesiae ipsis contradicenti, vice sua, anathema dixisse, illamque veluti spuriam societatem traduxisse. Ergo 2<sup>o</sup> argumento auctoritatis positivo constat falsitas systematis Juriaei.

III. *Argumento rationis.*

Idem systema confutatur: 1<sup>o</sup> ex natura rei, 2<sup>o</sup> ex subversione cujuslibet unitatis.

1<sup>o</sup> *Ex natura rei.*

Si, absque salutis dispendio, quis adhaerere possit sectae in fundamentalibus non erranti, dicendum erit, vel nunquam satis certo constare de revelatione articuli non fundamentalis, vel, quamvis certo de illius veritate constaret, fidem ei detrectari posse quin ad-

mittatur grave peccatum. Jam vero utrumque repugnat. Prius quidem: quot enim non fundamentalia clare exprimuntur in Scripturis! De caetero, posito quod horumce articulorum revelatio sit semper incerta, sequeretur illarum manifestationum nullius esse utilitatis. Posterius est evidenter falsum: non enim minus Dei summa veracitas contemnitur, in denegando ei fidem quando revelat articulum minoris momenti, ac quando alium majoris momenti, ut patet.

2<sup>o</sup> *Ex subversione cujuslibet unitatis.*

Defectu regulae certae et obviae, et praesertim auctoritatis docentis, ratio individua uniuscujusque debet discernere, quinam sint articuli fundamentales, quinam non. At, hoc posito, impossibile est ut omnes concordent in eisdem articulis, tanquam fundamentalibus, admittendis. Patet, tum ex difficultate rei, tum exemplo Protestantium, inter se circa hos articulos perpetuo pugnantium: unde non pauci, Ecclesiae suae universalis sinum magis ac magis laxando, eo usque devenerunt, ut affirmarent sufficere ad salutem, si quis Christum veluti praestantissimum philosophum profiteretur; imo si solam ad *ideale* aspirationem retineret. Ita D. Buisson, fundator *Ecclesiae liberalis*, in quodam manifesto, anno 1869, a pluribus non infimae notae ministris apud nos probato, et in quo haec leguntur: « S'il se trouvait même des hommes qui  
« prétendissent être athées, et qui néanmoins prissent,  
« comme les autres, le sérieux engagement de participer de toutes leurs forces à cet effort moral que  
« supposent les mots: *culte du bien* ou *amour de l'humanité*, l'Eglise libérale devrait les recevoir au

« même rang que tous leurs frères, non comme athées,  
« mais comme hommes. »

Hinc patet latissimam aperiri viam Rationalismo ac Indifferentismo.

54. Dico 3<sup>o</sup>: *Impossibile est veram Ecclesiam coalescere, ut Puseystae dicunt, ex variis sectis christianis quae auctoritatem doctrinalem retinuerunt.*

Aperte sequitur ex dictis; probatur tamen argumento speciali, sic: Posito, ut dicunt Puseystae, Ecclesiam constare quatuor communionibus ab invicem divisis, Romana, Graeca, Russica et Anglicana, jam Ecclesia, quamvis sit societas *de jure*, *de facto* tamen desiit esse societas. Atqui hoc prorsus repugnat.

*Prob. maj.* Ecclesia sub illo conceptu, esset quidem societas *de jure*, cum in ea daretur auctoritas suprema et infallibilis, quod sane sufficit ad societatem *de jure* constituendam. *De facto* tamen esse societas desiit, a tempore quo extra communionem Romanam alia facta est. Ad societatem enim *de facto*, requiritur auctoritas suprema exercibilis super omnia membra eidem subdita. Sed in Ecclesia universali, quae ex quatuor praeaudatis communionibus constat, suprema auctoritas non potest exerceri; quia, cum resideat in variarum communionum collectione, ipsius exercitium fieri debet de illarum omnium consensu, qui consensus qua ratione efficaciter obtinebitur, siquidem nullus sit in singulis communionibus jus habens alias cogendi ut in concilium convenient? Ergo Ecclesia jam non est societas *de facto*.

*Prob. min.*, seu repugnat Ecclesiam jam desiisse esse societatem *de facto*.

1<sup>o</sup> *Repugnat sapientiae Christi.* Quomodo enim Christus, instituendo societatem, quam usque ad mundi finem durare ac vivere voluit, non praecavisset ne suprema auctoritas apud eam fieret inexercibilis; et quomodo passus fuisset apud illam reperiri talis impeditionis et impotentiae causas? Sane, v. g. providendo ut essent pastores et doctores, intendebat, ex B. Paulo, ut per magisterium perpetuum ab errorum tenebris et doctrinarum fluctuationibus praeservaremur, et sic in unitate fidei firmaremur. At, si nihil amplius infallibiliter doceri potest, deficiente quatuor communionum concentu, jam circumferemur omni vento doctrinae, moxque peribit unitas fidei.

2<sup>o</sup> *Repugnat naturae rerum.* Est de omni societatis essentia ut, in casu dissensus, pars superior, seu, princeps in monarchia, majoritas optimatum in aristocratia, majoritasve civium in democratia, habeat auctoritatem per se sufficientem ut agat, et decernat absque inferioris partis consensu, et imo ut hanc partem in resistentia contumacem sua auctoritate spoliaret, et etiam de suo sinu ejiciat, ubi id judicaverit necessarium. Ergo pariter in Ecclesia Christi, recedentibus communionibus Graeca, Russica et Anglicana, communio Romana, quae saltem praecipuam et multo majorem partem constituebat, debuit auctoritatem plenam retinere, et jus habuit caeteras exauctorandi, et de sinu suo ejiciendi. Ergo.

Haec nostra conclusio, cum suis probationibus, valet contra illos schismaticos, qui Ecclesiam coalescere volunt ex communionibus Romana et Graeca.

155. Dico 4<sup>o</sup>: *Nulla unquam ratione licitum esse*

*potuit se separare ab Ecclesia, quam Christus fundaverat.*

Sequitur evidenter ex dictis; probatur tamen breviter sic:

Est de praecepto, a quo nullus unquam dispensari potest, profiteri veram Christi religionem, ac proinde adhaerere Ecclesiae, extra quam non datur vera Christi religio. Ergo ea tantum ratione Ecclesiam deserere foret licitum, quia desiisset esse vera Christi Ecclesia, seu defecisset. Atqui, ex probatis, vera Ecclesia nunquam deficiet.

Insuper, cum defectus in iis quae sunt institutionis divinae sit impossibilis, ratio deserendi Ecclesiam non esset nisi defectus in iis quae non sunt institutionis divinae. At si hujusmodi defectus acciderent in Ecclesia divinitus fundata, a fortiori orirentur in aliis societatibus per homines institutis, proindeque divisiones in infinitum multiplicarentur.

Hinc factum est ut Patres passim dixerint: tam illicitum esse separari ab Ecclesia per schisma quam per haeresim, ut S. Joannes Chrysost. (Homil. 2, in Ep. ad Eph.); ita necessarium esse externam Ecclesiae unitatem, sicut necessaria est charitas, ut S. Aug. (Serm. 88, n. 19); schismatis perniciem esse omni alio malo, cui per illud quis mederi vellet, pejorem, ut S. Irenaeus (Lib. 4, c. 33). Ergo.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur, n. 151.

156. *Ad 1.* Catholici habent, aliquo sensu, suos articulos non fundamentales, seu, ab Ecclesia nondum definitos, et circa quos dissentire permittitur. At haec distinctio ab ea quam praetendit Juriaeus tripliciter

differt: 1° Catholicis praesto adest criterium obvium et tutum discernendi articulos extra controversiam ponendos, nempe, Ecclesiae magisterium; Protestantes nullum certum et clarum proferunt. 2° Numerus articulorum fundamentalium, apud Catholicos, semper crescere potest; quia jus habet Ecclesia definiendi omnes veritates revelatas; sed hi articuli, juxta Protestantes, a Christo ipso sunt determinati et definiti. 3° Catholici, quamvis libere inter se disputent circa articulos non fundamentales, servant tamen inter se vincula externa communionis, vi cujus eidem centro adhaerent, eidem capiti subjiciuntur, et unicam efformant societatem, uno communi ore loquentem, una communi actione operantem: et insuper omnes parati sunt, in suis controversiis, sententiae ab Ecclesia latae, si tandem proferatur, toto corde assentiri. At nihil tale reperitur in systemate Juriaei.

157. *Ad 2.* Asserit quidem Paulus, in textu allato, foenum, lignum et stipulam non obstare saluti. At per foenum, lignum et stipulam designari errores in articulis non fundamentalibus, gratuito supponitur; nemo enim ante Juriaeum talem excogitavit sensum, quem, de caetero, excludunt alia loca Scripturae superius allegata. Communius autem doctores opinantur, in textu B. Pauli, sermonem esse de variis, sive praedicatorum sensibus, sive auditorum studiis, spiritui evangelico non satis conformibus.

158. *Ad 3.* Fides in Christum, quae ad salutem exigitur, ea est quae integram ejus doctrinam suscipimus. Si quis enim vel unam veritatem ab eo revelatam, quamvis minoris momenti, respuit, jam ejus veracitatem pro nihilo habet.

159. *Ad 4.* Facta quae allegantur, vel non sunt certa, vel non probant intentum. Sic, 1° juxta veteres auctores, probabile est Victorem papam non tulisse, sed minatum fuisse solummodo excommunicationem contra celebrantes Pascha die indebito. At si revera excommunicati sint, revera fuerunt extra Ecclesiam, donec, ad meliora reversi, veniam obtinuerint. 2° Graves auctores, ex gravissimis rationum momentis, ipsam contentionem inter S. Cyprianum et S. Stephanum papam extitisse negant, et contendunt a Donatistis conficta fuisse praecipua quaestionis acta, quibus auctores communiter decepti sunt; quam fraudem ipse S. Aug. suspicatus est. Sed data contentiois veritate historica, nihil sequitur contra necessitatem unitatis in fide et regimine. Etenim, S. Stephanus simpliciter proposuit veram Ecclesiae doctrinam, minime vero dissidentes excommunicavit, nec definitivam sententiam tulit, permittens ut praxis iterandi baptismi haereticorum ad tempus subsisteret. S. Cyprianus autem credidit, per errorem, quaestionem esse, non fidei sed disciplinae. Fuit ergo reus inobedientiae, quam culpam martyrio abluit, non vero fuit proprie haereticus aut schismaticus.

160. *Ad 5.* Durante magno schismate Occidentis, unitas Ecclesiae non periit. Tunc enim perit unitas regni alicujus, quando scinditur in plures societates ab invicem independentes, habentes singulas suum proprium caput, aliis societatibus non praefectum, quamvis conetur illas sibi subjicere. At ubi uniuscujusque factionis dux existimat se esse legitimum omnium aliarum principem, licet ab illis non agnoscatur, tunc regnum remanet unum, et adest tantummodo litis circa sub-

jectum supremae potestatis. Porro, talis fuit Ecclesiae Romanae conditio, durante magno schismate Occidentis.

QUAESTIO IV<sup>a</sup>

Utrum Ecclesia Romana hanc habeat Unitatem,  
ex qua ejusdem divinitas jure inferatur.

(Vide Perriot : *de Eccl.*, p. 100... 115.)

161. *Resp.* Videri potest quod non.

Etenim, 1° unitas Ecclesiae essentialis supponit principium, quo omnes fideles in iisdem dogmatibus credendis conveniant, et eidem supremo capiti subjiciantur. Sed illud principium non videtur existere apud Ecclesiam Romanam, saltem practice. Ad hoc, siquidem, necessarium foret, ut omnes Catholici consentirent circa subjectum infallibilitatis, necnon supremae potestatis; item, circa condiciones requisitas ut magisterium gerens infallibiliter definiat. Atqui, circa praedicta valde disputarunt Catholici, praesertim ante concilium Vaticanum; quando alii praefatum subjectum reponerent in solo Pontifice Romano, alii in corpore episcopali; imo, nec hodie omnis evanuit controversia circa condiciones dogmaticae definitionis.

2° Praeterea, innumerae semper fuerunt, apud Ecclesiam Romanam, disputationes circa veritates de fide credendas; v. g. inter Thomistas et Molinistas; item, inter eos qui principia socialia aetatis modernae habent veluti errores damnatos, et eos qui eadem ut vera et salutifera propugnant.

3° Praeterea, in sinu ejusdem Ecclesiae Romanae

degunt multi qui, nedum regimen Pastorum ac praesertim Papae agnoscant, ejus perniciem omni opere et conatu procurare satagunt.

**162. Sed contra dico 1° :** *Unitas fidei et regiminis, quatenus verae Ecclesiae essentialis est, indirecte et per accidens demonstrat Ecclesiae Romanae divinitatem.*

Evidentissimum est, extra Ecclesiam Romanam, in nulla secta christiana reperiri unitatem fidei et regiminis verae Ecclesiae essentialem. Est enim haec unitas, omnium fidelium conspiratio in credendis eisdem articulis a magisterio infallibili propositis, et in agnoscendo eodem Pastore supremo B. Petri successore. Atqui, nec apud Protestantes, nec apud Graecos schismaticos, nec apud Anglicanos, talis unitas invenitur. Protestantes nullam agnoscunt auctoritatem docentem, et huic examen privatum substituunt, quod principium est omnis unitatis destructivum. Exinde factum est, apud eos semper defuisse unitatem facti in fide; auctores siquidem reformationis, neque secum, neque inter se concordant, et ex Protestantismi sinu innumerae pullulaverunt et quotidie pullulant sectae. Apud Graecos et Anglicanos, admittitur quidem auctoritas infallibiliter docens, sed quae, ut diximus, est inexercibilis ac practice nulla. Insuper, nec Protestantes, nec Graeci, nec Anglicani, ullum profitentur esse supremum Pastorem jure divino universae Ecclesiae praepositum.

Non sic in Ecclesia Romana. Omnes quippe Catholici toto corde adhaerent omnibus articulis ab Ecclesia docente propositis, cum credant hanc gaudere infallibili magisterio; omnes eidem supremo capiti, Papae

videlicet, subjiuntur. Ideo quicumque insurgunt aut contra magisterium infallibile, aut contra regimen Romani Pontificis, eo ipso fiunt extra Ecclesiam, quae idcirco indesinenter Una perseverat. Ergo, vel periit Ecclesia Christi, vel hanc apud solos Catholicos existere necessarium est.

**163. Dico 2° :** *Unitas fidei et regiminis, quatenus est soli verae Ecclesiae propria, directe et per se demonstrat Ecclesiae Romanae divinitatem.*

Etenim, magisterium Ecclesiae habitum tanquam divinitus infallibile, et primatus Pontificis Romani habiti velut, jure divino, B. Petri successoris, a novemdecim saeculis in Romana Ecclesia praevalet, et quidem tam efficaciter, ut in societate universali ac numerosissima, omnes in unitate retinuerit et retineat. Atqui, tale principium non potest esse nisi divinum, seu verae Ecclesiae exclusive proprium. Nam, in falsa Ecclesia, rectores sibi privilegium infallibilitatis vindicantes, illud nullo titulo claro et certo corroborare possent; et quia talis autoritas sit valde extraordinaria, necnon naturae corruptae et superbae odiosa, moraliter videtur impossibile quod in societate universali ac numerosissima acceptetur, aut saltem satis praevaleret, ut per multa saecula omnes contineat in unitate fidei. Cum enim absque ullo jure, et ex criminosa machinatione tale magisterium introductum fuisset, unicuique licitum ac primum erit huic resistere. Idem dicendum de primatu spurio super universas mundi ecclesias: nunquam ita perseveranter a tot gentibus agnosceretur, si de ejus divina origine non constaret certo. Unitas igitur fidei et regiminis est nota positiva Ecclesiae Romanae divinitatem demonstrans.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur, n. 161.

164. *Ad 1.* De facto, per novemdecim saecula, unitas fidei et regiminis, non obstantibus quibuscumque naturalibus causis, servata est inconcussa. Ergo adest in Ecclesia Romana principium hujus unitatis efficaciter productivum. Et revera, etiam ante concilium Vaticanum, fatebantur omnes supremam magisterii et regiminis potestatem residere in capite, saltem cum episcoporum collegio. Quinimo, quia omni tempore communiter praevaluerat sententia Ultramontanorum de Papae infallibilitate ac auctoritate numeris omnibus absoluta, hinc, in praxi, principium illud unitatis effectum suum constanter obtinuit. Demum, controversia circa conditiones definitionis dogmaticae, spectat maturitatem examinis quod nonnulli praerequirunt. At nihil etiam refert; quia qui hanc conditionem contendunt esse essentialem, addunt illam nunquam defuisse nec defuturam; eadem quippe assistentia divina ab errore praeservans, impellit efficaciter ad media adhibenda veritati detegendae necessaria. Quod si tamen aliquando legitime dubitetur de facto definitionis, definitio censetur practice nulla.

165. *Ad 2.* Contentio circa quaestiones nondum ab Ecclesia definitas, uti inter Thomistas et Molinistas, nullum unitati fidei detrimentum affert, modo adsit sincera dispositio supremi iudicis sententiam, si aliquando detur, accipiendi. Idem dicendum, ubi controversia versatur circa sententias quas, alii volunt jam fuisse damnatas, alii non. Nam qui parati sunt stare definitioni sufficienter cognitae, jam non errant pertinaciter, et unitatem servant.

166. *Ad 3.* Hostes fidei aut regiminis ecclesiastici, si sint manifesti, extra Ecclesiae sinum versantur. Si sint occulti, exteriorem unitatis speciem retinent, et ideo visibilia communionis vincula non frangentes, corporis Ecclesiae sunt membra, juxta moralem hominum aestimationem, quamvis sint membra mortua, ut infra explicabitur, agendo de membris Ecclesiae.

QUAESTIO V<sup>a</sup>

Quid, juxta Catholicos, per Apostolicitatem Ecclesiae sit intelligendum?

(Vide Mazella : *de Relig. et Eccl.*, n. 714... 727. — Vincent : *de Ecc.*, n. 61.)

167. *Resp.* Apostolicitas, juxta Catholicos, ea est proprietas vi cujus Ecclesia hic et nunc existens est *moraliter* identica cum Ecclesia primitiva Apostolorum.

Dixi : *moraliter identica*; non enim agitur de identitate *materiali*, siquidem generationes sibi succedant; sed de identitate *moralis*, qua Ecclesia indesinenter servat quiddam ex institutione divina accepit, nempe : eandem doctrinam, eandem constitutionem, easdem dotes, eadem sacramenta, eadem praecepta positiva divina, etc.

Triplici ratione Ecclesia dicitur Apostolica : originis, scilicet, doctrinae et successionis.

Apostolicitas *originis*, seu *societatis*, ea est quae competit Ecclesiae, prout est coetus universaliter complectens pastores et subditos, quem coetum constat non post Apostolos in mundo introductum, sed per Apostolos et in Apostolis coepisse, et ideo cum ipsis originis habitudinem retinere.

Apostolicitas *doctrinae* competit Ecclesiae per hoc quod non aliam profiteatur doctrinam ac eam quam Apostoli praedicaverunt.

Apostolicitas *successionis* Ecclesiae competit, prout in se continet pastores et rectores qui sunt legitimi successores Apostolorum.

Apostolica successio definitur : *Publica, legitima, perennis, seu nunquam interrupta personarum, in Apostolorum locum, ad regendam et pascendam Ecclesiam suffectio.*

Dicitur 1° *suffectio*, id est, substitutio, per quam pastores sunt Apostolorum non delegati ac vicarii, sed locum eorum tenentes, idemque gerentes ministerium pascendi et regendi Ecclesiam, eorumque personas in hoc munere quasi continuant.

2° *Publica*, quia ad exercitium auctoritatis publicae, necessarium est cunctis pateferi hos et non alios apostolico munere successisse.

3° *Legitima*, ita ut, sive ex parte substituentis, sive ex parte substituti, sive ex parte modi quo substituitur, nihil sit quod, substitutionem irritet.

4° *Perennis et non interrupta*, seu quae, nec *materialiter*, nec *formaliter* desinat unquam. Desineret *materialiter*, si de medio tollerentur omnes personae substitutionis accipiendae capaces. Desineret *formaliter*, si jam nullus esset in mundo pastor legitimus cuius auctoritas alteri transmitteretur.

Ut autem persona accipiendae substitutionis apta revera substituatur, necessaria est *missio* quae est : *actus superioris aliquem ad officium fideles docendi ac regendi in ordine spirituali legitime assumentis.*

Ille superior, ubi agitur de B. Petri successore,

alius esse non potest praeter Christum ; siquidem supremus Pontifex non habeat in terra superiorem. A Christo igitur, vi missionis B. Petro in perpetuum collatae, accipit officium docendi ac regendi universam Ecclesiam, eo ipso quod in locum Papae defuncti electus fuerit, juxta regulas usu vel praedecessorum decretis approbatas.

Quoties vero agitur de alio pastore, superior a quo assumitur, est vel ipse Papa, vel alius, de ejus consensu ; et idcirco, omnis missio legitima a Romano Pontifice oritur, et aequivalenter ab Apostolo Petro, cujus personam gerit et continuat Papa.

Diximus missionem esse actum superioris aliquem *ad officium assumentis* ; per quas voces haud intendimus definire, utrum auctoritas ecclesiastica a mittente ipso semper communicetur, an potius a Deo, posita superioris electione : de quo adest, pro jurisdictione episcopali, controversia quam infra perpendemus.

Ex dictis sequitur, ad hoc quod quis possideat missionem Apostolicam, requiri et sufficere ut adhaereat centro unitatis a Christo instituto, nempe Romano Pontifici. Requiritur quidem : quia secus esset extra Ecclesiam, ac proinde, nulla potiretur auctoritate ecclesiastica. Sufficit etiam : quia, cum in eo centro plenitudo resideat auctoritatis Apostolicae, potest hanc cuicumque apto dare, et, si opus sit, supplere omnes defectus.



QUAESTIO VI<sup>a</sup>

Utrum Apostolicitas, qualis intelligitur a Catholicis, sit verae Ecclesiae nota?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 728... 737. — Vincent, *de Eccl.*, n. 63, 64.)

168. Resp. Videri potest quod non.

Etenim, 1<sup>o</sup> ad Apostolicitatem sufficit doctrinam Apostolorum tenere. Atqui doctrinam esse apostolicam, noscitur ex Apostolorum et veterum scriptis; nec ad id confert successio episcoporum: siquidem episcopis non infundatur antecessorum doctrina, ex eo tantum quod ipsis in sede succedant. Ita Protestantes, quorum plerique, ut vidimus, coarctant necessitatem Apostolicitatis doctrinalis ad articulos fundamentales.

2<sup>o</sup> Praeterea, non est necessarium ut missio ab aliquo episcopo obtineatur. In omni enim societate legitime constituta adest, jure naturali, facultas in universo coetu residens, assumendi aliquos ad munia publica exercenda. Ita etiam multi Protestantes.

3<sup>o</sup> Praeterea, etiamsi aliunde quam a populo christiano missio legitima dimanaret, non ideo deberet esse ad sensum Catholicorum Apostolica. Nihil enim vetat eam profluere immediate a Christo, vi missionis primis Apostolis collatae. Ita Graeci schismatici, volentes Patriarchas legitime electos, immediate a Christo missionem, seu, canonicam institutionem accipere.

4<sup>o</sup> Praeterea, est et alius modus omnino legitimus, nempe: missionis extraordinariae, qua quis a Deo

immediate eligeretur ad munia apostolica obeunda; ubi, videlicet, reformandae ac regendae Ecclesiae pastores ordinarii non sufficerent; aliunde, nec repugnat aliquem privatum occulto divino motu se a Deo assumptum sentire, ut factum est in Lutero et Calvino. Quinimo, cum regiminis ecclesiastici institutio Dei juribus non praejudicet, non videtur impossibile, etiam extra casum reformationis necessariae, aliquem ab eo excitari ad apostolatam, et sic explicatur vocatio B. Pauli. Ita passim Reformatores.

169. Dico 1<sup>o</sup>: *Quamvis Apostolicitas doctrinae sit Ecclesiae necessaria, ac esse possit illius nota negativa, de se tamen non sufficit ad eam certo demonstrandam.*

1<sup>o</sup> Est verae Ecclesiae necessaria Apostolicitas doctrinae, quoad omnes articulos revelatos, et sine distinctione inter fundamentales et non fundamentales. Nam, ex probatis, Ecclesiae verae doctrina alia esse nequit ac ea quam Christus praedicavit aut inspiravit. At talis doctrina est necessario Apostolica, siquidem per Apostolos propagata est.

2<sup>o</sup> Eadem doctrinae Apostolicitas esse potest nota Ecclesiae negativa. Etenim, ejus absentia est certum falsitatis argumentum, ut patet; ejus item absentia potest esse obvia et cognitu facilis; quia aliquando clare et facile constat aliquam societatem, in tali vel tali puncto evidenter revelato, a doctrina Apostolorum deviasse; demum hic Apostolicitatis defectus potest esse notior falsitate sectae Apostolicitate carentis; quia, ut percipiatur, non est semper necessarium supponere talem sectam esse falsam.

3<sup>o</sup> Eadem doctrinae Apostolicitas non semper

sufficit ad veram Ecclesiam certo discernendam. Ratio patet: quia si daretur, ut absolute non repugnat, secta mere schismatica, non careret Apostolice doctrinae. Non est igitur Apostolice doctrinae *ex se* verae Ecclesiae exclusive propria. Unde si aliquando inservit ad veram Ecclesiam demonstrandam, id non fit nisi indirecte et per accidens, in quantum clare ostenditur ejus defectus in omnibus societatibus christianis, una excepta.

170. Dico 2<sup>o</sup>: *Apostolicitas originis est verae Ecclesiae necessaria, ac ejusdem nota positiva, includens in se Apostolice doctrinae et successionis.*

1<sup>o</sup> Est verae Ecclesiae necessaria; quod facile probatur:

a) Ex jam stabilitis. Necesse est enim, juxta superius dicta, ut omni tempore perseveret Ecclesia quam Christus instituit. At Ecclesia illa est evidenter Apostolica, cum in Apostolis et per Apostolos a Christo instituta fuerit.

b) Ex sensu naturali vocis *Apostolica*, qua Ecclesia designatur in Symbolo, et quae evidenter significat veram Ecclesiam ab Apostolis ortam et eductam esse.

c) Ex Patribus, qui passim confundebant haereticos ex hac praepostera origine, qua eorum sectae a tempore Apostolorum introductae sunt in mundo. Sufficiat S. Hieronymus (Dial. cont. Lucif., in fine): « Ex hoc ipso quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus praenuntiavit, nempe seductores. »

2<sup>o</sup> *Apostolicitas originis est Ecclesiae nota positiva.*

Nam a) est verae Ecclesiae exclusive propria, siquidem Ecclesia Apostolica sit unica.

b) Est cognitu facilis; quia talem Ecclesiam ab Apostolis ducere originem, non operose demonstratur, tum monumentis historicis ostendentibus varias hujus Ecclesiae generationes sibi absque interruptione a tempore Apostolorum succedentes, tum absentia documentorum praeposteram illius introductionem attestantium.

c) Est notior vera Ecclesia; quia ad praefatam demonstrationem faciendam, necessarium non est jam cognoscere ubi sit vera Ecclesia.

3<sup>o</sup> *Apostolicitas originis in se includit Apostolice doctrinae et successionis.*

Nam, eo ipso quod per eam constet talem Ecclesiam esse veram, cum vera Ecclesia privari nequeat Apostolice doctrinae, quam probavimus esse necessariam, nec Apostolice successionis, quae modo probabitur verae Ecclesiae essentialis, jam certo concluditur utramque Apostolice doctrinae et successionis, reperiri in societate quae gaudet Apostolice originis.

171. Dico 3<sup>o</sup>: *Apostolicitas successionis est verae Ecclesiae necessaria, ac ejusdem nota positiva, secum trahens Apostolice doctrinae et originis.*

1<sup>o</sup> Est verae Ecclesiae necessaria.

a) Sequitur evidenter ex supra dictis circa primatum perpetuum B. Petri. Data est enim Petro et ejus legitimis successoribus in perpetuum, universalis et suprema auctoritas regendi omnes ecclesias. Atqui haec suprema auctoritas duo includit: 1<sup>o</sup> jus consti-

tuendi pastores in universa Ecclesia, quia id Ecclesiae bono regimini summopere necessarium est; 2<sup>o</sup> impossibilitatem exercendi in Ecclesia rectoris ministerium, nisi adsit missio immediate vel mediate à Petri successore data; si quis enim absque huiusmodi missione posset rectoris officium assumere, jam fieret, sub eo respectu, ab auctoritate Romani Pontificis independens, et ideo Pontifex suprema auctoritate non potiretur, et mutaretur essentialiter Ecclesiae constitutio.

b) Constat traditione. Nam Patres, ex defectu missionis, haereticos confutare solent « Novatianus, » ait S. Cypr. (Ep. ad Mag.), « in Ecclesia non est, nec episcopus computari potest qui, evangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ortus est. » S. Aug. sic contra Donatistas (Lib. 3, c. 2) : « Unde Donatus apparuit? de qua terra genuit? de quo mari emersit? de quo coelo cecidit? »

2<sup>o</sup> *Apostolicitas successionis est Ecclesiae nota positiva.*

a) Est verae Ecclesiae exclusive propria. Ecclesia enim hac Apostolicitate gaudens, est coetus Christianorum cui praeest legitimus Petri successor, et in quo praesunt, sub ejus auctoritate, pastores legitime ab eo constituti. Atqui talis coetus est ipsissima vera Ecclesia.

b) Eadem Apostolicitas est facilis cognitu. Quid enim facilius, quam discernere ubinam praesideat legitimus successor B. Petri? Sane ab initio cunctis Christianis notissimum esse debuit, quinam inter episcopos haereditaret B. Petri primatum, si-

quidem omnes ab initio et semper clare et certo cognoscere indigebant, ubinam esset caput a quo in spiritualibus regerentur.

c) Eadem Apostolicitas est vera Ecclesia notior. Nam, ut percipiatur talem Ecclesiam habere B. Petri successorem, necessarium non est prius cognoscere hanc Ecclesiam esse veram.

3<sup>o</sup> *Apostolicitas successionis secum fert Apostolicitatem doctrinae et originis.*

Sequitur evidenter ex eo quod sit Ecclesiae nota positiva; ubi enim adest nota positiva Ecclesiae, nihil deesse potest eorum quae sunt verae Ecclesiae necessaria.

De caetero, Apostolica successio supponit Ecclesiam edoceri ab illo coetu pastorum qui, sub capite Petro et cum eo, exercent infallibile magisterium; supponit ergo Apostolicitatem doctrinae. Idem dic de Apostolicitate originis; quia, ut dictum est, societas illa, cui praeest successor B. Petri, est ipsamet quam Christus in Apostolis et per Apostolos fundavit et propagavit.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 168.

172. *Ad 1.* Ecclesia non est solum congressus scientificus, sed societas divinitus instituta ad homines docendos, regendos et sanctificandos. Ergo, non tantum doctrinam Apostolorum haereditare debet, sed etiam regimen. Insuper, ad doctrinam Apostolorum servandam ac tuto posteris tradendam, Christus instituit corpus pastorum cum magisterio infallibili. Singuli autem episcopi, licet non gaudeant infallibilitate, et in doctrina deficere possunt, integrant tamen cum aliis et sub capite visibili, corpus infallibiliter docens.

173. *Ad 2.* Quod asseritur, spectat societates juris naturalis. At ecclesia est societas juris divini, cujus constitutio pendet a voluntate divina positiva.

174. *Ad 3.* Non agitur de possibili, sed de facto. Atqui, de facto, instituendo primatum, Christus voluit ut omnis legitima missio in Ecclesia a successore B. Petri immediate vel mediate oriretur.

175. *Ad 4.* Christus Apostolis, usque ad consummationem saeculorum docentibus ac regentibus, perpetuam ac quotidianam assistentiam promisit. Ergo nunquam necessarium erit eorum impotentiae per alios extraordinarie missos subveniri. Quod si Deo placeat aliquem ad opus ministerii praeter leges consuetas eligere, dabit signa suae electionis indubia, et providebit ut Romanus Pontifex assentiat, secus mutaretur essentialis Ecclesiae constitutio, et Christus sibi contradiceret. Exemplum B. Pauli nihil refert; siquidem et ipse Apostolicam ordinationem custodierit, nonnisi dependenter ab Apostolis munus suum evangelicum adimplendo, et ad eorum tribunal quaestionem de legalibus observantiis deferendo.

QUAESTIO VII<sup>a</sup>

Utrum Ecclesia Romana hanc habeat Apostolicitatem quae divinam ejus institutionem probet?

176. *Resp.* Videri potest quod non.

Etenim, 1<sup>o</sup> novae interdum eduntur in Ecclesia Romana definitiones fidei. Sed nova definitio infert novum dogma, et dogma novum non est Apostolicum.

2<sup>o</sup> Praeterea, incerta est successio Pontificum in Romana sede; siquidem in designandis primis illius

Ecclesiae Pontificibus, auctores etiam antiquissimi non concordent.

3<sup>o</sup> Praeterea, vix credi potest malos et male intrusos Pontifices saeculi decimi, inter quos una mulier computatur, fuisse B. Petri successores.

4<sup>o</sup> Praeterea, tempore saltem magni schismatis Occidentis, ubi duo vel tres simul fuerunt Pontifices maximi, certe, in ea parte quae falso Papae obediebat, nulla fuit Apostolicitas, et in altera parte, dubia remansit.

5<sup>o</sup> Praeterea, Ecclesiae Ruthenae, Nestorianae, Eutychianae, Anglicanae, exhibere queunt suorum episcoporum successionem, a tempore quo legitime fundatae sunt, non intermissam. Ergo eodem titulo dici possunt apostolicae ac Ecclesia Romana.

177. *Sed contra dico 1<sup>o</sup> :* *Ecclesia Romana ideo dicenda est divina, quod sola gaudet Apostolicitate doctrinae.*

Prob. breviter : Si conferantur inter se praecipua doctrinae capita, in quibus variae sectae ab Ecclesia Romana dissentiunt, documentis certis ostenditur haec doctrinae capita, apud alias sectas, fuisse post Apostolos introducta, assignando, scilicet, harumque innovationum doctrinalium auctores, tempus, initia, circumstantias et progressus; dum nihil tale ostendi potest de doctrinae capitibus quae Ecclesia Romana tenet. Ergo...

178. *Dico 2<sup>o</sup> :* *Romana Ecclesia divina est, non tantum quia habet Apostolicitatem originis, sed etiam quia illi, et quidem soli, competit Apostolicitas successionis.*

Argumentum ex Apostolicitate originis jam evolvi-

mus n. 85; nunc specialiter agendum de Apostolicitate successionis.

1<sup>o</sup> *Apostolicitas successionis competit Ecclesiae Romanae.*

a) *Constat ratione generali.*

Si enim corpus episcopale Romanum non est Apostolicum, ergo a tempore Apostolorum existere incoepit, vel per separationem a legitimis pastoribus, vel per intrusionem contra legitimos pastores. Atqui illud probatur falsum. Nam, cum corpus illud episcopale, membrorum suorum et numero et splendore sit maxime conspicuum, impossibile est praefatam defecationem aut intrusionem non reliquisse clarissima in praeteritis aetatibus sui vestigia, ex quibus tanti facinoris auctores, tempus et circumstantiae assignarentur; quod tamen nemo praestitit unquam.

b) *Constat ratione speciali, ex Romani Pontificis Apostolicitate.* Singuli enim Ecclesiae Romanae antistites suam habent missionem a Romano Pontifice, et cum eo communionem servant; ergo auctoritas eorum eodem jure est Apostolica quo auctoritas Romani Pontificis. Sed jam superabundanter probavimus Romanum Pontificem esse Apostolicum, seu, legitimum B. Petri successorem. Argumentis allatis addere juvat, in variis Romanorum Pontificum catalogis, sive qui servantur apud Ecclesiam Romanam, sive qui leguntur passim, primum ordine invariabiliter poni Petrum Apostolum. Hinc factum est, ut sedes Romana vocetur generaliter sedes et cathedra Petri, et invaluerit haec locutio: Petrus loquitur, regit et vivit in Pontifice Romano. Ergo...

2<sup>o</sup> *Apostolicitas successionis competit Ecclesiae*

*Romanae soli.* Sequitur evidenter ex dictis, cum haec sit nota soli verae Ecclesiae propria; sed aliunde probatur:

1<sup>o</sup> Quando aliae sectae efformatae sunt, jam diu florebat Ecclesia Romana, habens in Pontifice Romano suum proprium communionis centrum. Vel autem haec Ecclesia Romana tunc erat Apostolica, vel non. Si prius: huic novatores adhaerere debuissent, et ab ea successionem Apostolicam accipere, quod non praestiterunt. Si posterius: cum vera Ecclesia sit indefectibilis et perpetua, debuissent illam inquirere ut ipsi incorporarentur, ejusque Apostolicitatis fierent participes; at nec illud peregerunt; sed in novas societates coadunati sunt, et a semetipsis traxerunt originem. Carent igitur Apostolicitate successionis.

2<sup>o</sup> Nulla est, ut vidimus, Apostolica missio nisi a successore B. Petri mutuata. Atqui, variae sectae christianae, extra Ecclesiam Romanam, nolunt agnoscere aliquem B. Petri successorem, qui sit fons omnis legitimae missionis. Ergo...

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 176.

179. *Ad 1.* Nova definitio dogmatica nihil aliud est quam authentica et auctoritativa declaratio de alicujus doctrinae Apostolicitate, ita ut jam nulla circa hanc moveri possit controversia. Ergo hac definitione non aufertur, sed adstruitur potius Apostolicitas doctrinalis.

180. *Ad 2.* Controversiae de primis Ecclesiae Romanae Pontificibus, non versantur circa successionem ipsum, sed circa ordinem successionis, aut circa aliquorum distinctionem, v. g. an Cletus eadem sit persona ac Anacletus.

181. *Ad 3.* Petri dignitas etiam in indigno haerede non deficit. De iis autem quae adversus summōs Pontifices decimi et undecimi saeculi narrata sunt, alia tanquam stolidae fabulae validissimis argumentis explosa sunt, ut ea quae de Joanna papissa ferebantur, alia valde dubia permanent, ut iudicium Papae Formosi, etc.

182. *Ad 4.* Durante magno schismate Occidentis, non periit Apostolicitas successionis in Romana Ecclesia. Etenim, unus erat inter contendentes legitimus; non deerat ergo in Ecclesia caput Apostolicum. Ab illo autem capite defluebat omnis missio aliorum pastorum cujuscumque obedientiae. Nam, ex una parte, omnes intentione praedominante ab eo solo volebant dependere, qui erat coram Deo valide electus; ex altera parte, singuli Pontifices, obedientiae sibi non adhaerentis fideles habebant tanquam pia Ecclesiae membra, et non tanquam schismaticos. Ergo a vero Papa, tanquam a capite Apostolico, dimanavit omnis missio ecclesiastica. Aliunde, omnes tenent titulum coloratum cum errore communi conjunctum ad jurisdictionis adeptionem sufficere; quae utraque conditio tunc aderat. Nec obstant excommunicationes quibus Pontifices aemuli sese mutuo insectabantur; erant enim prorsus invalidae, quia in ferente desiderabatur certa potestas, et in excommunicando non erat peccatum externum certo mortale.

183. *Ad 5.* Parum refert successio materialis, si absit formalis, quae non invenitur extra communionem cum successore B. Petri.

QUAESTIO VIII<sup>a</sup>

Utrum et qualis Catholicitas sit verae Ecclesiae nota?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 713. — Perriot : *de Eccl.*, p. 86... 95.)

184. *Resp.* Praenotandum est quid per Catholicitatem intelligamus. Catholicitas idem sonat ac *universalitas*, et catholica idem ac *universalis*. Catholicitas, alia est *doctrinae*, vi cuius vera Ecclesia integram Christi doctrinam retinet; alia *temporis*, vi cuius ad omnia tempora protenditur; alia *locorum* seu *localis*, vi cuius diffunditur per universum orbem; et de hac nunc agitur. Illa diffusio non est ab Unitate sejungenda, quia non est dos plurium sectarum collectioni competens, sed afficit Ecclesiam singulariter a Christo fundatam, et concipitur veluti quaedam unitatis amplitudo, quo sensu vocatur Catholicitas *formalis*.

Quae Catholicitas dupliciter in vera Ecclesia reperitur; jure et facto. Catholicitas *juris* est jus Ecclesiae ad se propagandum ubique, aptitudo sese omnibus populis accommodandi, necnon efficacia quaedam divina ad se disseminandum in toto terrarum orbe. Catholicitas *facti* est factum ipsum diffusionis quod ex Catholicitate juris oritur.

Sunt et varii Catholicitatis modi quos enucleare satius erit, dum singulae conclusiones statuentur.

185. Catholicitatem non esse verae Ecclesiae notam dicunt heterodoxi :

Etenim, 1<sup>o</sup> Cum professio fidei christianae multum superbiae et passionibus repugnet, moraliter impos-

181. *Ad 3.* Petri dignitas etiam in indigno haerede non deficit. De iis autem quae adversus summōs Pontifices decimi et undecimi saeculi narrata sunt, alia tanquam stolidae fabulae validissimis argumentis explosa sunt, ut ea quae de Joanna papissa ferebantur, alia valde dubia permanent, ut iudicium Papae Formosi, etc.

182. *Ad 4.* Durante magno schismate Occidentis, non periit Apostolicitas successionis in Romana Ecclesia. Etenim, unus erat inter contendentes legitimus; non deerat ergo in Ecclesia caput Apostolicum. Ab illo autem capite defluebat omnis missio aliorum pastorum cujuscumque obedientiae. Nam, ex una parte, omnes intentione praedominante ab eo solo volebant dependere, qui erat coram Deo valide electus; ex altera parte, singuli Pontifices, obedientiae sibi non adhaerentis fideles habebant tanquam pia Ecclesiae membra, et non tanquam schismaticos. Ergo a vero Papa, tanquam a capite Apostolico, dimanavit omnis missio ecclesiastica. Aliunde, omnes tenent titulum coloratum cum errore communi conjunctum ad jurisdictionis adeptionem sufficere; quae utraque conditio tunc aderat. Nec obstant excommunicationes quibus Pontifices aemuli sese mutuo insectabantur; erant enim prorsus invalidae, quia in ferente desiderabatur certa potestas, et in excommunicando non erat peccatum externum certo mortale.

183. *Ad 5.* Parum refert successio materialis, si absit formalis, quae non invenitur extra communionem cum successore B. Petri.

QUAESTIO VIII<sup>a</sup>

Utrum et qualis Catholicitas sit verae Ecclesiae nota?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 713. — Perriot : *de Eccl.*, p. 86... 95.)

184. *Resp.* Praenotandum est quid per Catholicitatem intelligamus. Catholicitas idem sonat ac *universalitas*, et catholica idem ac *universalis*. Catholicitas, alia est *doctrinae*, vi cuius vera Ecclesia integram Christi doctrinam retinet; alia *temporis*, vi cuius ad omnia tempora protenditur; alia *locorum* seu *localis*, vi cuius diffunditur per universum orbem; et de hac nunc agitur. Illa diffusio non est ab Unitate sejungenda, quia non est dos plurium sectarum collectioni competens, sed afficit Ecclesiam singulariter a Christo fundatam, et concipitur veluti quaedam unitatis amplitudo, quo sensu vocatur Catholicitas *formalis*.

Quae Catholicitas dupliciter in vera Ecclesia reperitur; jure et facto. Catholicitas *juris* est jus Ecclesiae ad se propagandum ubique, aptitudo sese omnibus populis accommodandi, necnon efficacia quaedam divina ad se disseminandum in toto terrarum orbe. Catholicitas *facti* est factum ipsum diffusionis quod ex Catholicitate juris oritur.

Sunt et varii Catholicitatis modi quos enucleare satius erit, dum singulae conclusiones statuentur.

185. Catholicitatem non esse verae Ecclesiae notam dicunt heterodoxi :

Etenim, 1<sup>o</sup> Cum professio fidei christianae multum superbiae et passionibus repugnet, moraliter impos-

sibile videtur ut apud omnes gentes diffundatur, ac praesertim constanter retineatur. Unde, nedum ingens fidei diffusio sit veritatis nota, e contra, paucitas adhaerentium foret argumentum divinitatis efficacius, siquidem pauciores sint qui superbiae et passionibus resistunt.

2° Praeterea, ipsemet Christus illud innuit dicendo : *Notite timere, pusillus grex* (Luc., XII, 32), et : *Quam angusta porta et arcta via est quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam!* (Matth., VII, 14). Per pusillum gregem, ibi intelligitur Ecclesia, et per ambulantes in via quae ducit ad vitam, designantur membra Ecclesiae.

3° Praeterea, idem Christus, promittens Evangelium praedicandum in universo orbe, testatur id non nisi in saeculorum fine esse complendum : *Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet consummatio* (Matth., XXIV, 14). Ergo etiamsi alicui sectae christianae hic et nunc desit Catholicitas, non ideo probatur falsa.

4° Praeterea, verba Christi : *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* (Luc., XVIII, 8), si non totalem Ecclesiae defectionem, saltem Catholicitatis amissionem indicant; ergo Catholicitas non est Ecclesiae essentialis.

186. Sed contra dico 1° : *Verae Ecclesiae ea est praerogativa ut, quamvis semper una et indivisa remaneat, de facto tamen habeat Catholicitatem localem.*

Probatur argumento triplici : 1° ex Scriptura; 2° ex Traditione; 3° ex ratione.

I. Argumentum Scripturae desumitur ex Genesi, ex Psalmis, ex Prophetis, ex Evangelio.

1° *Ex Genesi*. Deus Patriarchis praedixit quod in eorum semine, nempe Christo, benedicerentur *universae cognationes terrae* (Gen., XII, 3), *omnes nationes terrae* (ibid., XVIII, 18), *omnes gentes terrae* (ib., XXII, 18), *cunctae tribus terrae* (ib., XXXVIII, 14). Atqui hujus benedictionis per Christum allatae custos et dispensatrix est ipsamet Ecclesia. Ergo.

2° *Ex Psalmis*. In Ps. II, 8, sic Deus alloquitur Messiam : *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae*. At haereditas et possessio Messiae est Ecclesia. Item legitur in Ps., XXI, 28 : *Convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium*. Porro in Ecclesia et per Ecclesiam haec fieri debent. Item, de Christo dicitur Ps. LXXI, 8... 17 : *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum...; et benedicentur in ipso omnes tribus terrae, omnes gentes magnificabunt eum*. Atqui illi super quos dominabitur Messias, qui in illo benedicentur, et a quibus magnificabitur, sunt Ecclesiae membra.

3° *Ex Prophetis*. Sic Isaias de Ecclesia (LIV, 1, 2, 3) : *Lauda, sterilis... quoniam multi filii desertae... Dilata locum tentorii tui et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas : longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et laevam penetrabis, et semen tuum gentes haereditabit*. Sane Ecclesiae dilatatio apud omnes gentes luculentius exprimi non potuit. Daniel (II, 35) regnum



Christi, seu Ecclesiam, describit sub imagine lapidis qui factus est mons magnus, et implevit universam terram. — Malachias (1, 11), de novo sacrificio sub nova Lege offerendo, sic Deum loquentem inducit: *Abortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Jam vero tale sacrificium in Ecclesia et per Ecclesiam offerri debet.

4º *Ex Evangelio.* Christus de seipso sic prophetauit: *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (Joan., xii, 32). Trahit autem Christus ad seipsum trahendo ad Ecclesiam. — In textibus jam pluries allatis: *Docete omnes gentes... Ecce ego vobiscum sum. Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae,* praecipit Christus ut sua religio promulgetur ubique terrarum; at simul promittit suam Apostolis huic operi incumbentibus efficacem assistentiam. Ergo religio Christi ubique gentium assecras lucrabitur; religio autem Christi non datur extra Ecclesiam.

### II. Argumentum Traditionis.

1º *Symbolum* Apostolorum, item Constantinopolitanum confitetur *Ecclesiam Catholicam*, et haec fuit constans Christianorum fides. Porro talis appellatio, sensu obvio, significat diffusionem in universo orbe. Hinc est quod ipsimet Ariani, in symbolo quod imperatori Constantio obtulerunt, idem dogma expriment: « Credimus in unam Catholicam Ecclesiam Dei, quae a primis cardinibus ad ultimos usque terrarum fines porrigitur. »

2º *Patres* hanc Ecclesiae universalitatem certatim

proclamant. S. Hieronymus (cont. Lucif.): « Mendax est Scriptura, si Ecclesia non sit ubique diffusa. » S. Cyrillus Hieros. (Catech., 18, n. 23): « Catholica vocatur Ecclesia quia per orbem totum radios suos porrigit; ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit. » — S. Optatus (Lib. cont. Parmen.): « Ubi ergo erit proprietates Catholici nominis, cum inde dicta sit Catholica (Ecclesia) quod sit rationabilis et ubique diffusa? »

Insuper, notum est Patres hoc argumento passim haereticos confudisse, quod non essent ubique diffusi, seu Catholici. Ha, scilicet, S. Hieronymus exagitavit Luciferianos, S. Pacianus Novatianos et Donatistas, ac praesertim S. Augustinus qui, adversus Donatistas, vindicat ex Scripturae textibus modo allatis Ecclesiae Catholicitatem.

### III. Argumentum rationis.

Ecclesia instituta est ad sanctificationem et salutem omnium gentium. Omnes igitur gentes ad eam vocantur, ac proinde illam cognoscere et discernere moraliter possunt. Sed, nisi gauderet Ecclesia splendore quodam universali, jam ejus cognitio non esset cunctis gentibus moraliter obvia. Ergo...

187. Dico 2º: *Ecclesiae Christi promissa fuit catholicitas non physica, sed moralis.*

*Probatum et explicatum simul:*

Ecclesia esset physice Catholica, si vel omnes homines complecteretur, vel saltem in singulis regionibus magnam haberet membrorum multitudinem. Quod autem sic non debeat intelligi Ecclesiae Catholicitas peti, quia de facto nulla societas christiana tali unquam Catholicitate donata fuit.

Catholicitatem physicam potius excludunt verba Apostoli: *Oportet et haereses esse; ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis* (I Cor., XI, 19). Certe loquitur de haeresibus quae multos assecclas lucrabuntur, secus non proprie dicerentur in probationem justorum. Praeterea, numerosissimos fore homines extra verae Ecclesiae sinum degentes videtur moraliter necessarium, eo quod Lex christiana naturae corruptae tantopere displiceat, et simul non nisi libero mentis assensu accipienda sit.

Divinae igitur promissiones modo memoratae explicari debent de Catholicitate *moralis*, qua, scilicet, Ecclesia ita diffundatur, ut habeat in mundo splendorem quemdam universalem, et possit ejus dignitas facile cognosci, sicut a falsis sectis certo discriminetur. Ad hoc autem duo conferunt: et magnus membrorum numerus, et lata eorumdem per orbem disseminatio. Societas enim aut multis constans membris, sed in una regione coarctatis, aut late diffusa, sed in singulis regionibus paucis hominibus constans, immerito diceretur Catholica. Quibus adde duplicem illam conditionem non mathematicam, sed secundum moralem aestimationem esse mensurandam.

188. Dico 3<sup>o</sup>: *Catholicitas verae Ecclesiae adjudicanda, simultanea est et non tantum successiva.*

*Explicatur.* Ecclesia dicitur habere Catholicitatem *simultaneam*, prout eodem tempore ubique moraliter diffunditur; dicitur habere Catholicitatem *successivam*, prout diversis temporibus diversa mundi loca occupans, finaliter in omnibus locis vigisset.

*Probatur* conclusio, tum ex Scriptura, tum ex Traditione, tum ex ratione.

1<sup>o</sup> *Ex Scriptura*, seu, ex sensu obvio testimoniorum ex Scripturis sacris jam allatorum.

a) Annuntiatur a Deo Patriarchis, tanquam insignis praerogativa, quod in eorum semine, nempe Christo, benedicentur universae cognationes terrae, omnes nationes, omnes gentes, omnes tribus terrae. At si nullo tempore universae gentes hujus benedictionis simul participes fiant, sed haec benedictio modo unam gentem laetificet, dein hanc deserat et in alia recipiatur, et sic indesinenter, jam praerogativa non erit insignis, sed satis debilis et fluxa.

b) Ex libro Psalmorum, Christus habiturus est possessionem suam *terminos terrae*, dominabitur *a mari usque ad mare*, et *a flumine usque ad terminos orbis terrarum*. Ergo omnia simul loca inter hosce terminos contenta obtinebit.

c) Prophetas quos citavimus, Isaias, Daniel et Malachias, eandem Catholicitatem simultaneam clare indicant. Juxta Isaiam, Ecclesia ad suscipiendos filios dilatare cogitur tentoria sua; pelles tabernaculorum extendere, longos facere funiculos, ita ut ad dexteram et laevam penetret. Atqui sic non cogeretur, si filii sui successive tantum ad eam properarent, et aliis recedentibus alii eorum loco substituerentur. Cui oraculo optime consonat aliud ejusdem sic se habens (LX, 4, 5): *Leva in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent. Tunc videbis, et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Adsunt ergo in circuitu matris Ecclesiae congregati filii, quo-

rum aspectu dilatatur ipsius cor, propter ingentem multitudinem ex fortitudine gentium desumptam. Sed id aperte supponit simultaneam multorum filiorum praesentiam. — Juxta Danielelem (loc. cit.), Ecclesia est ad instar montis implentis universam terram; mons autem non successive sed simul diversas spatii sui partes occupat. — Juxta Malachiam (loc. cit.), oblatio munda Ecclesiae Christi propria, hic et nunc in omni loco sacrificatur et offertur: quod evidenter significat simultaneam et non successivam oblationem.

d) Apud Evangelium, Christus dicens: *exaltatus a terra... omnia traham ad meipsum*, intendit virtutem crucis commendare. Sed si nonnisi paucos simul traheret, quamvis successive multos, numquid virtus crucis ita commendaretur? — Item, Christus declarat se efficaciter adfuturum Apostolis eorumque successoribus, gentes ad quas missi sunt evangelizantibus. Atqui missi sunt ad cunctas gentes in orbe hic et nunc dispersas. Ergo fructuosa esse debet praedicatio evangelica, prout dirigitur ad omnes gentes hic et nunc orbem occupantes.

2<sup>o</sup> Prob. *ex Traditione*.

a) Patres contra haereticos afferunt defectum Catholicitatis. Sed male allegaretur si sufficeret Catholicitas successiva, cum talis Catholicitatis defectus non possit constare ante saeculorum finem.

b) Patres extollunt Catholicitatem veluti Ecclesiae characterem praestantissimum. Catholicitas autem illa, vi cujus Ecclesiae regnum successive in variis locis periret, nova loca invadendo, non esset quid gloriosum et insigne; quia magis foret instabilitatis et infirmitatis quam roboris ac firmitatis indicium.

Nonne regnum in eodem loco stabiliter perdurans, plus aestimatur quam perpetuo errabundum?

3<sup>o</sup> Prob. *ratione*.

a) Sensu obvio et naturali, Catholicitas idem sonat ac diffusio, atque hoc modo passim accipitur. Illud vero solum vere diffunditur, quod novum locum invadit, priorem non deserens; dum id omne quod priorem locum deserit ut alibi vadat, non vere diffunditur, sed potius volvitur et fluit.

b) Ideo Deus Ecclesiam suam voluit esse Catholicam, ut omnes qui ad eam vocantur, hanc facilius percipiant et agnoscant. Porro ad Ecclesiam vocantur omnes homines hic et nunc in terra degentes, et sola Catholicitas simultanea hanc omnibus simul obviam et agnoscibilem facit. Ergo.

189. Dico 4<sup>o</sup>: *Vera Ecclesia habet Catholicitatem sibi exclusive propriam.*

*Explicatur conclusio:*

Ut Catholicitas sit verae Ecclesiae dos exclusive propria, non requiritur absolute quod, praeter eam, nulla detur societas christiana quae sit vere Catholica; Catholicitas enim sumpta pro diffusionem simpliciter morali in orbem universum, optime potest pluribus sectis convenire. At, etiam hoc posito, contendimus verae Ecclesiae Catholicitatem qualibet alia ita esse superiorem, ut haec Ecclesia sola per autonomasiam pure et simpliciter Catholica jure vocetur. Sic autem inter omnes vocabitur, vel majori adhaerentium numero, vel latiori per orbem extensione, vel quia efficacius et mirabilius resistit causis suam Catholicitatem impugnantibus, vel quia obtinetur mediis minus proportionatis, etc., etc.

*Probatur conclusio tripliciter :*

1° Inter omnes Ecclesiae verae dotes, Catholicitas ea est quae magnificentius celebratur. Atqui si per illam vera Ecclesia caeteris sectis non praefulgeret, non esset ratio hanc verbis ita magnificis celebrare, Ergo.

2° Sancti Patres non tantum ex Catholicitatis defectu sectas haereticorum falsitatis arguunt, sed addunt ex ejus praesentia veram Ecclesiam agnoscendam esse, ac proinde ipsi exclusive esse propriam. Sic S. Aug. (De vera Relig., c. 7, n. 12) : « Tenenda est nobis « christiana religio et ejus Ecclesiae communicatio, « quae Catholica est et Catholica nominatur, non « solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. « Velint nolint enim, ipsi quoque haeretici et schis- « matum alumni, quando non cum suis, sed cum « extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam « Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi « hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe « nuncupatur. » — S. Clemens Alex. (Strom., l. 7) affirmat : « hoc cognomen Ecclesiae inditum esse « circa primam Apostolorum successionem, ut vera « germana Christi Ecclesia ab adulterinis haereticorum coetibus distingueretur. » — S. Cyrillus Hierosol. (Catech., 8) : « Neque id tantum quaeras « simpliciter ubi sit Ecclesia, sed ubi sit Ecclesia « Catholica. Hoc enim proprium nomen est sanctae « hujus matris omnium nostrum, quae est sponsa « Domini nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei. » — S. Pacianus (Ep., 1, ad Sympron. Novitian.), observat, ante subortas haereses, Ecclesiam generatim non vocatam fuisse Catholicam ; nam nomine christianae

ea satis a Synagoga Judaeorum, scholis philosophorum, a variis infidelium religionibus distinguebatur ; at obortis deinde haeresibus, cum multi se Christianos vocarent, Ecclesia dicta fuit Catholica, ut fideles ab haereticis secernerentur : « Catholicum istud, inquit, « nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, « nec haeticos sumit auctores. » Et infra : « Chris- « tianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen ; « illud nuncupat, istud ostendit ; hoc probor, inde « significor. »

3° Moralter impossibile est falsas sectas Catholicitatis gloriam in gradu aequali cum vera Ecclesia possidere ; quia carent principiis huic procurandae pariter aptis, videlicet : carent zelo propagationis, nec communiter de sui diffusionem curant nisi motivo quodam humano ducantur ; carent signis splendidis ac veris credibilitatis motivis, quibus firmam suis sectatoribus fidem inspirent ; carent principio unitatem conservante, et ideo, quo latius extenduntur, eo magis in plures dividuntur factiones, nec proinde jam adest unius societatis amplitudo, sed plurium sectarum colluvies huc et illuc serpens ; carent demum assistentia efficaci divini Numinis earundem Apostolatui fecunditatem tribuentis. Ergo.

190. Dico 5° : *Vera Ecclesia gaudet Catholicitate perpetua.*

*Explicatur conclusio :*

Illa perpetuitas de Catholicitate facti intellecta, non debet se extendere ad primordia Ecclesiae nascentis ; Ecclesia enim paucorum hominum evangelizatione primum propagata fuit, nec nisi post sufficientem praedicationem assecuta est Catholici-

tatem sibi debitam, et hoc labente circiter secundo saeculo contigit.

Theologi unanimiter tenent ad divinas promissiones verificandas, necessarium esse ut vera Ecclesia Catholicitatem simultaneam aliquando saltem obtineat. At Bellarminus (Lib. 4, c. 75) videtur concedere hanc Catholicitatem non esse ita essentialem, ut nunquam *per accidens* deficere possit, modo retineatur Catholicitas *juris*. Longius progressus est Melchior Cano (Lib. 3, resp. ad 13), dicens sufficere si semel tantum Ecclesia in toto orbe diffusa fuerit; quo semel adepto, existimat ad Catholicitatem requiri tantummodo ut integram profiteatur fidem, quam universo mundo propagavit. Demum non desunt qui putant promissiones divinas de futura Catholicitate, limitandas esse juxta Scripturae textus, quibus praedicitur ultima temporibus Antichristi defectio; tunc enim Ecclesiae Catholicitas valde obscurabitur.

*Probatur conclusio contra Bellarminum et Melchiorem Cano, sic:*

1º In Scripturae testimoniis supra citatis, nulla temporis limitatio assertur, sed universalis Ecclesiae diffusio exhibetur ut factum permanens. Loquitur Scriptura de omnibus gentibus quas Christus haereditabit, et quae ab Apostolis eorumque successoribus edocebuntur; porro sunt omnes gentes in qualicumque mundi aetate. Insuper regnum Messiae, quod apud Danielelem assimilatur monti implenti universam terram, *in aeternum non dissipabitur... stabit in aeternum... non corrumpetur* (Dan., II, 44). At si quandoque suam Catholicitatem amitteret, jam ex aliqua parte dissiparetur, corrumpere et non staret.

2º Patres, ut vidimus, confutant haereticos ex Catholicitatis defectu. Atqui si vera Ecclesia non esset indesinenter Catholica, nihil valeret argumentum, nisi probaretur tunc temporis Ecclesiam jam debuisse esse catholicam. Sed Patres id non allegant, nec potuissent demonstrare, si semel concedatur Catholicitatem aliquando posse deficere; et ideo simpliciter afferunt Catholicitatem veluti dotem Ecclesiae semper competentem.

3º In symbolo Apostolorum confitemur modo indefinito Ecclesiam catholicam. Atqui proprietas quae non esset toto tempore durationis Ecclesiae, moraliter loquendo, permansura, inconvenienter exprimeretur in symbolo cujus professio est omnium temporum.

4º Ideo Ecclesia facta est moraliter universalis, ut cunctis hominibus ad eam vocatis fieret obvia et facilis cognitu. Porro ratio haec valet pro omnibus temporibus.

191. Dico 6º: *Ex dictis plane sequitur Catholicitatem esse verae Ecclesiae notam, non tantum negativam, sed positivam,*

1º Est sane *nota negativa*, qua alicujus sectae pseudochristianae falsitas evincitur.

Nam a) ejus absentia est indicium falsitatis, siquidem hac proprietate Ecclesiam veram praeditam esse oporteat.

b) Ejus absentia potest esse *obvia*, nempe v. g.: ubi agitur de ecclesia nationali quae in potestate civili radicatur, et exinde omnem suam haurit virtutem, unde est essentialiter localis; item, de societate cujus dogmata aut cultus peculiari tantum loco et genti ex se accommodantur; item, de societate carente

hic et nunc universalitate morali, aut etiam illam habente, sed cum certis defectibus spiritum erroris clare testantibus, uti, si mediis mere humanis aut illicitis fuerit propagata, nec asseclas suos ad mores vere christianos informaret; a fortiori si agatur de societate quae, jam diu existens, nunquam obtinuerit Catholicitatem.

AL c) Eiusdem dotis absentia potest esse *notior* falsitate sectae ea carentis; quia illam revera deesse evidenter ostenditur, quin antea probata fuerit sectae falsitas.

2º Est etiam Catholicitas *nota positiva*.

Nam a) ejus praesentia est indicium veritatis, cum sit verae Ecclesiae *exclusive propria*, ex dictis.

b) Eius praesentia est de se *obvia*, cum sit factum publicum et cognitu facillimum; quod enim talis Ecclesia caeteras omnes amplitudine sua longe superet et semper superavit, testimonio et experientia patescit.

c) Demum, ejusdem dotis praesentia est vera Ecclesia *notior*; quia, ut percipiatur, necessarium non est antea jam constare Ecclesiam apud quam reperitur esse veram.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 185.

192. *Ad 1.* Concedimus moraliter esse impossibile ut fides christiana ubique gentium diffundatur et praevaleat. Ergo Christus, hanc Catholicitatem promittendo et conferendo, invictum nobis subministravit argumentum veritatis.

193. *Ad 2.* Verba Christi de pusillo grege, vel diriguntur ad solos Apostolos qui certe erant pauci, vel ad illos qui primi Christo adhaeserunt, et erant humilis

conditionis, vel sunt de universa Ecclesia quae dicitur pusillus grex, tum comparatione infidelium, tum ob humilitatis devotionem. Insuper, ambulantes per viam arctam revera sunt pauci, quia per eos intelliguntur ferventes Christiani, qui per bona opera certam suam electionem faciunt; aut, si intelligantur omnia Ecclesiae membra, dicuntur pauci comparatione facta cum infidelibus. Ita S. Aug. ad Pelagianos (Lib. 2, op. imp. cont. Jul. c. 3): « Nolite de paucitate gloriari. Parricidae et pauci et pessimi sunt. Non intelligentes (Donatistae) quomodo a Domino dictum sit paucos intrare per angustam portam; cum et multos dixerit ab Oriente et Occidente recubituros cum Abraham, Isaac et Jacob... qui profecto multi sunt per seipsos, et iidem ipsi pauci sunt in comparatione longe plurium qui cum diabolo puniendi sunt. »

194. *Ad 3.* Praedicatio Evangelii pleniorum suum habebit effectum versus mundi finem, sed antea sufficientem ut Ecclesia vocetur catholica.

195. *Ad 4.* Prophetia Christi (Luc., XVIII, 8) explicari potest, ut jam diximus, de fide viva per charitatem. At, dato obscurandam esse in extremis mundi temporibus Ecclesiae Catholicitatem, haec momentanea defectio, secundum moralem aestimationem, non obstaret; eo ferme pacto quo, si, belli initio, alicujus regni provincias hostis occuparet, haec momentanea invasio non censeretur moraliter regni amplitudinem auferre, si paulo post, in eodem bello, hostis ejiceretur.

QUAESTIO IX<sup>a</sup>

Utrum Ecclesia Romana tali gaudeat Catholicitate, qua ejusdem divinitas clare demonstratur?

196. Resp. Videri potest quod non.

Etenim, 1<sup>o</sup> multae sunt gentes in Asia, in America, in insulis Oceaniae, quibus Romana fides non est praedicata. Ergo illa fides immerito dicitur catholica.

2<sup>o</sup> Praeterea, qui Mahumetismo et Idolatriae adhaerent innumeri sunt, et Catholicos Romanos numero valde superant. Ergo non habet Ecclesia Romana Catholicitatem eminentiorem.

3<sup>o</sup> Praeterea, etiam inter sectas christianas, reperire est Protestantismum, qui certe latam obtinuit, et quotidie majorem obtinet diffusionem; praesertim ecclesiam Anglicanam, cujus missionarii, per totum orbem spargendo Biblias, multos assequuntur discipulos.

4<sup>o</sup> Praeterea, saltem Ecclesiae Romanae Catholicitas non fuit perpetua. Graves enim passa est, praeteritis aetatibus, jacturas ab Arianis, Nestorianis, Eutychianis, a Graecis schismaticis, a Mahumetanis, et a Reformatoribus.

197. Sed contra dico: *Ecclesia Romana habet Catholicitatem juris, nulli alteri sectae christianae competentem.*

1<sup>a</sup> pars, quod habeat Catholicitatem juris.

Probatum sic: Catholicitas juris est principium ex quo fluit Catholicitas facti. Cum autem Catholicitas facti nihil aliud sit quam quaedam unitatis ecclesiae amplitudo, hinc supponit in Ecclesia virtutem

unitatis conservatricem simul et amplificatricem. Porro hac duplici virtute instruitur Ecclesia Romana.

I. Habet, ex probatis, virtutem unitatis conservatricem, siquidem omnia ejus membra eidem magisterio et eidem capiti subjiciuntur; et ideo, quantumcumque sint numerosa in omni loco dispersa, unicum efformant corpus sociale.

II. Habet etiam virtutem unitatis amplificatricem absque termino, et illa virtus residet, tum in zelo propagationis quo ardere tenetur, tum in ipsius connaturali aptitudine ad se dilatandum ubique terrarum.

1<sup>o</sup> Zelus propagationis ipsi necessarius est, cum accipiat tanquam praeceptiva verba Christi: *Docete omnes gentes; praedicate Evangelium omni creaturae*, et credat extra suum sinum homines non esse salvandos.

2<sup>o</sup> Habet Ecclesia Romana connaturalem aptitudinem ad se dilatandum ubique. Tria enim in ea consideranda sunt: doctrina, regimen et disciplina. Atqui, sub hoc triplici respectu, idonea est quae ubique gentium diffundatur.

a) Doctrina Ecclesiae, nec aliquid continet quod sensui communi cunctis indito adversetur, et insuper, ut demonstravimus, mirum in modum cunctis humanae naturae aspirationibus et necessitatibus congruit.

b) Regimen Ecclesiae quamdam, ut ita dicam, universalitatem redolet. Non est enim nationale, seu alicui principatui civili ita annexum, ut intra dominationis temporalis limites ex se coerceatur, sed omnes humanas societates in suo ambitu valet continere. Ecclesiae autem Romanae rectores ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione assumuntur;

imo Pontificatus supremus ipse nulli particulariter genti, nulli hominum conditioni exclusive adscribitur ex ordinatione divina, sed ad hanc quicumque Christianus aliunde aptus evehi potest.

c) Disciplina etiam Ecclesiae nulli loco exclusive commensuratur. Leges positivae divinae paucissima sunt, et cunctis hominibus conveniunt. Leges vero ecclesiasticae, aliae sunt particulares et variarum gentium indoli et necessitatibus sapienter accommodatae, aliae sunt universales, sed simul variables et imo dispensabiles. At talis disciplina, nedum Catholicitatem facti impediatur, huic e contrario plurimum favet.

1<sup>a</sup> pars, quod Ecclesia Romana habeat Catholicitatem juris, nulli alteri sectae competentem.

Probatur sic : I. Apud caeteras sectas deest, ut notum est, virtus unitatis ecclesiasticae conservatrix. Graeci schismatici non tam efformant ecclesiam, quam ecclesias variis patriarchis inter se independentibus subjectas. Protestantismus autem quid est aliud quam innumerarum sectarum inter se luctantium colluvies ?

2. Nec habent virtutem unitatis amplificatricem :

a) Carent auctoritate quae de Evangelii praedicatione in omnibus terrae partibus sollicita sit. Graeci schismatici, cum sentiant in sinu Ecclesiae Romanae viam aeternae salutis inveniri, non multum anxiantur de sua schismatica societate dilatanda. Doctrina autem communis Protestantium, qua assertitur libertas adhaerendi cuicumque sectae articulos fundamentales retinenti, certe zelum propagationis valde remittit.

b) Earum etiam regimen aptum non est quod ubique

gentium protendatur. Singulae Protestantium sectae certis quibusdam regnis aut gentibus plurimum alligantur, ita ut extendi nequeant, quin regnum aut gentis dominatio simul diffundatur; unde a religioso earundem consortio excludi debent quicumque sunt extra forum principis civilis. Similiter, inter Graecos schismaticos, Ecclesia Moscovita necessario circumscribitur intra Russici imperii fines, cum sit pars regiminis imperialis; idem dic de Ecclesia Hellenica quae Athenarum principi subjicitur.

198. Dico 2<sup>a</sup> : *Ecclesia Romana gaudet Catholicitate facti sibi exclusive propria.*

1<sup>a</sup> pars, quod gaudeat Catholicitate facti,

Probatur sic : Ad Catholicitatem facti duo concurrunt, diffusio localis, et adhaerentium numerus. Jam vero, numerus fidelium Ecclesiae Romanae, juxta communiter receptas computationes, est 160, aut etiam 200 et amplius millia millium. Qui fideles in variis mundi regionibus magis ac magis disseminantur. Ecclesia quippe Romana praevalens est in Italia, Hispania, Lusitania, Gallia, Belgio, magna Germaniae parte. In aliis Europae locis, quamplurimos numerat asseclas. Extra Europam, magno etiam splendore illustratur : si respiciamus ad orientem, reperitur in imperio Sinensi : si ad occidentem, in America et Nova Gallia; si ad meridiem, in Brasilio, Indis et multis Africae regionibus, necnon in multis Oceaniae insulis; si ad septentrionem, apud Laponenses, Japonenses et incolas Groenland. Caeterum, consulantur Propagationis fidei annales, et deprehendetur nullam fere dari orbis universi regionem, in qua non existant missionarii catholici.



2<sup>a</sup> pars, quod *Ecclesia Romana gaudeat Catholicitate facti sibi exclusive propria,*

Probatur sic: Aliae sectae christianae a Romana vincuntur, tum adhaerentium numero, tum locali diffusione.

a) Vincuntur adhaerentium numero. Major numerus qui Protestantibus assignatur, est 65 millia millium, et qui Graecis, 60 millia millium; qui omnes, etiam simul sumpti, multitudinem fidelium Romanorum non aequant; quanto minus si sumantur seorsim, ut sumendae sunt, singulae sectae ab aliis separatae, cum Catholicitas ab Unitate non sit sejungenda.

b) Vincuntur etiam diffusione locali, ut patet, Graecos nullos reperire est in partibus orientalibus Asiae, nec in Europa occidentali, nec in tota fere Asia, nec in tota fere Africa, nec in America, nec in Oceaniae insulis. Protestantes vero in tota fere Africa, in America meridionali non reperiuntur; nulli sunt aut propemodum nulli in universa Asia; item perpauci in Russia, Hispania, et Italia existunt. Et ideo, nec Graeci, nec Protestantes vere gaudent Catholicitate facti morali et simultanea; nedum sub hoc respectu cum Ecclesia Romana sint aequiparandi.

199. Dico 3<sup>o</sup>: *Catholicitas, in Ecclesia Romana resplendens, ejus divinitatem demonstrat.*

Probatur breviter sic: Vera Ecclesia perpetuo durare debet atque indefectibiliter, seu, cum omnibus dotibus quas Christus eidem inesse voluit. At Catholicitas moralis simultanea et relative eminentis, est dos qua Ecclesia Christi, a tempore sufficientis praedicationis ad usque mundi finem, aut saltem ad usque

tempora Antichristi, perpetuo insigniri debet. Ergo illa societas quae probatur hic et nunc illa Catholicitate gaudere, et per eam omnes alias superare, est vera Christi Ecclesia, secus dicendum erit veram Christi Ecclesiam periisse. Ergo divina est Ecclesia Romana; ex quo ulterius sequitur hanc Catholicitatem, quam actu habet, extitisse jam temporibus praeteritis et in futurum, indesinenter extituram esse.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 196.

200. *Ad 1.* Si quae fuerint regiones non tam cito evangelizatae, causa fuit impossibilitas illas adeundi; at statim ac patuit ad eas ingressus, Ecclesia Romana non cunctata est illas per missionarios suos visitare. Catholicitas autem Ecclesiae non refertur nisi ad partes mundi cognitae et accessibiles.

201. *Ad 2.* Catholicitatis nota Ecclesiae data est, ut per hanc a sectis pseudochristianis secernatur, non vero ab iis quae Mahumetem aut idola colunt. Insuper, si religiones falsae quaedam, plures numerant asseclas, tamen non habent ita per universum orbem diffusos; et sperandum est hanc laudem Ecclesiae Romanae semper fore exclusive propriam, quamvis non videatur necessarium.

202. *Ad 3.* Solutio patet ex conclusionibus stabilitis. Nec enim Protestantismi aut Anglicanismi diffusio est vere universalis, nec cum Ecclesiae Romanae universalitate comparari potest, nec est vera unitatis amplitudo, sed potius dissolutio in dies magis ac magis crescens.

203. *Ad 4.* Ecclesia Romana, non obstantibus hae-

reticorum et schismaticorum defectionibus, maximam Christianorum partem in sua communione semper servavit, et in ipsis dissidentium regionibus quamplures habuit Ecclesias sibi adhaerentes. Imo, quod in hisce locis amisit, in aliis constanti veluti lege reparavit. Sic detrimenta ex Arianis, Nestorianis, Euty-chianis orta, compensavit per novas accessiones Illyriae, Hiberniae, Angliae, Frisiae, Germaniae meridionalis et occidentalis; damna a Photio et Mahumete inflicta redintegravit in Pannonia, Polonia, Germania septentrionali et orientali, et Scandinavia; demum ingenti luctuosaque saeculi decimi sexti Reformatione depopulata, mirabiliter crevit Indorum, Japonensium, Brasiliensium, Mexicanorum, et aliorum Americae populorum conversione.

QUAESTIO X<sup>a</sup>

Utrum et quae Sanctitas sit verae Ecclesiae nota?

(Vide Mazella : *de Relig. et Eccl.*, n. 673... 689. — Perriot : *de Eccl.*, p. 72... 86. — Brugere : *de Eccl.*, n. 79, 80.)

204. Resp. Praemittendum est quid et quotuplex sit sanctitas Ecclesiae.

Porro Ecclesiae sanctitas est vel *facti*, vel *juris*.

Sanctitas *facti* in eo consistit quod Ecclesia divinae gratiae donis impleatur. Haec sanctitas debet esse simul interna et externa; interna, quatenus includit gratiam sanctificantem, virtutes et dona quae animas justorum decorant; externa, quatenus per visibiles effectus se prodit conspiciendam. Sanctitas mere in-

terna rationem notae non haberet; sanctitas mere externa careret veritate; in praesenti igitur sumenda est sanctitas facti externa, prout conjungitur internae eamque manifestat.

Sanctitas *juris* est aptitudo ad producendam sanctitatem facti. Illa aptitudo in eo consistit, ut Ecclesia apud se constanter retineat, et fideliter subministret media sanctitatis producendae, enutriendae ac perficiendae a Christo instituta, et insuper nihil statuatur quo hujusmodi mediorum efficacia impediretur.

205. Dico 1<sup>o</sup> : *Vera Ecclesia habere debet sanctitatem juris, atque per eam dignosci potest.*

1<sup>a</sup> pars, quod debeat habere sanctitatem juris.

Probatur sic : Finis Ecclesiae fuit hominum sanctificatio, cum fuerit instituta ad perennem faciendam in terris missionem Christi. Unde B. Paulus (Eph., iv, 11, 12) dicit positos fuisse Apostolos, pastores et doctores, *ad consummationem sanctorum*; et addit (ibid., v, 25, 26, 27) : *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam... sed ut sit sancta et immaculata.* Omnia igitur media sanctitati producendae, servandae ac perficiendae necessaria, in Ecclesiae sinu a Christo reposita sunt, ut per eam custodirentur ac ministrarentur. Ergo, cum Ecclesia vera sit indefectibilis, impossibile est haec media per eam constanter non retineri, aut fideliter non ministrari; nec minus repugnat, Ecclesiam aliquid statuere quo illorum efficacia impediretur, quia tunc ea speculative admittens, practice tamen rejiceret, atque ita vere deficeret.

2<sup>a</sup> pars, quod hac sanctitate juris vera Ecclesia dignosci valeat,

Probatur sic :

1<sup>o</sup> Per modum *notae negativae* et indirecte, Sanctitas juris veram Ecclesiam ostendere potest.

Etenim, ex necessitate hujus sanctitatis, illico concluditur falsam esse omnem sectam quae convincitur, vel unum sanctitatis medium a Christo institutum repudiare, aut aliquid, sive in sua doctrina, sive in suo regimine, sive in sua disciplina continere, quo mediorum praedictorum virtus impediatur, hominesque a sanctitatis via deflectant. Atqui, tale vitium nunquam cognitu facile esse haud repugnat, nec, ut apprehendatur, necessarium est ut antea de falsitate sectae constet. Ergo absentia sanctitatis juris esse potest nota falsitatis; ac proinde, modo ostendatur hoc vitio inquinari omnes sectas christianas, una excepta, jam haec una societas, sanctitate juris tanquam nota negativa et indirecte, demonstrabitur vera.

2<sup>o</sup> Per modum *notae positivae* sanctitas juris veram Ecclesiam ostendere potest.

Ad hoc enim sufficit, ut concipiatur aliqua sanctitas juris verae Ecclesiae exclusive propria, quae simul sit facilis cognitu et vera Ecclesia notior. Atqui revera talis concipitur sanctitas juris. Ponamus aliquam societatem habentem in se sanctitatis media longe efficaciora ac omnes aliae sectae. Talis sane sanctitas est verae Ecclesiae exclusive propria; quia, cum Christus instituerit Ecclesiam ad homines sanctificandos, dum, e contra, ideo infernae potestates haereses ac schismata seminant, ut haec sanctificatio impediatur, omnis secta falsa, ex nativa sua indole, media sanctitatis a

Deo data vel aufert vel attenuat. Ergo, habere media sanctitatis longe efficaciora, est solius verae Ecclesiae proprium. Sed illud factum quandoque potest esse obvium; nec, ut percipiatur, necesse est jam cognoscere ubi sit vera Ecclesia. Potest igitur esse sanctitas juris verae Ecclesiae nota positiva.

206. Dico 2<sup>o</sup> : *Vera Ecclesia necessario habet sanctitatem facti, non in omnibus sed in pluribus saltem membris, etiam adultis.*

Contradicunt Protestantes, quorum alii sanctitatem facti ita exaggerant, ut non nisi sanctis membris Ecclesiam constare autumant, et hunc errorem jam confutavimus; alii, e contra, ita extenuant, ut eam censeant in omnibus membris deficere posse; sic ecclesia Anglia constituta.

Conclusio probatur sic :

1<sup>o</sup> Ecclesia, in variis parabolis evangelicis, assimilatur decem virginibus, quarum quinque sunt prudentes, familiae quae habet servos bonos et fideles, sagenae continenti bonos pisces cum malis, agro in quo frumentum cum zizania crescit, convivio in quo multi vestem nuptialem deferunt. Ergo.

2<sup>o</sup> Ecclesia, in Scripturis, vocatur Christi corpus, Dei sponsa, domus et templum, et regnum caelorum; sed singuli hi tituli sanctitatem et quidem eximiam redolent.

3<sup>o</sup> Christus prophetavit quod adversus Ecclesiam portae inferi non praevalerunt. Jam vero si, praeter infantes baptizatos, nullus aut pauci essent justi, inferi adversus eam praevalerent, et quidem ea certe victoria quam maxime appetunt, veluti omnium suarum impugnationum praecipuum finem. Item, Christus

promisit se praesto adfuturum Ecclesiae docenti omnia quaecumque mandaverat. Atqui, si inter adultos quos Ecclesia docet praecepta Christi servare, nullus ea servaret, jam Ecclesia docens careret efficaci assistentia ipsi a Christo promissa.

4° B. Paulus, in Ep. ad Eph., v, 21... 28, comparat mutua dilectionis officia inter conjugatos, hisce amoris obsequiis, quae sibi mutuo Christus et Ecclesia praestant. Porro haec mutua Christi et Ecclesiae dilectio, non foret exemplar amicitiae, quae perpetuo inter conjugatos vigere debet, si aliquando omnes fideles fierint Christi inimici per peccatum mortale. Imo, ad veritatem typl, non sufficeret solos infantes esse in statu gratiae; siquidem infantes amicitiae obsequia Christo exhibere non valeant, nec ideo referre similitudinem hujus amicitiae, quam uxores erga viros nutrire tenentur.

5° Ecclesia vera habet sanctitatem *juris*, seu, omnia media sanctificationis a Christo instituta, et insuper ipsemet Spiritus sanctus singulis adultis abundantiores elargitur gratias, ut haec media in eis fructificent. Atqui videtur moraliter impossibile, quod multi adulti, harumce gratiarum ope, praedictorum mediorum fructus non percipiant.

207. Dico 3° : *Sanctitas facti, secundum effectus externos quibus manifestatur, esse potest verae Ecclesiae nota.*

Etenim, non repugnat in se dari nonnullos effectus sanctitatem internam manifestantes, qui sint verae Ecclesiae exclusive proprii, et aliunde faciles cogniti, et vera Ecclesia notiores. Atqui nihil amplius requiritur ad notam verae Ecclesiae positivam.

Prob. major, indicando tres hujusmodi effectus :

1<sup>us</sup> effectus : *actus virtutum eximii*. Supponamus in aliqua societate christiana observari, in virtutum exercitio, sanctitatis fructus sine ulla comparatione majores ac in qualibet alia secta. Certe id non potest esse nisi verae Ecclesiae proprium. Omnis siquidem secta haeretica aut schismatica, est ecclesia contra quam plus minusve praevalent inferorum portae, et quae domus Satanae quasi facta est; dum vera Ecclesia a Diabolo nunquam devincitur, et manet indefectibiliter domus et templum Dei. Jam vero, repugnat fructus sanctitatis notabiliter excellentiores reperiri apud sectas, contra quas praevalent inferorum portae, et quae domus Satanae factae sunt, quam apud veram Ecclesiam, contra quam infernus non praevalet unquam, et quae invariabiliter manet domus et templum Dei. Ergo, haec sanctitatis facti excellentia est quid verae Ecclesiae exclusive proprium : aliunde, ut patet, esse potest cognitu facilis, et est vera Ecclesia notior. Ergo.

2<sup>us</sup> effectus : *mirabilis fecunditas*. Supponamus in aliqua societate christiana observari talem sese ubique terrarum diffundendi virtutem, qua indesinenter renovetur, continuetur, et magis in dies splendescat miraculum propagationis, quod Christianismum nascentem decoravit, dum nihil simile observatur in qualibet alia secta; certe, haec mirabilis fecunditas non potest esse nisi verae Ecclesiae exclusive propria; quia haberi debet veluti testimonium jugis illius Spiritus sancti assistentiae, hominum mentes et corda sibi subjicientis. Aliunde, tale factum, si detur, est cognitu facillimum atque vera Ecclesia notius. Ergo.

**3<sup>us</sup> effectus** : *series miraculorum non interrupta.*

Supponamus inter omnes sectas christianas, unam dari quae, per longum saeculorum tractum, serie miraculorum non interrupta cohonestata et illustrata fuerit, dum, apud alias sectas, nullum citetur miraculum in earum favorem patratum et inconcussum. Certe tali facto de se obvio et vera Ecclesia notiori, Deus clare testaretur, hanc societatem sibi gratam esse, non autem spuriam et ab hominibus inventam.

**208. Dico 4<sup>o</sup>** : *Sanctitas facti per effectus supradictos manifestata, verae Ecclesiae necessaria videtur.* Est contra Protestantes qui, cum praefatis effectibus careant, ne talis defectus veluti falsitatis argumentum contra eos invocetur, nolunt illos esse verae Ecclesiae necesarios. Est etiam contra nonnullos theologos catholicos, quoad patratiorem miraculorum, quam dicunt primis solummodo Ecclesiae temporibus fuisse necessariam, ut fides propagaretur.

Probatur conclusio sic :

**1<sup>us</sup> effectus**, nempe *actus virtutum eximii*, necessarius est in vera Ecclesia ; quia Ecclesia, ad usque saeculi consummationem, edocebit homines servare omnia quaecumque Christus mandavit, ac proinde non praecepta tantum, sed et consilia, viasque perfectionis sublimioris. Sed, in hoc implendo ministerio, adjuvatur efficaci Spiritus sancti assistentia, ut diximus. Ergo moraliter loquendo, nunquam desinent, in vera Ecclesia, animae ad sublimiorem sanctitatem erectae. Idem concluditur ex Cantico canticorum, in quo Sponsa tantopere diligens et dilecta figurat Ecclesiam Christi, juxta probatos doctores.

**2<sup>us</sup> effectus**, nempe, *mirabilis fecunditas*, necessarius est etiam. Nam 1<sup>o</sup> Ecclesia vera nunquam desinet, juxta Christi praeceptum, omnes gentes evangelizare, et haec praedicatio, juxta ejusdem Christi promissionem, habebit efficaciam ; 2<sup>o</sup> idem sequitur ex Catholicitate perpetua. Cum enim moraliter impossibile videatur ut, hominum malorum machinatione, multi Christiani, et imo gentes integrae ab unitatis centro aliquando non separentur, hinc, ne brevi pereat Catholicitas localis, oportet Ecclesiam jugiter esse fecundam.

**3<sup>us</sup> effectus**, nempe *miraculorum series non interrupta*, includitur in divina promissione, apud Marcum (xvi, 17, 18) : *Signa autem eos qui crediderint haec sequentur*, quae promissio nulla restringitur temporis limitatione. Insuper, ejus finis est gentium conversio ; sed illa conversio non consummabitur nisi in ultima aetate mundi. Nonnulli equidem Patres videntur hanc miraculorum patratorum prophetiam coarctare ad primordia Ecclesiae nascentis ; sed satis seipsos explicant de majori eorumdem frequentia, eo quod ad fundandam Ecclesiam opportunum erat ut plus solito multiplicarentur.

QUAESTIO XI<sup>a</sup>

Utrum Ecclesia Romana divina probetur ex sanctitate juris.

**209. Resp.** videri potest quod non.

Etenim, 1<sup>o</sup> dogma Confessionis sanctitati repugnat ; quia, ex una parte, facilem veniam pollicendo, provocat ad liberius peccandum ; et, ex altera parte,

obligando ad intima cordis sui patefaciendum, morum corruptelae januam pandit.

2º Praeterea, sanctitati juris repugnat Ecclesiam statuere aut approbare quod est sanctitatis impeditivum. Atqui Ecclesia Romana, Inquisitionis tribunal approbavit, et insuper, ab episcopis consecrandis exigit ut se persecutores fore his verbis jurent: « Hæreticos et schismaticos, et rebelles eidem Domino nostro, persequar et impugnabo. » Ideo Ecclesia Romana saevae intolerantiae merito arguitur.

3º Praeterea, bella religiosa injuste ab Ecclesia Romana, aut suscitata aut probata sunt, ut patet ex cruciadinibus adversus Mahumetanos, et caede dicta S. Bartholomaei adversus Protestantes.

210. *Sed contra dico: Ecclesia Romana divina probatur ex sanctitate juris.*

Nam, ex dictis nº 205, illa societas est vera Ecclesia Christi, apud quam reperiuntur sanctitatis media longe efficaciora ac in quibuslibet aliis sectis; et illa societas est spuria, quae aliquid continet sanctitati christianae contrarium. Atqui, apud Ecclesiam Romanam, reperiuntur sanctitatis media longe efficaciora ac in quibuslibet aliis sectis, et apud quaslibet alias societates, praeter Romanam, invenire est aliquid sanctitati christianae contrarium. Ergo.

1. *Apud Ecclesiam Romanam reperiuntur media sanctitatis longe efficaciora ac in aliis sectis.*

*Et hoc constat argumento duplici: directo et indirecto.*

1º *Prob. argumento directo:*

Comparando, scilicet, Ecclesiam Romanam, quoad

media sanctitatis procurandae, cum Protestantismo et Ecclesia Graeca.

Sane, ex supra stabilitis de religionis catholicae excellentia, novimus quantum valeant ad homines sanctificandos, Ecclesiae Romanae doctrina, cultus et disciplina. — Ejus quippe doctrina mirum in modum voluntatis humanae necessitatibus accommodatur, omne malum reprimit, et omne bonum promovet. — Ejusdem cultus sensum pietatis impensius evolvit, sacrificio Missae, praesentia Christi reali in Eucharistia, variis sacramentis, ritibus sacris, festis per annum recurrentibus, publicaeque orationis exercitio. — Ejusdem disciplina, qualiter determinatur legibus canonicis, institutis ecclesiasticis ac religiosis, maxime apparet idonea ad roborandam fidem, ad praeceptorum et consiliorum observationem procurandam, ad recte ordinandas relationes pastorum inter se, aut fidelium cum pastoribus, aut principum cum civibus, etc., etc.

At quantum, sub hoc triplici respectu, Protestantismus ab Ecclesia Romana distet, cuique est perspicuum. — Quod attinet ad doctrinam, fatendum est Reformatores tot abstulisse sanctitatis incentiva, quot abstulerunt articulos a symbolo catholico Romano. — Si respicias cultum, invenies illud apud eos, egenum, frigidum ac pene nullum. Qualis enim esse potuit illis qui omnia fere sacramenta, Missae sacrificium, praesentiam realem, cultum Sanctorum, imaginum ac reliquiarum de medio tollunt? — Denique, disciplina ecclesiastica evanescit, dum, et sacraministrorum ordinationem, et clericalem caelibatum, et vota religiosa, et jejunium atque abstinentiam,

aliaque multa moribus recte componendis apta, flocci faciunt.

Graeci autem schismatici minus a sanctitate doctrinae et cultus recedunt; sed omni fere disciplina destituuntur, quia carent supremo Capite quod super omnes invigilet, concilia congreget, et contra civilis potestatis tyrannidem pastores ac fideles defendat. Hinc est, quod populorum spiritualibus necessitatibus pastores sufficienter providere nequeant.

Ergo, argumento directo constat, nec Protestantes, nec Graecos schismaticos habere media sanctitatis, mediis quibus pollet Ecclesia Romana aequiparabilia.

2<sup>o</sup> *Prob. argumento indirecto.*

Duplex enim factum maximi momenti quotidie observatur:

1<sup>o</sup> Inter Catholicos, quo quis Ecclesiae Romanae fortius adhaeret, melius ejus spiritu imbuitur, et fideles ejus leges observat, eo magis sanctitatis operibus clarescit.

2<sup>o</sup> Considerando eos qui ab Ecclesia Romana recedunt, ut uni caeterarum sectarum adhaereant, et eos qui, e contra, ab aliis sectis ad Ecclesiam Romanam convertuntur, perspicuum est priores plerumque ex desiderio liberius indulgendi suis cupiditatibus ita se gerere, posteriores autem ex virtutis amore.

Atqui, duplicis illius facti alia dari non potest ratio, nisi quod sanctitas juris multo magis abundat in Ecclesia Romana, ac in quibuslibet aliis societatibus christianis. Ergo...

II. *Omnes sectae christianae, extra Ecclesiam Romanam, habent aliquid sanctitati juris oppositum.*

1. Protestantes loco principii ponunt, regulam fidei esse Scripturam spiritu privato uniuscujusque interpretandam. Sed hoc quantopere superbiae mentis, aut imaginationis hallucinationibus faveat, neminem fugit. Equidem, doctrina Scripturae sacrae est sancta, sensu autem privato intellecta nihil clarum, certum et uniforme subministrat, et ex ea multa hauserunt novatores sanctitati valde repugnantia, v. g. : fidem sine operibus salvare; justitiam esse inamissibilem; Deum omnia in nobis, etiam peccata, influxu necessitante operari, etc., etc...

2. Apud Graecos schismaticos, remoto Principe pastorum jure divino cunctos regente, jam unusquisque episcopus impune permittitur in suo sensu abundare, torpere segnitie, indulgere vitiis, et ovibus praebere scandala. Loco autem Romani Pontificis, substituitur dura et ignobilis auctoritas principis temporalis, cujus arbitrio negotia ecclesiastica permittuntur. Atqui, haec omnia certe sanctitati juris ingens afferunt detrimentum, ut patet. Ergo...

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur n. 209.

211. *Ad 1.* Dogma Confessionis nihil habet sanctitati oppositum. Certe ad liberius peccandum non provocat veniam, quae non obtinetur sine vera peccati detestatione, et firmo proposito illud amplius non committendi. Ecclesia autem sapientissimis legibus omni tempore invigilavit, ne quid detrimenti oriretur ex actu aut praetextu confessionis; nec abusus aliquando et raro observati aequiparantur innumeris bonis ex confessione defluentibus, ut ostenditur in tractatu de sacramento Poenitentiae.

212. *Ad 2.* Jus haereticos obstinatos pleetendi poenis temporalibus indubium est, in his locis ubi politica constitutio est catholica, et haereseos venenum nondum irrepsit. Tunc enim haeresis, non privatistantum nocet, sed insuper bono publico societatis civilis, homines ad rebellionem et ad bella religiosa provocando. Exercitium autem juris istius, si quandoque justos ex-cesserit limites, id non Ecclesiae sed hominibus tri- buendum. Certe Romani Pontifices nimium poenarum rigorem, pro posse suo, temperare nunquam praeter- miserunt.

Illa autem de qua in episcoporum juramento agitur persecutio, non est vis haereticis inferenda, sed opera ab episcopo praestanda, ut haeretici, relictis erroribus, ad veritatem redeant.

213. *Ad 3.* Cruciadum legitimitas satis liquet ex injus- tis Mahumetanorum erga Latinos vexationibus. Unde, nisi repressi fuissent, brevi universam Europam suo ferreo jugo extinxissent.

Constat etiam caedem dictam S. Bartholomaei a saeculari potestate fuisse machinatum; siquidem, inter regis Galliae consiliarios de hac re, nullus reperitur ecclesiasticus. Episcopi vero stragi obstare conati sunt, multosque eripuerunt a morte. Gregorius equidem XIII, publicas Romae Deo gratias egit, sed delusus litteris regis, falso referentibus regem a maximo evasisse periculo.

Caetera bella religiosa, privatorum non Ecclesiae culpa exarserunt.

QUAESTIO XII<sup>a</sup>

Utrum Sanctitas facti, eximiis virtutum actibus mani- festata, Ecclesiae Romanae divinitatem evincat?

214. *Resp.* Videri potest quod non.

1<sup>o</sup> Etenim, multoties Ecclesia Romana indiguit re- formatione, tum in Capite, tum in membris; sed non est societatis sanctitate praefulgentis ut reformatione indigeat.

2<sup>o</sup> Praeterea, ut ait Apostolus (I Tim., iv, 8): *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est et futurae.* Unde, ubi adest vera pie- tas, ibi observatur vera felicitas etiam temporalis. Sed hujusmodi felicitas multo praestantior apparet apud gentes Protestantismo addictas, quam apud populos Ecclesiae Romanae subjectos.

215. *Sed contra dico 1<sup>o</sup>: Sanctitas facti eximiis virtutum actibus manifestata, Ecclesiae Romanae divinitatem evincit.*

Ex antea dictis, illa est vera Ecclesia Christi, quae apud suos germinat sanctitatis fructus, sine ulla com- paratione majores ac quaelibet alia secta christiana. Atqui talis est Ecclesia Romana. Quae sanctitas facti considerari potest, vel in communitate fidelium sim- pliciter praeceptorum observationi addictorum, vel in iis qui vitae perfectae semitas ingressi sunt.

I. Si spectetur sanctitas facti in his qui vitam degunt simplici praeceptorum observationi adstrictam, tria sunt potissimum animadvertenda.

1<sup>um</sup> animadvertendum: Nullibi, extra Ecclesiam Romanam, etiam habita numeri adhaerentium pro-



portione, inveniuntur tot animae justitiam christianam sectantes. Apud Graecos, ut omnes norunt, fideles passim in religionis ignorantia vitiisque tabescunt, omnis generis superstitionibus implicati manent, nec nisi speciem quamdam Christianismi externam prae se ferunt. Quoad eos qui rectius vivunt apud Protestantas, constat civiles potius et naturales esse eorum virtutes, quam christianas et supernaturales. Opera autem charitatis quae ab illis exercentur, in elargiendis superfluis fere consistunt, et rarissime progrediuntur usque ad totalem proprii interesse abnegationem.

*2<sup>um</sup> animadvertendum* : Mira Christianismi virtus ad reformandum homines individuos, societatem domesticam et civilem, ibi magis fructificat, ubi Ecclesia Romana plenius et liberius influit; et e contra, quo magis ab hoc salutari influxu populi se subducunt, eo luctuosius apud eos privati ac publici mores depravantur. Et revera, fatetur ipsemet Lutherus primos Reformationis discipulos pejores factos fuisse quam in papatu, et loco unius daemones, septem eorum animas fuisse ingressos. Haec est certe ratio, cur regiones quas Protestantismus occupavit, brevi cruentis factionibus et horrendis rebellionibus devastatae fuerint.

*3<sup>um</sup> animadvertendum* : Abusus qui in Ecclesia Romana notantur, ipsi attribui nequeunt, siquidem ejus doctrinae, legibus ac spiritui aperte contradicunt; oriuntur itaque ex libertate peccandi quam Deus, etiam in homine reparato, voluit permanere. E contra, plerique excessus qui sectas Protestanticas commaculant, ex earundem principiis logice defluunt. Quando enim Reformatores divortium aut polygamiam permitterent, principes ad bona ecclesiastica usurpanda

provocarent, et innumera loca religiosis bellis cruentarent, nonne invocaverunt doctrinam, quam ex Scripturis sacris per examen privatum se hausisse dictitabant?

II. Si spectetur sanctitas facti in iis qui vitae perfectionis semitas ingressi sunt, dicendum est Ecclesiam Romanam omnes caeteras sectas longe antecellere, tum sacerdotio, tum religiosis institutis, tum sanctis canonizatis.

*1<sup>o</sup> Sacerdotio*. Quamplurimi, inter episcopos et presbyteros Romanae Ecclesiae, castitate, gravitate, religione, charitate et prudentia facti sunt forma gregis, et omnibus zeli operibus alacriter et generose se devovent. Sacerdotium autem Protestanticum fere omni caret praestigio, et spiritum laicalem redolet. Apud Graecos schismaticos, clerici toti sunt in emendis aut usurpandis dignitatibus, rebusque sacris pecunia habendis. In Russia, presbyteri publico contemptui traduntur ob sordidos mores, avaritiam, ignorantiam, et servitatem erga gubernium civile.

*2<sup>o</sup> Religiosis institutis*. Illa instituta in Ecclesiae Romanae gremio efflorescere non desinunt, quorum alia assiduae vacant contemplationi, alia intendunt corporalis misericordiae operibus, alia praedicationi, aut educationi juventutis, aut efferarum gentium conversioni se mancipant; ad quos fines obtinendos, maxima et continua exigitur abnegatio sui, durissimi suscipiuntur labores, et molestissimae nonnunquam persecutiones tolerantur.

At nihil tale invenitur apud Protestantas, qui votorum obligationem respuunt, procul faciunt vitam communem religiosorum, et monasticas austeritates veluti

satisfactionibus Christi injurias traducunt. Graecis autem ac Ruthenis pene ignotae sunt institutiones, ad externa charitatis opera ordinatae. In Ecclesia Ruthena, regulares plerumque assumuntur ex presbyterorum filiis et filiabus, quorum priores ante quinquagesimum, posteriores ante quadragesimum aetatis annum non admittuntur in monasterio, seu, non nisi exhaustis jam mundi illecebris; omnia autem regularia instituta misere jacent sub sancti Synodi tyrannide.

3<sup>o</sup> *Sanctis canonizatis.* Sancti illi, qui heroicos virtutum gradus attigerunt et publico cultu honorantur in Ecclesia Romana, sanctitatis ejus praeeminentiam multo clariorem faciunt. Hanc qui bene perspectam sibi esse voluerit, adeat volumina a Bollandistis edita, aut probatas legat quae passim vulgatae sunt sanctorum vitas.

Graeci nullos habent, a tempore suae separationis, quos venerationi fidelium proponant, et Protestantes multo minus. Et, quod notatu maxime dignum videtur, dum sanctos Ecclesiae Romanae canonizatos, inter Pontifices summos ac Episcopos frequentissimos fuisse constet, e contra, praecipui Schismatis Graeci ac Reformationis auctores, horrendis suis flagitiis indelebilis infamiae nota inuruntur. Quis ignorat Photium virum fuisse fraudibus et ambitione famosissimum, et Michaelem Caerularium, depravatis suis moribus et dominandi cupiditate, summum sibi dedecus intulisse? De primis reformatoribus sic loquitur protestans Cobbet (*Histoire de la Réforme protestante*, c. 7, n. 212): « Jamais peut-être le monde ne vit, dans un « même siècle, une collection de misérables et de

« scélérats, tels que Luther, Calvin, Zwingli, Bèze, et  
« autres célèbres réformateurs de la religion catho-  
« lique. Tous, de l'aveu même de leurs propres sec-  
« tateurs, étaient diffamés par les vices les plus hon-  
« teux... Il n'en est pas un seul parmi eux, dont les  
« actions n'aient pas mérité toutes les rigueurs de la  
« justice humaine. » Nec magis commendabilis fuit  
Henricus VIII, Ecclesiae Anglicanae auctor, quem  
historia suggillat veluti effrontem adulterum, bono-  
rum ecclesiasticorum avidissimum raptorem, suo-  
rumque subditorum atrocissimum persecutorem et  
homicidam. Ergo.

216. Dico 2<sup>o</sup>: *Falsum est omnino Protestantis-  
mum, temporali populorum felicitati melius con-  
sulere ac Ecclesia Romana.*

Tria enim in prosperitatem temporalem concurrunt  
elementa: 1<sup>um</sup>, quod est praecipuum et essentielle, in  
voluntatum recta ordinatione consistit; 2<sup>um</sup>, in inge-  
niorum cultura; 3<sup>um</sup> in opum terrenarum productione  
et aequa partitione; ex his tribus efflorescit id quod  
gallice vocatur *la civilisation*. At, sub hoc triplici res-  
pectu, multum praestat Catholicismus-Protestantismo.

1<sup>o</sup> Multum praestat recta ordinatione voluntatum.  
Ad hanc quippe perfectissime statuendam, mirum in  
modum juvant Ecclesiae Romanae doctrina, disciplina  
et cultus, ut jam demonstratum est; ex qua perfecta  
ordinatione, non tantum individui interiorum ac ve-  
ram assequuntur animi tranquillitatem, sed et omnia  
fausta speranda sunt societati domesticae et civili,  
necnon rebus politicis gerendis, siquidem exinde pro-  
curantur legibus obedientia, fidelitas in pactis, ju-  
riumque omnium incolumitas.

At multum abest quin Protestantismus, ex nativa sua indole, idoneus sit ad tam salutare fructus progignendos; quin potius contrarios ac maxime exitiales protulit, quotiescumque proprio ingenio indulgere permissus est. Id satis testantur horrenda morum privatorum ac publicorum depravatio, luctuosi conflictus, et omnis generis calamitates quae in Germania, in Gallia, in Anglia, ex Reformatione prodierunt.

2<sup>o</sup> Nec minus antecellit Protestantismo Ecclesia Romana ingeniorum cultura. Gloriantur equidem Protestantes, ex imposita cuique necessitate per se legendi Bibliam, ac sibi religiosum symbolum efformandi, laborem quemdam intellectualem apud singulos vividius excitari; sed praeterquam, ob difficultatem operis, paucissimi illud aggrediuntur, experientia constat prae laudatam animorum agitationem, nedum Scripturarum intelligentiae inserviat, ex hac potius obscuritates, dubia ac divisiones quasi in infinitum dimanare.

Quanto autem fructuosius ingeniorum culturae in Ecclesia Romana provisum fuerit, triplici ratione facile ostenditur:

a) *Ex institutione magisterii.* Per illud enim magisterium, praecipuae veritates, quae sunt veluti altissima omnium scientiarum principia, infallibiliter traduntur, hominesque in suis investigationibus tuto diriguntur, ne in erroribus fidei contrariis impingant. Jam ergo multae laboriosae ac periculosae quaestiones removentur, ad ultiores inquisitiones securum paratur iter, et quoddam in animis formatur habituale veri iudicium.

b) *Ex morum reformatione.* Major enim vitae

puritas, facit intellectum aptiorem ad veritates ordinis divini clarius perspiciendas, et intimius penetrandas.

c) *Ex veritatis propagandae zelo.* Qui zelus, propter vehementiorem Dei et proximi amorem, eo usque apud Ecclesiam Romanam exarsit, ut ejus impulsu innumera instituta religiosa erecta sint, quorum finis proximus fuerit scientias, litteras et artes impensius excolere; hinc est quod in illis studia tantopere floreat, et quod monachis adscribenda sit documentorum veterum conservatio.

3<sup>o</sup> Demum, si sermo sit de tertio prosperitatis temporalis elemento opes terrenas spectante, verum est in illo evolvendo Protestantismum avidius allaborare. Animus enim cui coelestia minus sapiunt, eo ipso in terrena majori fertur impetu. Insuper Reformatio, ubi charitatis erga proximum exercitium cohibuerit, et ejusdem instituta extinxerit, statim adegit unumquemque, ut sibimet per seipsum provideat. Sed inde non parvum verae felicitatis temporalis detrimentum inducitur. Febrilis enim haec in materialibus activitas, altioris scientiae fastidium parit, et sic robur ipsum intellectualem debilitans, praecipuam productionis opum radicem exsiccat; quinimo cupiditatum aestu homines detorquet, et, ob insatiabilem ditescendi et fruendi sitim, publicas commotiones totius productionis destructivas serius ociusve parat, redditque repartitionem opum magis ac magis inaequalem, ac sine charitatis remedio.

Ergo longe sapientius se gerit Ecclesia Romana dum, ex una parte, legem laboris agnoscit et urget, et ex altera, nimium ac periculosum ad terrenas opes impetum reprimat, et, ut aequior fiat earundem par-

titio, divitibus moderationem in illarum usu, et charitatem erga indigentes liberalius exercendam persuadere conatur.

Quae omnia pulchre exponit Leo XIII, in sua Encyclica: *Arcanum*, 19 Februarii 1880, dicens:

« Christiano rerum ordine semel condito, homi-  
« nibus singulis feliciter contigit, ut edicerent atque  
« adsuescerent in paterna Dei providentia conqui-  
« escere, et spem alere, quae non confundit, cœ-  
« lestium auxiliorum; quibus ex rebus, fortitudo,  
« moderatio, aequabilitas, pacati animi, plures denique  
« praeclarae virtutes et egregia facta consequuntur.  
« Societati vero domesticae et civili, mirum est quan-  
« tum dignitatis, quantum firmitudinis et honestatis  
« accesserit. Aequior et sanctior effecta est principum  
« auctoritas, propensior et facilior populorum obtem-  
« peratio, arctior civium conjunctio, tutiora jura  
« domini. Omnino rebus omnibus quae in civitate  
« habentur utiles, religio christiana consuluit et pro-  
« vidit, ita quidem ut, auctore S. Augustino, plus  
« ipsa afferre momenti ad bene beateque vivendum  
« non potuisse videatur, si esset parandis vel augendis  
« vitae commodis et utilitatibus unice nata. »

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur  
n. 214.

217. *Ad 1.* Ea Ecclesiae membra reformatione indi-  
guerunt, quae ipsius doctrinam aut leges contempse-  
runt; et id est maxime mirandum, quod ipsamet  
Ecclesia, impellente ac dirigente Spiritu sancto, has  
reformationes totis viribus promovit, ac tandem feli-  
citer assecuta est.

218. *Ad 2.* Solutio patet ex secunda conclusione.

De caetero, clarissimus Balmes, in suo eximio libro: *Le Protestantisme comparé au Catholicisme*, aperte demonstravit Protestantismum, unitatem religiosam frangendo, efferatosque intergentes excitando tumultus, non parum omnis generis progressus, jam tunc feliciter inceptos, retardasse ac deflorasse. Quinimo, ex Reformationis visceribus, vesanus erupit spiritus ille rebellionis, ratione cujus hodiernae societates in continuis anxietatibus perpetuo fluctuant.

Praeterea, in tractatu *de vera Religione*, n. 94, 95, ostensum est necessarium non esse, ut populi vera gaudentes religione caeteris sint sub omni respectu feliciores.

#### QUAESTIO XIII<sup>a</sup>

Utrum sanctitas facti, mira fecunditate ac miraculorum dono manifestata, Ecclesiae Romanae probet divinitatem?

219. Videri potest quod non.

Etenim, 1<sup>o</sup> miracula, utpote legibus naturae derogationes, frequentiora esse nequeunt. Atqui, monumenta a quibus mutuatur historia miraculorum in favorem Ecclesiae catholicae allatorum, referunt nimiam illorum multitudinem, quandoque etiam eidem viro attributorum. Ergo sunt suspectae veritatis. Ita Juriaeus in libro *De praejudiciis legitimis contra Papismum*.

2<sup>o</sup> Praeterea, ex eodem (ibid.) miracula multa, quae afferri solent, stolidi atque inepta apparent, et, eo ipso, judicanda sunt falsa; quod est grave praejudicium adversus caetera.

3<sup>o</sup> Praeterea, omnia miracula quae passim celebrantur, patrata fuere his regionibus et temporibus,

in quibus vigeat fides miraculorum, imo coram infima indoctaque plebe, ad supernaturales eventus admit- tendos plus minusve proclivi. Ita Renan (*Vie de Jésus; Introduction*).

4<sup>o</sup> Praeterea, Protestantismus ipse sua fecunditate non caret. Habet enim, praesertim in sectis Angli- canis, suos missionarios, qui ad regiones mundi etiam remotissimas se contulerunt, ubi sacerdotes catholici nondum appulerant, ibique praedicant Evangelium, et quidem non sine fructu. Ergo fecunditas Ecclesiae Romanae nihil probat.

220. *Sed contra dico 1<sup>o</sup>: Mira Ecclesiae Roma- nae fecunditas probat ejus divinitatem.*

Etenim competit Ecclesiae Romanae, inter omnes sectas christianas, fecunditas triplici ratione super- eminens.

1<sup>a</sup> ratio: Nunquam cessavit Ecclesia Romana totis viribus gentium et haeticorum conversionem pro- curare; et zelus ille, hodierna aetate, nedum tepescat aut debilitetur, novarum quotidie missionum tenta- minibus refulget; ita ut nunquam tam lata fuerit ubique terrarum fidei propagatio.

At Graeci schismatici nullam gentem ad fidem con- verterunt, nullos missionarios deputaverunt, qui longinquis nationibus Christum nuntiarent. Soli Russi Catholicos in sua ditione degentes conantur ad suas partes attrahere. Protestantes autem, de infidelium conversione ne cogitarunt quidem, ante finem se- culi XVII.

2<sup>a</sup> ratio: Ecclesiae Romanae apostolatus non subsi- diorum terrenorum copia, non persuasibilibus humanae sapientiae verbis adjuvatur; non comparandarum

divitiarum desiderio, alicujusve privati emolumenti inquisitione dirigitur et alitur; sed mediis potissimum supernaturalibus procedere solet; iisdem, nempe, qui- bus primi Evangelii praecones usi sunt: paupertate, abnegatione, humilitate, simplicitate, ac proprii san- guinis laeta effusione.

At morem plane diversum et oppositum tenent aliae sectae. Sic Russi, ut Catholicos pervertant, minas, persecutiones, deportationes, supplicia adhibere non refugiunt, invitis et posthabitis solemnioribus conven- tionibus et declarationibus. Protestantes, ex sua parte, ante omnia solliciti sunt, ut praedicatores a se missi subsidiis temporalibus copiosissime repleantur. Illi autem ministri plus terrestria lucra quam animarum salutem plerumque anhelant; neque mediis humanis, imo et injustis parcunt, ut discipulos colligant, quos sibi plus terrore quam amore alliciunt; quae omnia ex missionum annalibus satis constant.

3<sup>a</sup> ratio: Ecclesia Romana apostolatus sui fructus uberrimos quotidie reportat; et in Africa, in America, in Asiae orientalibus partibus, in insulis Oceaniae, Ecclesias florentes erigit, multisque martyribus glo- riatur. Quantum autem in hoc opere profecerit exinde ostenditur, quod unus S. Pontifex Pius IX, tam apud haeticos quam apud ethnicae gentes, sedes archiepiscopales quatuor, episcopales nonaginta quatuor, apostolicos vicariatus quindecim erexerit.

At Ecclesia Graeca, ut cunctis notum est, non dila- tatur. In missionibus vero Protestantium, nullus pene obtinetur fructus, praeter Bibliarum sacrarum distri- butiones, ingenia lucra praedicatorum mercantium, et impedimenta opposita barbarorum conversioni ad

Ecclesiam Romanam. Insuper, fatentibus ipsis Protestantibus, qui ex idolatria ad Reformationem complectendam se conferunt, plerumque non meliorantur, et, recedentibus praeconibus, ad pristinos mores brevi redeunt.

Jam vero, fecunditas tam eximia et tam singularis qua fruitur Ecclesia Romana, et quidem sola, aperte demonstrat apud eam solam residere spiritum illum sanctitatis, quo vera Ecclesia a falsis societatibus discernitur.

221 Dico 2° : *Ecclesia Romana, inter omnes alias sectas christianas, dono miraculorum distinguitur.*

Certe annales ecclesiastici miraculorum narrationibus redundant. Nullus enim citatur Sanctus alicujus nominis, de quo non referatur ipsum plura fecisse miracula adhuc viventem. Sufficiat, inter innumeros, citare sanctum Gregorium thaumaturgum, sanctum Martinum Turonensem, sanctum Bernardum, sanctum Franciscum Assisiensem, sanctum Dominicum, sanctum Antonium Paduensem, sanctum Vincentium Ferriensem, sanctum Franciscum Xaverium, sanctum Ligorium, sanctum Leonardum a Portu Mauritio, sanctum Paulum a Cruce, sanctum Benedictum Josephum Labre, etc. Insuper, quot sanationes miraculosae quotidie obtinentur, per intercessionem B. Mariae aut sanctorum! Quot ad sepulera servorum Dei! Quot ad piarum peregrinationum loca! v. g. ad sanctuarium B. M. Lurdensis, etc.

Atqui, haec miracula, saltem pro magna eorum parte, sunt: 1° certissima; 2° in confirmationem religionis Catholico-Romanae divinitus facta.

I. *Sunt certissima*; et id constat ratione tum generali, tum speciali,

1° *Ratione generali*; eo quod adsint omnes conditiones, ut testes a quibus referuntur, nec deceptores nec decepti fuerint. Sunt enim facta publica, obvia, maximi momenti, studiose examinata, in quorum memoriam nonnunquam monumenta erecta fuerunt, et ad quorum fulgorem plures gentes aliquando conversae sunt. Auctores vero a quibus narrantur sunt gravitate, scientia, probitate notissimi; plures inter eos fuerunt oculati aut saltem coevi, et eorum narrationes a nemine alicujus ponderis impugnantur; v. g. quis serio dubitare possit de his quae in Italia patratae sunt per reliquias SS. Gervasii et Protasii coram ingenti multitudine, et quae memorat S. Augustinus (*de Civit. Dei*, lib. 22, c. 8); quis de miraculis S. Martini Turonensis, S. Bernardi, aut S. Francisci Xaverii, etc?

2° *Ratione speciali* constat, ex informationibus in curia Romana usitatis super causa miraculorum, antequam proferatur canonizationis aut etiam beatificationis sententia. Miraculorum propositorum examen tribus vicibus instruitur, juxta animadversiones in contrarium a Promotore fidei omni studio propugnatas, invocatis virorum in arte medicinae aut scientiis physicis peritissimorum testificationibus; quotiesque vel minima superest dubitandi ratio, factum non admittitur. Atqui tamen, iis non obstantibus, causae illae canonizationis et beatificationis sibi continuo succedunt, et plerumque ad felicem exitum perducuntur.

II. *Haec miracula patrata sunt divinitus in confirmationem religionis catholicae.*

Patrata sunt enim ab iis qui in religionis catholicae observantia caeteris praestabant; in favorem eorum qui recurrebant ad intercessionem sanctorum Ecclesiae Romanae; saepe etiam ad hunc praecise finem ut fides catholica confirmaretur apud gentes convertendas; neque ulla est alia societas, praeter catholicam, quae talibus signis per longum saeculorum tractum illustrata sit.

Insuper, in hisce miraculis nulla apparent indicia diabolici interventus, sed potius omnino contraria. Ergo dicendum est, vel Ecclesiam catholicam esse divinam, vel Deum ipsum hominibus illudere voluisse.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 219.

222. *Ad 1.* Esset divinae sapientiae contrarium, si miracula adeo multiplicarentur, ut jam homo sibi per fidem in legum naturae constantiam, providere non posset. At frequentia quae objicitur certe non est hujusmodi. Quo posito, jam ridiculum et impium videtur divinae bonitati limites praestituere in miraculis patrandis.

223. *Ad 2.* Nemo unquam, inter veros et serios religionis catholicae theologos, somniavit miracula stolidi et inepta afferre in probationem; nec, quia ficta sunt miracula, legitime concluditur nulla esse certo vera; secus, jam nihil esset certum in mundo.

224. *Ad 3.* Falsum est omnes miraculorum quae referuntur testes, ad iis credendum proclives fuisse. Nonne tales fuerunt Pharisei quoad Christi miracula, et ipsimet Apostoli quoad ejus resurrectionem? De caetero, sedulo distinguere oportet factum ipsum, et miraculositatem facti. Factum ipsum miraculosum,

uti jam observavimus, coalescit ex factis in se naturalibus, sed certo quodam ordine sibi succedentibus, v. g. talem hominem vixisse, fuisse mortuum, et postea vixisse. Jam vero, omnes, etiam rudes, etiam ad credendum miraculis proclives, possunt ita clare percipere et unanimiter testari, talia facta naturalia in tali ordine peracta fuisse, ut jam impossibile appareat eos aut deceptos aut deceptores fuisse. Doctorum autem virorum aestimationi relinquitur discernere, an horum factorum tali ordine sibi succedentium collectio, contradicat vel non legibus naturalibus.

225. *Ad 4.* Ecclesia Romana non ideo praecise dicitur divina, quia fecunda; error enim religiosus nimia etiam fecunditate gaudet; sed allegatur in probationem fecunditas, quae sit signum et effectus sanctitatis, non qualiscumque, bene vero eximiae ac singularis. Non repugnat autem, in sectis pseudo-christianis reperiri viros bonae fidei, qui ex sincero veritatis putativae zelo, huic propagandae strenue laborent, et quosdam fructus obtineant. At contendimus Ecclesiae Romanae fecunditatem, si spectetur principium a quo oritur, media e quibus efflorescit, et fructus quos generat, esse prorsus eximiam et singularem, et, sub his respectibus, nullas alias societates cum illa posse comparari; et hoc nobis sufficit.

(Circa sanctitatem Ecclesiae Romanae vide Brugère: *de Eccl.*, n. 92, 93. — Perriot: *de Eccl.*, p. 115... 121.)



DISSERTATIO SEXTA

DE NONNULLIS COROLLARIIS EX ECCLESIAE ROMANAE DIVINITATE  
DEDUCENDIS

226. Semel probata Romanae Ecclesiae divinitate, sponte sequitur: viam salutis extra eam non reperiri; — illius cognitionem adultis omnibus, etiam usu rationis vix adepto, esse satis obviam; — eos qui sunt in Ecclesia facile ab ea audire posse quid credere debeant. Quae varia corollaria nunc statuenda et explicanda sunt.

COROLLARIUM PRIMUM

Extra Ecclesiam Romanam nulla salus.

(Vide Mazella: *de Rel. et Eccl.*, n. 490... 496; 504... 508. — Hurter: *Theol. gen.*, n. 314... 320.)

227. Id statuitur non tantum adversus Indifferentes et Rationalistas, de quibus in tractatu *de Religione*, sed insuper contra Liberales quosdam qui se catholicos profitentur, et tamen affirmare non dubitant, homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire posse, aut saltem bene sperandum esse de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Ut autem veritas et sensus hujus corollarii clare pateat:

228. Dico 1<sup>o</sup>: *Omnis homo, sub peccato mortali, tenetur adhaerere Ecclesiae Romanae.*

Constat 1<sup>o</sup> *Scriptura sacra.*

Etenim, 1<sup>o</sup> religio christiana ab omnibus sub poena damnationis est amplectenda, ut vidimus in tractatu praecedenti n. 248, 249. Sed religio christiana extra Ecclesiam Romanam non est instituta.

2<sup>o</sup> Christus asserit necessitatem baptismi ad salutem: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua... non potest introire in regnum Dei* (Joan., III, 5). Sed omnes baptizati tenentur se subicere magisterio ac regimini Ecclesiae; siquidem Apostolorum successores habent jus et officium, cunctos baptizatos edocendi auctoritative omnia quaecumque Christus mandavit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (Matth., XXVIII, 20).

Constat 2<sup>o</sup> *auctoritate Patrum.*

a) Aliquando, simpliciter declarant extra Ecclesiam salutem non dari. Sic S. Ignatius M. (ad Phil., n. 3): « Ne erretis, fratres mei, si quis schisma facientem sectatur, regni divini haereditatem non consequitur. » S. Irenaeus (*Adv. haer.*, lib. 4, c. 33, n. 7.): « Judicabit (Deus) omnes eos qui sunt extra veritatem, id est, qui sunt extra Ecclesiam. » Origenes (Hom. 4 in Josue): « Nemo sibi persuadeat, nemo seipsum decipiat; ... extra Ecclesiam, nemo salvatur; » « nam si quis foras exivit, mortis suae ipse fit reus. »

b) Nonnunquam, comparant Ecclesiam arcae Noe, sub respectu necessitatis ad evadendam mortem. S. Cyprianus (*de Unit. Eccl.*): « Si potuerit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit. » S. Gaudentius Brixianus (Tract. 8): « Periisse constat in illo diluvio omnes istius temporis homines, praeter eos



« qui intra arcam, quae typum gerebat Ecclesiae,  
« reperiri meruerunt. Nam similiter etiam nunc,  
« omnino salvi esse non poterunt, qui ab apostolica  
« fide et ab Ecclesia catholica fuerint alieni. »

c) Insuper, Ecclesiam matri assimilantes, dicunt illos non habere Deum ut Patrem, qui non habent Ecclesiam ut matrem. Sic S. Cyprianus (*de Unit. Eccl.*): « Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet ut matrem. » S. Aug. (Serm. 2, in Ps. 88, n. 14): « Quid tibi prodest non offensus Pater, qui offensam vindicat Matrem! Quid prodest si Dominum confiteris... et blasphemias Ecclesiam ejus? Tenete ergo, carissimi, tenete omnes unanimiter Deum Patrem et Matrem Ecclesiam. »

d) Idem S. Aug. comparat Ecclesiam corpori, et dicit non magis posse aliquem extra Ecclesiam vivere, quam membrum a corpore praecisum. Sic (Serm. 269, n. 4): « Membrum, cum in corpore esset, vivebat; praecisum amittit vitam. Sic et homo christianus Catholicus est, dum in corpore vivit; praecisus haereticus factus est, membrum amputatum non sequitur spiritus. » Et (Tract. 10. in Ep. S. Joan., n. 8): « Membra Christi per orbem jacent. Si amas partem, divisus es: si divisus es, in corpore non es; si in corpore non es, sub capite non es. »

Constat 3<sup>o</sup> *ratione theologica*.

a) Nisi id admittatur, graviter erit culpanda Ecclesia Romana, quae Evangelium praedicans, comminatur damnationem reluctantibus.

b) Nisi id admittatur, brevi tepescet zelus, cum maxime ex desiderio homines a damnatione eruendi procedat.

c) Nisi id admittatur, brevi peribit Ecclesia. Tunc enim non erit nisi de consilio; porro paucissimi sunt qui ad consiliorum observationem se convertunt.

Hinc merito Pius IX in Syllabo duas has damnavit propositiones, nempe XVI: « Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire, aeternamque salutem assequi possunt, » et XVII: « Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. » Quarum propositionum prima est evidenter falsa, et secunda ob suam universalitatem peccat.

229. Dico 2<sup>o</sup>: *Non repugnat, extra Ecclesiam Romanam, media salutis proxime sufficientia, ac ipsam salutem, per accidens, inveniri.*

Etenim, a praecepto adhaerendi Ecclesiae Romanae homo aliquando excusatur, sive impotentia physica, v. g. ille qui ante susceptum baptismum repentina morte eripitur, sive ignorantia invincibili, quando nihil unquam audivit de Ecclesia. Jam vero, qui sic excusatur, potest aliunde habere media salutis proxime sufficientia. Haec media sunt praesertim actus interni quibus, etiam sine Sacramentis, pervenitur ad justificationem, nempe: actus supernaturales fidei, spei, poenitentiae et charitatis. Sed non repugnat eum qui inculpabiliter versatur extra Ecclesiam, habere veram fidem circa veritates necessarias, sive per hominum institutionem, sive per extraordinariam infusionem a Deo datam. Fides autem illa optime poterit esse principium operationum supernaturalium: spei, scilicet, charitatis et contritionis perfectae, quibus homo justificabitur.

Quinimo, hisce mediis nonnunquam superadduntur

Sacramenta. Sacramentorum enim validitas a fide ministri non pendet, et huic sufficit si conferantur cum materia et forma debitis, necnon intentione faciendi quod facit Ecclesia. Sic igitur apud Graecos, quia ministri eorum valide ordinantur, recipi possunt cum fructu Eucharistia, Extrema Unctio, et in necessitate, absolutio sacramentalis. Apud omnes autem valet baptismus, servatis servandis.

**230. Dico 3<sup>o</sup> :** *Qui bona fide extra Ecclesiam Romanam degunt, ad ejus unitatem aliquatenus pertinent.*

Si enim sint in statu gratiae, jam anima Ecclesiae informantur, cum haec anima, ex dicendis, in gratia sanctificante consistat. At insuper, licet in statu peccati mortalis jaceant, dicendi sunt aliquo sensu, nempe dispositione mentis, seu *in voto*, pertinere ad Ecclesiae corpus; siquidem supponimus eos ita esse dispositos ut, si ipsis constaret Ecclesiae Romanae divinitas, illi ex toto corde adhaerent.

COROLLARIUM SECUNDUM

**Omnis adultus tuto et facile cognoscere potest divinam Ecclesiae Romanae auctoritatem.**

(Vide Mazella: *de Virt. inf.*, n. 745... 760.—Brugère; *de Eccl. Epilog. de fide simplicium*, p. 318... 327.)

**231.** Corollarium illud evidentiter probatur ex modo dictis. Praeceptum enim quo tenentur omnes, sub damnationis poena, esse Ecclesiae Romanae membra, non obligat *in actu secundo*, nisi certo ejusdem

Ecclesiae divina auctoritas cognoscatur. Ergo Deus hujus praecepti auctor, omnibus dat media certo cognoscendi divinam Ecclesiae Romanae auctoritatem.

Duplici potissimum via ad hujusmodi certam cognitionem adulti pervenire queunt: 1<sup>a</sup> est ipsiusmet Ecclesiae Romanae testimonium; 2<sup>a</sup> est ejus sanctitas efficax.

**1<sup>a</sup> via :** *Ecclesiae Romanae testimonium.*

Illud argumentum duobus modis expendi potest: uno qui doctioribus convenit, alio qui omnibus, etiam imperitis.

a) Juxta priorem modum, sic proceditur: Ecclesia Romana sese nobis exhibet veluti societatem maxime conspicuam, ac tantopere commendabilem, ut ejus testimonio maxima quae cogitari potest auctoritas humana tribuenda sit. Si ergo talis societatis membra omnia, sive actu existentia, sive praecedentium saeculorum, unanimiter conspirent in quibusdam factis testificandis, iis praesertim quae ad Ecclesiae institutionem spectant, certe plenam merentur fidem, secus, valedicendum esset omni certitudini historicae. At Ecclesiae Romanae membra, sive actu existentia, sive praecedentium saeculorum, unanimiter testantur historicam Evangeliorum auctoritatem; seu, testantur se Evangelia accepisse ab iis exarata, qui factorum ibidem consignatorum fuerant testes coevi et omnimoda fide digni. Inconcussa est igitur Evangeliorum historica auctoritas. Sed semel admissa illa auctoritate, facile progredimur ad eorundem auctoritatem doctrinalem agnoscendam; quia ex eis clare ostenditur divinitas religionis quam continent. Atqui, unum e

praecipuis hujus religionis dogmatibus, est divina institutio Ecclesiae docentis, quam in sola Ecclesia Romana reperiri, invicte probant argumenta a nobis superius allata.

b) Juxta posteriorem ratiocinandi modum, ab humana Romanae Ecclesiae auctoritate ad divinam immediate fit transitus. Si enim huic Ecclesiae credendum est, ubi unanimiter nobis refert aliquod factum cognita facile, maximi momenti et ad ipsam spectans, ergo ei credendum est affirmanti se accepisse a Christo, qui se divinitus missum innumeris miraculis comprobavit, auctoritatem infallibiliter docendi.

Hanc argumentationem cunctis perviam, mirum in modum confirmat sensus ille omnibus hominibus, qui recto sunt corde, alte insitus, de necessitate auctoritatis infallibilis in religionis negotio. Sola enim Ecclesia Romana sibi vindicat infallibilem auctoritatem jugiter viventem et exercibilem. Hinc celeberrimus historiae scriptor, Aug. Thierry, jam sub fine vitae, aiebat ad P. Gratry : « Tenez, je ne puis suivre vos démonstrations de philosophie religieuse. Cela doit être bon pour d'autres, non pour moi. Je suis un rationaliste fatigué qui me soumetts à l'autorité de l'Eglise. Je vois les faits ; je vois par l'histoire la nécessité manifeste d'une autorité divine et visible pour le développement de la vie du genre humain. Or, tout ce qui est en dehors du Christianisme ne compte pas ; de plus, ce qui est en dehors de l'Eglise catholique est sans autorité. Donc l'Eglise catholique est l'autorité que je cherche, et je m'y soumetts. Je crois ce qu'elle m'enseigne, je reçois le Credo. » (Vide Gratry : *Connaissance de l'âme*. Prél.)

2<sup>a</sup> via : *Ecclesiae Romanae sanctitas efficac.*

Unusquisque enim Ecclesiam Romanam, super omnes alias sectas christianas, habere efficaciam ad homines sanctificandos, facile percipere potest, non tantum ex audita ejus doctrina, quae optime legitimis voluntatis necessitatibus cordisque aspirationibus respondet; sed etiam experientia, nempe : sive Sanctorum quorum vitas legit, sive piorum et devotorum quorum exempla intuetur, sive etiam propria, cum, videlicet, sentiat se eo beatiorem et meliorem fieri, quo firmiter Ecclesiae Romanae credit, et ipsius directionem fidelius sequitur; ex quibus concludit eandem Ecclesiam Spiritu sancto animari, et ideo huic asserenti se praeditam auctoritate divina, omnino esse credendum.

#### COROLLARIUM TERTIUM

Puer catholicus, ineunte rationis aetate, divinam Ecclesiae Romanae auctoritatem credere potest, quin antea de illa dubitaverit.

3. Prob. 1<sup>o</sup> ex *Providentia Dei*.

Etenim, si nullus puer catholicus potest credere divinam Ecclesiae auctoritatem, quin antea de illa dubitaverit, sequitur hominem etiam baptizatum, gratia et virtutibus infusus ornatum, deliberate agendi capacem, et a parentibus et magistris sapienter edocatum, durante aliquo tempore, non posse ullos actus supernaturales elicere, nec ideo ad finem suum ultimum tendere. Nam, quamdiu de Ecclesiae Romanae auctoritate dubitabit, non poterit ordinarie elicere ullum actum fidei, cum, generaliter loquendo, non nisi per Ecclesiae magisterium puer catholicus cognoscat

quasnam veritates credere debeat. Ergo, donec rationes dubitandi perpenderit ac solverit, quod, attenta ingenii debilitate, diuturnum tempus requiret, non poterit ille ad Deum supernaturaliter tendere. Atqui Providentiae divinae repugnat, puerum baptizatum, gratia et virtutibus infusus ornatum, deliberate agendi capacem, et a parentibus ac magistris sapienter edoctum, in tali impossibilitate versari.

Prob 2° *ex quotidiana experientia.*

Nemo sane dicet Catholicos adultos, qui in sinu Ecclesiae Romanae nati sunt et educati, non habere certam ac firmam fidem dogmatibus in eorum symbolo contentis. Atqui tamen, passim testantur se nunquam vel minimum de Ecclesiae Romanae auctoritate dubitasse. Ergo, ut puer firmiter et rationabiliter credat Ecclesiae Romanae auctoritatem, necessarium non est ut antea de hac dubitaverit.

Prob 3° *ex paritate cum aliis veritatibus fidei praecambulis.*

Omnis puer sapienter a parentibus ac magistris edoctus, Dei existentiam, praecipua illius attributa, necnon officia legis naturalis, ineunte aetatis ratione, firmiter tenet, quin antea de hisce veritatibus dubitaverit unquam. Hoc autem exinde provenit quod, ex una parte, illarum motiva et vera sint in se, et modo ipsius captui accommodato proponantur; et ex altera, puer ipse, ita disponente Deo, habeat in se innatam quamdam propensionem et aptitudinem ad illas veritates percipiendas. Atqui, puer catholicus potest etiam de Ecclesiae Romanae auctoritate edoceri, per motiva sufficientia et suo captui accommodata, et insuper, Deus ipsius mentem supernaturaliter aptam

efficit ad horumce motivorum vim satis percipiendam; et hoc sequenti argumento magis patebit.

Prob. 4° *ex natura motivorum puero proponendorum.*

Motiva credibilitatis debent quidem in seipsis vera esse atque demonstrativa; attamen, ubi ea audiens recte est dispositus, necessarium non est ut ipsi eo modo proponantur, qui sufficeret ad quoscumque convincendos, illos etiam in quorum mentibus praepudicia et difficultates contra fidem convaluerunt. Jam vero, puer in sinu Ecclesiae Romanae baptizatus et rite educatus, non tantum caret hujusmodi praepudiciis et difficultatibus, sed habet in se gratiam habituales fidei cum baptismo receptam, et supernaturale auxilium quo disponitur et impellitur ad credendum. Huic autem jam facillimum erit percipere: 1° Deum voluisse ut in religionis negotio per auctoritatis infallibilis magisterium ducatur; propriam enim sentiens infirmitatem, instinctu quodam naturali ad veritatem ab aliis accipiendam propendit; 2° hanc auctoritatem infallibilem residere in Ecclesia Romana; statim, siquidem, ac illius Ecclesiae existentiam, praecipuos ac splendorum characteres cognoscit, jam de illius auctoritate, humana saltem, non dubitat, et in hoc a Spiritu sancti gratia adjuvatur; unde ab ea Ecclesia laetanter ac fidenter audit, ipsi a Christo datum esse magisterium infallibile. Quae perceptio, labentibus annis, magis ac magis radicatur, atque ejus animum majori semper claritate et certitudine illustrat et satiat.

COROLLARIUM QUARTUM

Puer etiam non catholicus, ineunte rationis aetate, ad Romanae Ecclesiae auctoritatem certo cognoscendam pervenire potest.

233. Veritas corollarii patet ex obligatione cunctis imposita adhaerendi Ecclesiae Romanae. Superest ut explicemus qua ratione praefatus puer ad hanc Ecclesiam agnoscendam perveniat, in triplici hypothesi quae excogitari potest.

1<sup>a</sup> Hypothesis: Si puer ille educaretur apud sectam aliquod magisterium doctrinale profitentem.

Sane, eodem modo ac puer catholicus, hujusce magisterii necessitatem sentiet, et ideo alicujus Ecclesiae docentis existentiam per verum ac supernaturalem fidei actum credet. Quamdiu autem versatur in ignorantia inculpabili, *implicite* ad Ecclesiam Romanam pertinet, ob intentionem praedominantem vi cuius vellet fieri ejus membrum, si sciret eam esse veram Christi Ecclesiam; et ideo, durante hac bona fide, remanet coram Deo Catholicus. Postea autem, ubi ei occurrunt legitimae de suae Ecclesiae veritate dubitandi rationes, jam tenetur inquirere; nec Deus ei denegabit auxilium quo, mediis supra indicatis, Ecclesiam Romanam esse divinam pro certo comperiet.

2<sup>a</sup> Hypothesis: Si puer ille educaretur apud sectam magisterium infallibile non agnoscentem.

Non videtur absolute repugnare huic puero sufficienter proponi motiva credibilitatis, quibus adducetur ad actum verae fidei eliciendum circa divinitatem Christianismi, necnon quasdam praecipuas symboli

christiani veritates, et ideo posse supernaturaliter operari. At, ubi tentaverit singula dogmata ex privato Scripturarum examine accipere, et adverterit quam parum inter se sectae suae doctores in Scripturis interpretandis concordent, non poterit multis dubiis non cruciari, ex quibus intelliget quantopere auctoritas infallibiliter docens in religionis negotio necessaria sit. Sed inde ad Ecclesiae Romanae divinitatem agnoscendum multum inclinabitur, et brevi, modo se docibilem ac rectum corde praebat, clare percipiet auctoritatem doctrinalem fructuose exercibilem in sola Ecclesia Romana reperiri, et pro ea sola valere motiva credibilitatis quibus Christianismi divinitas adstruitur.

3<sup>a</sup> Hypothesis: Si puer ille extra religionem christianam educaretur.

Nullum praesto aderit remedium quo ab infidelitate sanetur talis puer, nisi propositio motivorum ipsius captui accommodata. Dei autem erit providere ut gratiis sufficientibus non careat, quibus, caeterorum adulatorum instar, juxta superius dicta n. 231, Romanae Ecclesiae divinam institutionem cognoscat.

COROLLARIUM QUINTUM

Fidelis, cognita Ecclesiae Romanae auctoritate, ab illa facile audit quid credere debeat.

234. Deus enim ob hunc praecise finem a nobis subjectionem erga Ecclesiam Romanam exigit, ut ab illa veritates credendas sine labore accipiamus; qui finis certe frustraretur si Ecclesiam docentem audire difficilior foret.

De caetero, in eo consisteret difficultas quod, ordinarie loquendo, singuli fideles *immediate* non percipiant Ecclesiam sententias doctrinales infallibiliter proferentem. Atqui id non obstat, quin tuto ac facile scire valeant quid ab Ecclesia doceatur. Numquid cives in regno propriis auribus audiant principes, ubi leges ferunt, aut iudices, ubi sententias pronuntiant? Quis tamen dixerit leges aut sententias non posse certo et facile a singulis civibus cognosci? Ergo, sicut existentia legis aut iudicii, in civili ordine, est factum satis notorium, ut publicis documentis et testimoniis ad notitiam privatorum tuto perveniat; sic prorsus dicendum est de Ecclesiae doctrina. Haec porro documenta et testimonia, quoad Ecclesiae definitiones, sunt catechismi ab episcopis probati, parochorum et aliorum sacerdotum approbatorum praedicationes et instructiones publicae, quibus conforme reperitur testimonium parentum, magistrorum, necnon caeterorum Catholicorum. Quoties, ob hanc uniformitatem, excluditur omnis dubitandi locus, nihil amplius requiritur ut fidelis actum credendi eliciat.

EXPLICIT TOMUS PRIMUS

## INDEX

### QUAESTIONES PRAEVIAS DE THEOLOGIA

	PAGINAE
QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Quid sit Theologia et quotuplex?....	1
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Quae sint Theologiae fidei 1 <sup>o</sup> Objectum materiale? 2 <sup>o</sup> Objectum formale <b>quod</b> ? 3 <sup>o</sup> Objectum formale <b>quo</b> ?.....	3
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Utrum Theologia sit veri nominis scientia?.....	5
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Quomodo Theologia fidei a fide differat?	6
QUAESTIO 5 <sup>a</sup> — Quomodo Theologia se habeat in ordine ad caeteras scientias humanas?.....	7
QUAESTIO 6 <sup>a</sup> — Qui sint praecipui Theologiae characteres?.....	10
QUAESTIO 7 <sup>a</sup> — Quotuplex esse possit in Theologia procedendi modus?.....	11
QUAESTIO 8 <sup>a</sup> — Quae sint variae Theologiae partes, et quo ordine tractari soleant?..	13

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De caetero, in eo consisteret difficultas quod, ordinarie loquendo, singuli fideles *immediate* non percipiant Ecclesiam sententias doctrinales infallibiliter proferentem. Atqui id non obstat, quin tuto ac facile scire valeant quid ab Ecclesia doceatur. Numquid cives in regno propriis auribus audiant principes, ubi leges ferunt, aut iudices, ubi sententias pronuntiant? Quis tamen dixerit leges aut sententias non posse certo et facile a singulis civibus cognosci? Ergo, sicut existentia legis aut iudicii, in civili ordine, est factum satis notorium, ut publicis documentis et testimoniis ad notitiam privatorum tuto perveniat; sic prorsus dicendum est de Ecclesiae doctrina. Haec porro documenta et testimonia, quoad Ecclesiae definitiones, sunt catechismi ab episcopis probati, parochorum et aliorum sacerdotum approbatorum praedicationes et instructiones publicae, quibus conforme reperitur testimonium parentum, magistrorum, necnon caeterorum Catholicorum. Quoties, ob hanc uniformitatem, excluditur omnis dubitandi locus, nihil amplius requiritur ut fidelis actum credendi eliciat.

EXPLICIT TOMUS PRIMUS

## INDEX

### QUAESTIONES PRAEVIAS DE THEOLOGIA

	PAGINAE
QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Quid sit Theologia et quotuplex?....	1
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Quae sint Theologiae fidei 1 <sup>o</sup> Objectum materiale? 2 <sup>o</sup> Objectum formale <b>quod</b> ? 3 <sup>o</sup> Objectum formale <b>quo</b> ?.....	3
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Utrum Theologia sit veri nominis scientia?.....	5
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Quomodo Theologia fidei a fide differat?	6
QUAESTIO 5 <sup>a</sup> — Quomodo Theologia se habeat in ordine ad caeteras scientias humanas?.....	7
QUAESTIO 6 <sup>a</sup> — Qui sint praecipui Theologiae characteres?.....	10
QUAESTIO 7 <sup>a</sup> — Quotuplex esse possit in Theologia procedendi modus?.....	11
QUAESTIO 8 <sup>a</sup> — Quae sint variae Theologiae partes, et quo ordine tractari soleant?..	13

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THEOLOGIA DOGMATICA GENERALIS

TRACTATUS DE VERA RELIGIONE

DISSERTATIO PRAEUIA

DE PRAEMITTENDIS CIRCA RELIGIONEM ET ANTICHRISTIANISMUM  
IN GENERE.

	PAGINAE
QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Quae sit germana religionis notio et divisio?.....	19
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Quae sint praecipuae religiones posi- tivae extra christianam?.....	23
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Quaenam dari possit summaria hodie- nae incredulitatis expositio?.....	35
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Quaenam veritates praesupponantur dis- putationibus theologicis circa religionem revelatam?	43
QUAESTIO 5 <sup>a</sup> — Utrum homini individuo aliquam re- ligionem profiteri necesse sit?.....	44
QUAESTIO 6 <sup>a</sup> — Utrum societas civilis ipsa religionem profiteri teneatur?.....	51

DE VERA RELIGIONE

PARS PRIMA

*De Religione revelata in genere.*

DISSERTATIO PRIMA

DE REVELATIONIS POSSIBILITATE

QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Quid et quotuplex sit revelatio?.....	56
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Utrum possibilis sit revelatio superna- turalis in se sumpta, seu, saltem immediata?.....	58

	PAGINAE
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Utrum possibilis sit revelatio superna- turalis mediata?.....	61
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Utrum possibilis sit revelatio myste- riorum, necnon praeceptorum legi naturali superad- ditorum?.....	64

DISSERTATIO SECUNDA

DE REVELATIONIS NECESSITATE

QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Quinam erraverint circa necessitatem revelationis?.....	71
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — An et quatenus revelatio sit absolute necessaria?.....	74
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — An et quatenus revelatio sit moraliter necessaria?.....	77
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Utrum adversus revelationis necessita- tem lex progressus continui merito objiciatur?.....	86

DISSERTATIO TERTIA

DE OBLIGATIONE ET MODO INQUIRENDI RELIGIONEM REVELATAM

QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — In quo consistat Indifferentismus re- lativus?.....	94
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Utrum homini individuo per se licitum esse possit quamlibet religionem profiteri?.....	96
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Utrum liceat, neglecta omni inquisi- tione circa religionem revelatam, solam profiteri religionem naturalem?.....	100
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — An et quatenus, in inquirenda reve- latione, adhibenda sit methodus historica vel philo- sophica?.....	105

DISSERTATIO QUARTA

DE REVELATIONIS NOTIS

QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Quae sint notarum revelationis defi- nitio, necessitas et species?.....	109
--	-----



	PAGINAE
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Utrum praesentis vitae felicitas haberi debeat tanquam verae religionis nota?.....	111
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Quanam assignari debeant revelationis notae?.....	115
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Quid et quotuplex sit miraculum?....	117
QUAESTIO 5 <sup>a</sup> — Utrum miraculum sit possibile?.....	127
QUAESTIO 6 <sup>a</sup> — Utrum religionis alicujus divinitas per miracula rite probetur?.....	133
QUAESTIO 7 <sup>a</sup> — Quid et quotuplex sit propheta?.....	144
QUAESTIO 8 <sup>a</sup> — Utrum possibilis sit cognitio prophetica etiam primi ordinis?.....	146
QUAESTIO 9 <sup>a</sup> — Utrum et quatenus propheta sit certissimum revelationis criterium?.....	151

DE VERA RELIGIONE

PARS SECUNDA

*De Religione christiana.*

DISSERTATIO PRIMA

DE AUCTORITATE HISTORICA EVANGELIORUM ET ACTUUM APOSTOLORUM

QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Quid sentiant Rationalistae de auctoritate historica Evangeliorum et Actuum Apostolorum?.....	155
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Utrum quatuor Evangelia et Actus Apostolorum sint libri genuini?.....	159
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Utrum constet libros quatuor Evangeliorum neenon Actuum Apostolorum esse substantialiter integros?.....	167
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Utrum libri Evangeliorum et Actuum Apostolorum sint veraces?.....	170

	PAGINAE
QUAESTIO 5 <sup>a</sup> — Quid igitur sentiendum sit de placitis Rationalistarum circa auctoritatem historicam novi Testamenti?.....	181

DISSERTATIO SECUNDA

DE FACTIS QUAE IN LIBRIS HISTORICIS NOVI TESTAMENTI CONTINENTUR, ET DIVINAM CHRISTI MISSIONEM OSTENDUNT

QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Utrum ex mirabili Christi indole probetur religionis ab eo institutae divinitas?.....	185
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Utrum miracula in libris historicis novi Testamenti narrata divinitatem religionis catholicae certo demonstrent?.....	193
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Utrum divina Christi missio invictae ejus resurrectione probetur?.....	196
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Utrum religionis christianae divinitas ex prophetiis a Christo prolatis evincatur?.....	203

DISSERTATIO TERTIA

DE NOTIS DIVINITATIS QUAE IN HISTORIA CHRISTIANISMI NASCENTIS REFULGENT

QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Utrum religio catholica divina probetur ex ejus mirabili propagatione?.....	206
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Utrum religio catholica divina probetur ex suis martyribus?.....	215

DISSERTATIO QUARTA

DE NOTA DIVINITATIS QUAE INVENTUR IN MIRABILI UTRIVSQUE NOVI ET VETERIS TESTAMENTI CONSENSIONE

QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Quomodo compendiose demonstrari valeat librorum Moysis, seu Pentateuchi, auctoritas historica?.....	221
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Quanam fuerint, juxta Pentateuchum, religionis mosaicae oeconomia et notae?.....	234

	PAGINAE
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Quae fuerint, juxta Genesim, primaevae religionis origo, oeconomia et notae?.....	240
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Quomodo, ex praedictis, evincatur omnium librorum veteris Testamenti auctoritas historica?.....	244
QUAESTIO 5 <sup>a</sup> — Utrum duo Testamenta in eo consentiant, quod adventus Messiae in novo Testamento descriptus, in veteri praenuntiatus fuerit?.....	249
QUAESTIO 6 <sup>a</sup> — Utrum duo Testamenta consentiant ratione temporis quo Christus advenit?.....	253
QUAESTIO 7 <sup>a</sup> — Utrum duo Testamenta consentiant ratione eorum quae de Christo praenuntiata fuerunt?.....	257
QUAESTIO 8 <sup>a</sup> — Utrum dentur in veteri Testamento prophetiae typicae Christum ejusque religionem praefigurantes?.....	262
QUAESTIO 9 <sup>a</sup> — Quid ex mirabili illa utriusque Testamenti consensione concludendum sit?.....	266

DISSERTATIO QUINTA

DE FALSITATE RELIGIONUM POSITIVARUM QUAE CHRISTIANAE ADVERSANTUR

QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Quid sentiendum sit de Judaismo hodierno?.....	268
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Quid de Mahumetismo sentiendum?.....	272
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Quid de Brahmanismo sentiendum?.....	275
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Quid de Buddhismo sentiendum?.....	277

COROLLARIUM TOTIUS TRACTATUS

RELIGIO CHRISTIANA AB OMNIBUS SUB DAMNATIONIS REATU TENENDA EST.....	279
--	-----

TRACTATUS DE ECCLESIA CHRISTI

DISSERTATIO PRAEVI

DE PROLEGOMENIS ECCLESIAE

	PAGINAE
QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Quid per Ecclesiam intelligatur?.....	281
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Quibus potissimum metaphoris, parabolis ac figuris Ecclesia in Scripturis designetur? ..	284
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Quae sint praecipuae sectae pseudo-christianae?.....	289
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Qui sint praecipui errores in praesenti tractatu confutandi?.....	294
QUAESTIO 5 <sup>a</sup> — An et quatenus, in praesenti tractatu, valeant argumenta ex sacris Scripturis necnon ex Traditione deprompta?.....	301

DE ECCLESIA ROMANA

PARS PRIMA

*De divinitate Ecclesiae Romanae.*

DISSERTATIO PRIMA

DE DIVINITATE ECCLESIAE ROMANAE PER DOCTRINAE EXCELLENTIAM ET MIRABILES EFFECTUS COMPROBANDA

QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Quae sint praecipua doctrinae catholicae dogmata speculativa?.....	309
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — In quo summatim reponatur religionis catholicae doctrina moralis?.....	315
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Quae sint praecipua doctrinae catholicae capita ad cultum spectantia?.....	317

	PAGINAE
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Utrum doctrina catholica humani intellectus exigentis apprime respondeat?.....	319
QUAESTIO 5 <sup>a</sup> — Utrum doctrina catholica voluntatis humanae necessitatibus perfectissime accommodetur?	329
QUAESTIO 6 <sup>a</sup> — Utrum doctrina catholica legitimas humani cordis aspirationes perfecte impleat?.....	333
QUAESTIO 7 <sup>a</sup> — Utrum religio catholica facultatibus etiam sensibilibus legitimam det satisfactionem?...	339
QUAESTIO 8 <sup>a</sup> — Utrum singularis religionis catholicae excellentia sit nota certa veritatis?.....	343
QUAESTIO 9 <sup>a</sup> — Utrum dici possit doctrinam catholicam romanam, ex veteribus religionibus, humana industria conflata esse?.....	347
QUAESTIO 10 <sup>a</sup> — Utrum religionis catholico-romanae excellentia, per suos mirabiles effectus manifestata, divinam ejus originem demonstrat?.....	353

DISSERTATIO SECUNDA

DE DIVINITATE ECCLESIAE ROMANAE EX FACTO CHRISTI EAM INSTITUTE, ET PER NOVEM DECEM SECLA MIRABILITER CONSERVANTIS, DEMONSTRANDA

QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Utrum Christus suam religionem instituerit sub forma societatis constitutiva?.....	362
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Utrum Christus instituerit Ecclesiam essentialiter visibilem?.....	369
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Utrum Ecclesiae suae visibili Christus contulerit existentiam indefectibilem?.....	374
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Utrum, quia Christus instituit Ecclesiam visibilem et indefectibilem, jure concludatur Ecclesiae Romanae divinitas?.....	384
QUAESTIO 5 <sup>a</sup> — Utrum ex indefectibili Ecclesiae Romanae, per novem et decem secula, conservatione, jure etiam concludatur ipsius divinitas?.....	386

DISSERTATIO TERTIA

DE DIVINITATE ECCLESIAE ROMANAE EX INSTITUTIONE PRIMATUS PROBANDA

	PAGINAE
QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Utrum B. Petrus acceperit a Christo primatum jurisdictionis super universos fideles?...	394
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Quomodo speciatim ostendatur B. Petrum obtinuisse primatum supra caeteros Apostolos?.....	404
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Utrum primatus, mediante Ecclesia, B. Petro fuerit collatus?.....	411
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Utrum, quia Christus B. Petro contulerit jurisdictionis primatum, merito concludatur Ecclesiae Romanae divinitas?.....	414

DISSERTATIO QUARTA

DE DIVINITATE ECCLESIAE ROMANAE EX INSTITUTIONE MAGISTERII INFALLIBILIS COMPROBANDA

QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Utrum institutio magisterii infallibilis ex sacris litteris fiat manifesta?.....	428
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Utrum ex his quae constanter gesta sunt in Ecclesia, constet magisterii infallibilis institutio?.....	434
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Utrum, in praesenti statu, institutio magisterii infallibilis fuerit bono Ecclesiae necessaria?.....	438
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Utrum ex institutione magisterii infallibilis, jure concludatur Ecclesiae Romanae divinitas?.....	445

DISSERTATIO QUINTA

DE DIVINITATE ECCLESIAE ROMANAE NOTARUM OPE DEMONSTRANDA

QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — Quid intelligatur per Ecclesiae notam, et quibus notis dignoscatur vera Ecclesia?.....	448
--	-----


	PAGINAE
QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Quibus variis modis intelligatur Ecclesiae Unitas?.....	455
QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Utrum admittenda sit Unitatis ecclesiasticae notio a Catholicis tradita?.....	459
QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Utrum Ecclesia Romana hanc habeat Unitatem, ex qua ejusdem divinitas jure inferatur?.....	473
QUAESTIO 5 <sup>a</sup> — Quid, juxta Catholicos, per Apostolicitatem Ecclesiae sit intelligendum?.....	477
QUAESTIO 6 <sup>a</sup> — Utrum Apostolicitas, qualis intelligitur a Catholicis, sit verae Ecclesiae nota?.....	480
QUAESTIO 7 <sup>a</sup> — Utrum Ecclesia Romana hanc habeat Apostolicitatem, quae divinam ejus institutionem probet?.....	486
QUAESTIO 8 <sup>a</sup> — Utrum et qualis Catholicitas sit verae Ecclesiae nota?.....	491
QUAESTIO 9 <sup>a</sup> — Utrum Ecclesia Romana tali gaudeat Catholicitate, quae ejusdem divinitas clare demonstratur?.....	506
QUAESTIO 10 <sup>a</sup> — Utrum et quae Sanctitas sit verae Ecclesiae nota?.....	512
QUAESTIO 11 <sup>a</sup> — Utrum Ecclesia Romana divina probetur ex sanctitate juris.....	519
QUAESTIO 12 <sup>a</sup> — Utrum Sanctitas facti, eximii virtutum actibus manifestata, Ecclesiae Romanae divinitatem evineat?.....	525
QUAESTIO 13 <sup>a</sup> — Utrum sanctitas facti, mira fecunditate ac miraculorum dono manifestata, Ecclesiae Romanae probet divinitatem?.....	533

DISSERTATIO SEXTA

DE NONNULLIS COROLLARIIS EX ECCLESIAE ROMANAE DIVINITATE DEDUCENDIS

COROLL. 1 <sup>um</sup> — Extra Ecclesiam Romanam nulla salus.	540
COROLL. 2 <sup>um</sup> — Omnis adultus tuto et facile cognoscere potest divinam Ecclesiae Romanae auctoritatem	544

	PAGINAE
COROLL. 3 <sup>um</sup> — Puer catholicus, ineunte rationis aetate, divinam Ecclesiae Romanae auctoritatem credere potest, quin antea de illa dubitaverit.....	547
COROLL. 4 <sup>um</sup> — Puer etiam non catholicus, ineunte rationis aetate, ad Romanae Ecclesiae auctoritatem certo cognoscendam pervenire potest.....	550
COROLL. 5 <sup>um</sup> — Fidelis, cognita Ecclesiae Romanae auctoritate, ab illa facile audit quid credere debeat.....	551



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## ERRATA

### TOMUS PRIMUS

PAGINAE	LINEAE	loco :	lege :
10	9	caracteres	characteres
15	2	ei adjuvat	<del>deleantur</del>
23	ultima	nonnulli	nonnulli
25	24	defnire	definire
71	26	duplex	triplex
74	12	am	jam
89	24	praedicta	praedicata
98	ultima	mnia	omnia
172	4	aut	aut
189	26	ut supra diximus	<del>deleantur</del>
227	21	veteri	veteris
227	22	connexiones	connexione.
231	12	blandiretur	blandiatur
292	11	unt	sunt
297	2	ei	et
303	20	triplici	quadruplici
305	23	qu	qui
331	19	conaturalis	connaturalis
353	4	cotholico	catholico
409	7	anthiochena	antiochena
440	28	hominum	hominum
446	8	Scripturae	Scripturas
463	9	o	l <sup>o</sup>
506	23	dico	dico l <sup>o</sup>
508	14	1 <sup>a</sup> pars	2 <sup>a</sup> pars
512	15	amoricæ	americæ
547	20	3	232

### TOMUS SECUNDUS

PAGINAE	LINEAE	loco :	lege :
36	ultima	65	265
46	14	Ecclesia,	Ecclesia
108	8	principum	principum
194	19	du	de
213	6	Ecclesire	Ecclesiae
327	ultima	consule	consulere



UAN

IDAD AUTÓNOMA DE NUEV  
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC